ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIÆ PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

ARCHIEPISCOPI BOSTRENSIS

SS.D.N. Prælati Domestici & Pontificio Solio Episcopi Assistentis, Episcoporum in Urbe Examinatoris, & Congr. Examinis pariter Episcoporum a Secretis, ac Sanctæ & Universalis Inquisitionis Consultoris.

IN SACRAM

DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ,

PARS OCTAVA.

Ad Eminentissimum & Reverendissimum

PRINCIPEM

THOMAM RUFFO

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM,
EPISCOPUM PORTUENSEM, ET S. RUFINÆ.

ROMÆ, MDCCXXXIX.

Ex Typographia Komarek in Viâ Cursûs.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum

PRINCIPEM

THOMAM RUFFO

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM,
EPISCOPUM PORTUENSEM,
ET S. RUFINÆ.

AUCTOR.

UFFORUM Gens, qua originis antiquitate, qua ſanguinis claritudine, qua principatus potentia, adeo apud Noſtrates omni tempore excelluit, ut ſuperfluum omnino ſit mihi, Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, volumen hoc dedicanti, ea re-

Digitized by Google

retexere, quæ in aliis voluminibus, Principibus aliis dicatis, ad illorum gentis laudem, fuſo quidem calamo, at veridico, recitavi. Sat enim eſt familiæ tuæ meminiſſe, ut omnes pro comperto habeant, & eam pro originis antiquitate in Romana Republica diutius floruiſſe; pro ſanguinis claritudine cum Regibus non ſemel matrimonia pro utraque parte contraxiſſe; & pro principatus potentia totam ferme Calabriam ſub ditione ſervaſſe, ita ut Ruffi de Calabria dicerentur. Hoc unum nihilominus triſte Genti tuæ accidit, quod ei quum regna non dederit Venus, mulieres nempe Viris tuis connubii nexu junctæ; mulieres nihilominus abſtulerunt. Siquidem nullæ fuerunt mulieres, quæ per nuptias detulerint imperia Ruffis; ſed fuerunt potius mulieres, quæ eadem a Ruffis amoverunt, ut ad alias Gentes, qua opibus, qua gloria cumulandas, transferrent. Hæc de Gente tua indicaſſe tantum contenti ſumus: Ad Te modo devenio, CARDINALIS AMPLISSIME, & in Operibus tuis omne, quod laudem quacunque ex parte meretur, deprehendo; & quod magis eſt, ſine aſſentatione, & ſine fuco. Romam advoco, Florentiam appello, rogo Ferrariam; quæ urbes feliciſſimæ fuerunt, a quibus ætatem tuam, quanta ipſa fuerit, & quam maxime Eccleſiæ utilis, & glorioſa, diſcere quiſque poterit. In locis iſtis, ſive ſtudiis tuis, ſive laboribus, ſive regiminibus, adeo notus omnibus evaſiſti, ut quanvis quacunque arte procurares merita tua obtegere, ea tamen adeo clara cunctis gentibus fuerunt, ut etiam Te obnitente, urbi, orbi, Eccleſiæ demum univerſæ, innotuerint.

Romæ privatum adoleſcentem agens in nobili Clementis VIII. paleſtra ſic feliciter exercitus es, ut brevi tempore evaderes, quem Te domus, Patriâ, univerſa Reſpublica deſiderabat. Sic videlicet, ſive ad literas, ſive ad regimina, & quod magis eſt, ſive ad mores, & ad animi pietatem, compoſitum, ut æqualibus exemplo fueris, minoribus excitamento, majoribus vero æmulatione, & dixerim quoque invidia, ſi licet. Reſonant adhuc aulæ nobiliſſimæ Academiæ tuis laudibus; & hoc ab illo prorſus tempore, quo Te vel diſputantem, vel reſpondentem, demirabantur; at ea modeſtia, ut etiam Magiſtrum ageres, quando annorum ratione diſcipulum agere debuiſſes. Ad

Digitized by Google

Ad munera poſtmodum promotus; non quidem precum vi, nec humanis adminiculis adjutus, ſed ſola meritorum tuorum conſideratione, ac ſpe, Apoſtolicæ Sedi deſervire ſic feliciter incepiſti, ut brevi temporis ſpatio laborum tuorum præmia obtineres. Siquidem Quæſitoris fidei munere in Inſula Melitâ functus, Apoſtolici Nuncii in Tuſcia, ſtatim ad cubiculi pontificii præfecturam a ſanctæ memoriæ Innocentio XII. advocatus, illam apud eundem, ac ejuſdem ſucceſſorem Clementem XI., cunctis aulæ proceribus acceptus, ſumma gloria adminiſtraſti; & ita quidem, ut ab ipſa inter ampliſſimos S. R. E. Cardinales, tota urbe plaudente, evocaveris. Hic demum in ſupremum Ordinem coaptatus, ut plures fuerunt Confeſſus, qui ſapientiam Tuam in ferenda ſententia ſuſpexere; ita & Conventus, qui donis tuis Tibi arctiſſime devinciebantur. Quis unquam, PRINCEPS HUMANISSIME, a Te diſceſſit invitus, aut triſtis? Quis ad Te non acceſſit juſtitia ſimul ac fiducia motus, & impulſus? Uno ore audiebantur omnes, qui tuam prædicabant in audiendo facilitatem, in penetrando acumen, in promovendo fidelitatem, in repellendo conſtantiam, in remunerando æqualitatem. Itaut vox omnium una foret, Te ad regendos populos natum; ut enim continere illos poteras fortitudine, ac pietate, ita pariter illos valebas æquanimitate, & vigilantia conſervare.

Ferrariæ denique pontificia dignitas non tantum Te vocavit, ſed pene coegit, ut ad illam capeſſendam annueres; a qua tam alienum animum tuum ſentiebas, ut ad illam, non niſi ſupremo Jerarcha adſtringente, pervenires. Quot fuerunt modeſtiæ tuæ certamina, totidem evaſerunt obedientiæ triumphi; & dum fugeres quando ad regendum vocabaris, viciſti poſtmodum quando in regimine apparuiſti. Et ita quidem viciſti, ut victæ omnino ad triumphalem currum proſtratæ jacerent, & ambitio ab humilitate dejecta, & avaritia a liberalitate ſubacta, & amor ſui a ſui contemptu omnino ſuperatus. Inter minora, quæ a Te obtinuit epiſcopalis illa Cathedra beneficia numerat, ſe in Archiepiſcopalem evaſiſſe; majora enim oportet ut reputet, & jura ſua a Te invicte defenſa, ut mores ſub

tuo

Digitized by Google

tuo regimine compoſitos, & ſcientias tuo ab exemplo poſtliminio veluti revocatas.

Faxit Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procedunt, faxit, EMINENTISSIME DOMINE, ut quæ una & quidem nobiliſſima Eccleſia recepit, eadem & majora univerſalis Eccleſia exſpectet. Hoc ſane exigit meritorum tuorum amplitudo, hoc Chriſtiani Orbis votum, hoc totius Eccleſiæ deſiderium. Ego vero pro modulo tenuitatis meæ Te deprecor hujuſce munuſculi mei promptum animum non renuendi; ut poſtmodum merear de benignitate voluntatis tuæ gratulari.

L E-

Digitized by Google

LECTORI

PROLOQUIUM.

Paucis Te detinebo, amice Lector. Tot enim tantaque in præcedentibus Voluminibus dixi, ut ea hìc ſolummodo repetens, plenior quam ut quiſquam poſſit exſpectare, alloquutio mea futura ſit. At nihil ex illis repetam; tantum aliqua ad mentem tuam revoco, ut in primævo tuo inſtituto confirmeris, recipiendi ſcilicet quæ ſcribo illo eodem animo, quo ego ſcribo, & Tibi offero.

Ego quidem ſcribo, ut annorum, quos mihi Deus optimus ſuperaddere dignatur, rationem utcunque reddere poſſim, & poſteritati, quæ adveniet, & divinæ Bonitati, quæ confert. Poſteritas videbit, me in hoc mundo non fuiſſe tantum, ſed vixiſſe quoque; quum vitâ, quam vivo, laboribus compleam, & oſtendam. Si vani labores ſunt, defectus eſt ingenii, non finis; ſi opera ſunt inania, culpa eſt mentis, non voluntatis; ſi volumina plura, non plena, deficit quidem vis, ſed non labor.

Deus autem, quod mihi conferre dignatus eſt, hoc colligit. Illud minimum talentum, quod dedit, in lucro poſui, & non aliud quam unum reportans, illud totum ipſi reddo. Si plura dediſſet, majora redderem: proinde ego contentus minimis, & ipſe quoque minima acceptabit.

Tu vero, ſi non eadem reportas in legendo beneficia, quæ in aliorum operum lectione colligis, non proinde accuſabis intentionem, qua ego conor, ut poſſum, Tibi majori ſollicitudine deſervire. Colliges ex aliis, ſi non colligis ex his; & mihi ſat erit alia illa Tibi indicare, ſi neſcis; ut qui non poſſum proprio labore juvare, poſſim ſaltem alieno. Jam experimento comperis, me quolibet anno volumen unum edere, & hoc eſt Octavum. Si Deus poſt annum ſexageſimum nonum, quem modo ago, alios dederit, alia quoque volumina recipies, quæ erunt uſque ad duodecim. Te igitur quam maxime rogo, ut Deum deprecari digneris, ſi alia volumina exſpectas, quod mihi annos protrahat, ut ego quoque in laboribus perſeverem;

& mi-

Digitized by Google

& mihi pariter ſalutem continuet, ut ego in ſcribendo, & in edendo proſequar, quod huc uſque proſequutus ſum, ſed non perfeci, nec complevi.

Denique voluntatem, quam in omnibus, quæ ſcripſi & evulgavi, perpetuo habui, hic renovo; ſubjiciendi nimirum omnia infallibili S. Romanæ Eccleſiæ judicio, a quo me totum pendere, & omnia mea, coram Deo ac toto mundo libentiſſimo ac ſinceriſſimo animo profiteor, & clamo.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO.

MAndato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii obtemperans, legi Octavum Tomum Theologicarum Diſſertationum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Joſepho-Maria Perrimezzi Archiepiſcopo Boſtrenſi, examinis Epiſcoporum à ſecretis, Epiſcoporum examinatore, & Romanæ Inquiſitionis Conſultore, lucubratum, in eoque, quod orthodoxæ fidei, boniſque moribus adverſaretur, nihil offendi, immo doctrinæ robur, atque eruditionis varietatem adeò ſum admiratus, ut non ſolum inoffenſo pede decurri poſſe, verum etiam ampliſſimum fructum, cum animi jucunditate excerpi poſſe, arbitror; quapropter communi literatorum bono publica luce dignum eſſe cenſeo. Datum ex Collegio S. Franciſci de Paula ad Montes poſtridie Kalendas Julii, anno 1739.

F. Antonius Maria Mazzei Ordinis Minimorum Lector jubilatus, Exprovincialis, & Sac. Indicis Congregationis Conſultor.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EXimium ac omnibus numeris absolutum Opus; cui Titulus: *Dissertationes Selectæ Historicæ Dogmaticæ-Scholasticæ. De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento* exaratum ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino D. F. Josepho-Maria Perrimezzi ex Ordine Minimorum Archiepiscopo Bostrensi: Promovendorum ad Episcopatum Examinatore: ac Congregationis ejusdem Examinis à secretis: nec non Romanæ, & Universalis Inquisitionis Consultore; de mandato Reverendissimi P. S. Palatii Magistri pervolvi. Dignum Authore Opus, omnigena sanè sacrarum facultatum doctrina, qua pollet Author, exundat & opus: Nec minimum, quod Fidei, ac morum integritati adversetur, nactus sum: quinimmò, veluti in horto concluso prælibato, omnium Sacrarum Scientiarum flores in promptu Lector habet; unde, quà industris apis, quod magis optat hauriens, *Christi bonus odor fiat*: hinc Theologico-Scholasticæ Disceptationis præsidio, uberrimum lumen, quo Eucharistiæ Mysterium, ac manna absconditum pervadat, assequitur: illinc Moralis Theologiæ ductu, ad dirigendos erga cælestem Patriam, cujus Eucharistia est pignus, gressus suos instruit; Ex Dogmaticis, & Historicis Dissertationibus, mille clypeos, veluti ex mystica arce sint pendentes, depromit: Eapropter pro operis merito; ac pro expeditiori assequendarum scientiarum beneficio, prælo consignari operæ pretium duco. Romæ ex Ædibus S. Silvestri in monte Quirinali die 1. Julii A. 1739.

D. Franciscus Antonius Cavalcanti Procurator Generalis Clericorum Regularium: Consultor Sac. Congregationis Indulgentiarum: Qualificator S. Romanæ & Universalis Inquisitionis; & Theologus E.E. Cardinalium Firrao, & Passari.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO.

INoffenso oculo, maximaque oblectatione perlegens Dissertationum Selectarum Octavam Partem, quam Illustrissimus & Reverendissimus D. D. Joseph-Maria Perrimezzi Archi-Episcopus Bostrensis, Episcoporum Examinator, & Congregationis Examinis Episcoporum a Secretis, nec non S. R. ac Generalis Inquisitionis Consultor conscripsit, nihil reperi, quod Ecclesiasticæ Historiæ veritati, Dogmatis integritati, & Theologicæ disciplinæ candori gravitatique dissentiat: Immò oculatissimam doctrinam, & fervens pro Religione tuenda mentis acumen, ingeniumque in commune bonum exercitum semper & impigrum. Opus itaque præclarissimum Auctoris censuræ meæ a Reverendissimo Patre Sacri Palatii Apostolici Magistro demandatum lubens approbo, &, ut ad omnium utilitatem in lucem prodeat dignissimum censeo. Romæ ex Monasterio S. Bernardi ad Thermas hac die 10. Julii 1739.

D. Valentinus Valentini Abbas, & Procurator Generalis Monachorum S. Bernardi Ordinis Cistercienſis, Episcoporum Examinator.

Digitized by Google

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici,

Ph. Spada Archiep. Theodoſiæ Viceſger.

Imprimatur.

Fr. Joachim Pucci Mag. Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Apoſtolici Palatii Ord. Prædicatorum.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO CCCCI.

De Sacramento Eucharistiæ. Quænam ipsius nomina? Quæ Definitiones, per quas ejus essentia metaphysica explicatur? Pag. 1.

DISSERTATIO CCCCII.

De Eucharistia. An sit Sacramentum? An sit Sacramentum permanens? 5.

DISSERTATIO CCCCIII.

De Eucharistia. An sit Sacramentum permanens, vel transiens? An Consecratio sit quid intrinsecum Sacramento? An sint species panis & vini? An sint Corpus & Sanguis Christi? 12.

DISSERTATIO CCCCIV.

De materia Sacramenti Eucharistiæ. Quænam sit ejus substantia? Quæ quantitas? Quæ qualitas? 21.

DISSERTATIO CCCCV.

De materia Eucharistiæ. An Christus in Azymo consecraverit? An valeat Consecratio in Azymo, sive Fermentato? An liceat? 31.

DISSERTATIO CCCCVI.

De Materia Eucharistiæ. An in Ecclesia Orientali fuerit semper peracta Consecratio in fermentato? An in Latina fuerit semper facta in azymo? An propter aliquorum Hæreticorum hæresim fuerit aliquando omissa in utraque Ecclesia Consecratio, sive in azymo, sive in fermentato? 38.

DISSERTATIO CCCCVII.

De altera Eucharistiæ materia, quæ est vinum. Qui circa hoc fuerint errores, & quæ sit Ecclesiæ fides? An debeat esse aqua temperatum? Quo jure sit hujusmodi temperatio? Et quomodo aqua in Christi sanguinem transmutetur? 43.

DISSERTATIO CCCCVIII.

De inadæquata Eucharistiæ materia, quæ est vinum. An vinum debeat esse vitigineum? An valeat Consecratio, si fiat in agresta, vel in botro? An sit valida, si fiat in musto, vel in aceto? 52.

DISSERATIO CCCCIX.

De forma Sacramenti Eucharistiæ. An Christus instituerit formam pro Eucharistiæ consecratione? An hæc forma consistat in verbis? Et in quibus verbis? 55.

DISSERTATIO CCCCX.

De reali præsentia Christi in Eucharistia. Qui eam antiquis temporibus abnegarunt? Qui media ætate impugnarunt? Et qui postremo ævo Novatores ipsam inficiati sunt? 61.

DISSERTATIO CCCCXI.

De reali præsentia Christi in Eucharistia. Quomodo probetur ex Scripturis, & præcipue ex figuris in veteri testamento præcedentibus? Quomodo ex promissione Christi? Quomodo ex ejusdem Christi institutione? 66.

DISSERTATIO CCCCXII.

De præsentia reali Christi in Eucharistia. Quomodo probetur ex Traditione? Quomodo ex Præscriptione? Quomodo ex Scriptorum consensu? 73.

DISSERTATIO CCCCXIII.

De præsentia reali Christi in Eucharistia. Quo-

Digitized by Google

Quomodo probetur ex humana ratione non impossibilitatis præsentiæ ejusdem? Quomodo ex consensione utriusque Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis? Quomodo ex Gentilium loquendi modo circa ipsam? 80.

DISSERTATIO CCCCXIV.

De modo existendi Christi in Eucharistia. An sit per Impanationē? An sit per Consubstantiationem? An sit per Transubstantiationem? Et quomodo hæc explicetur? 90.

DISSERTATIO CCCCXV.

De speciebus panis & vini in Eucharistia. An post Consecrationem remaneant in Eucharistia, species panis, & vini? An nomine specierum intelligantur accidentia Aristotelica? An intelligantur species, prout a modernis Philosophis explicantur? 100.

DISSERTATIO CCCCXVI.

De adoratione Christi in Eucharistia. Qui fidei hostes adorationem Christi in Eucharistia negarunt? Quæ Catholicorum argumenta, quibus eadem adoratio vindicatur? An extra sacrificium reservari possit Eucharistia, ut ad adorationem proponatur? Vel ut fidelibus ministretur? Vel ut ad absentes, præcipue infirmos, deferatur? 115.

DISSERTATIO CCCCXVII.

De adoratione Christi in Eucharistia. De Festivitate Corporis Christi; a quo, & per quid instituta? De processione Corporis Christi; a quo, & quando instituta? De publica expositione Corporis Christi, a quo primum instituta, & per quid, & quomodo facienda? 124.

DISSERTATIO CCCCXVIII.

De ordinariis Eucharistiæ Ministris. An fuerint soli Episcopi? An sint etiam Sacerdotes? An Sacerdotes dispensare illam possint extra Missæ sacrificiū? 134.

DISSERTATIO CCCCXIX.

De extraordinariis Ministris in dispensanda Eucharistia. An Diaconi olim in utraque Ecclesia Eucharistiam dispenaverint? An dispensaverint Clerici minores? An dispensaverint Laici. 139.

DISSERTATIO CCCCXX.

De Eucharistiæ Subjecto. An Eucharistia dispensari possit Infantibus? An dispensari debeat Energumenis? An dispensari possit Amentibus? 144.

DISSERTATIO CCCCXXI.

De subjecto Eucharistiæ. An conferri possit Eucharistia mortuis? An ultimo supplicio damnatis? An omnibus & quibuscunque morituris? 149.

DISSERTATIO CCCCXXII.

De subjecto Eucharistiæ. An extra mortis necessitatem concedi debeat Eucharistia publico Peccatori? An Peccatori occulto? An illi, qui pollutionem, aut fornicationem mortalem commisit intra eandem diem, etiamsi sequatur confessio illius peccati? 163.

DISSERTATIO CCCCXXIII.

De subjecto Eucharistiæ. An sit ministranda Eucharistia Conjugatis, qui conjugalem copulam præcedenti nocte habuerunt? An sit danda mulieribus patientibus sanguinis fluxum, vel tempore menstrui, aut partus? An possint eam petere, & suscipere Conjugati qui conjugalem copulam voluptatis causa exercuerunt? 158.

DISSERTATIO CCCCXXIV.

De subjecto Eucharistiæ. An in suscipientibus Eucharistiam necessario status gratiæ requiratur? An & quomodo peccet qui conscientia peccati ad Eucharistiam percipiendam accedit? An præceptum præmittendi Confessionem sit mere humanum? 162.

DISSERTATIO CCCCXXV.

De subjecto Eucharistiæ. An possit dari casus, in quo quis possit sumere Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis? An Sacerdoti sufficiat contritio? An qui morti est proximus, & Confessarii copiam non habet, possit sine confessione licite Eucharistiam sumere? 168.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXVI.

De jejunio, quod Communioni eucharisticæ est præmittendum. Qua lege jejunium naturale ad Communionem eucharisticam præmitti debeat? An sint casus, in quibus liceat Eucharistiam non jejunis dispensare? An qui contrarium faciunt gravi peccato teneantur? 171.

DISSERTATIO CCCCXXVII.

De necessitate Eucharistiæ. An sit necessaria necessitate medii? An sit necessaria necessitate præcepti, divini, vel ecclesiastici? 177.

DISSERTATIO XXVIII.

De necessitate Eucharistiæ. An expediat frequens Eucharistiæ communio? An ita fuerit apud antiquos fideles? An præsenti tempore ita possit esse, vel debeat? 184.

DISSERTATIO CCCCXXIX.

De Communione sub utraque specie? Quinam fuerint, & quinam sint Hæreticorum errores, circa Communionem sub utraque specie? Quænam Ecclesiæ leges? Et quæ antiqua praxis, & consuetudo? 189.

DISSERTATIO CCCCXXX.

De Communione sub utraque specie. An prævaleant exempla antiquitatis circa utraque speciem in Communione exemplis circa unam speciem tantum? An usus Calicis possit ab Ecclesia restitui? An debeat, vel possit a Fidelibus peti, & impetrari? 197.

DISSERTATIO CCCCXXXI.

De Communione sub utraque specie. Quid sit Communio Laica? Quid sit communio Peregrina? Et an alteri utra aliquam habeat connexionem cum communione, vel sub una, vel sub utraque specie? 204.

DISSERTATIO CCCCXXXII.

De unitate Sacramenti Eucharistiæ. An Eucharistia sit unum specie Sacramentum? An sit unum numero? & unde hæc specifica, vel numerica unitas, sit desumenda? 210.

DISSERTATIO CCCCXXXIII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. An Eucharistia operetur remissionem peccatorum? An a futuris peccatis præservet? An conferat gratiam, & gloriam? 215.

DISSERTATIO CCCCXXXIV.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. Quinam sint obices, qui ad impediendos Eucharistiæ effectus poni possint? Quo temporis momento Eucharistia suos effectus operetur? 224.

DISSERTATIO CCCCXXXV.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. An Eucharistia remittat pœnam peccatis debitam? An Eucharistia prosit corpori, & non tantum animæ? An prosit aliis ex opere operato? 230.

DISSERTATIO CCCCXXXVI.

De Sacrificio Missæ. Quid sit Sacrificium in genere? Quotuplex sit? An in qualibet Religione fuerit? 234.

DISSERTATIO CCCCXXXVII.

De Sacrificio Missæ. Quænam fuerint, & sint, Sacrificii Missæ nomina? Quinam fuerint, & sint, Sacrificii Missæ hostes? 239.

DISSERTATIO CCCCXXXVIII.

De Sacrificio Missæ. Quomodo probetur Sacrificium Missæ ex veteri Testamento? Quomodo probetur ex novo? Quomodo probetur ex Traditione? 244.

DISSERTATIO CCCCXXXIX.

De Sacrificio Missæ. Quæ sint Adversariorum Argumenta contra ipsum ex Scripturis, & quæ responsa? Quæ ex Pontificibus Romanis, & Conciliis, & quæ responsa? Quæ ex Patribus, & quæ responsa? 250.

DISSERTATIO CCCCXL.

De Sacrificio Missæ. Quænam sit essentia Sacrificii Missæ? An sit propitiatorium, & impetratorium, & satisfactorium? 257.

DIS-

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO CCCCXLI.

De Subjecto Sacrificii Missæ. An subjectum Sacrificii Missæ sunt omnes viventes? An sint omnes mortui? An pro omnibus operetur, & quomodo? 265.

DISSERTATIO CCCCXLII.

De Ministro Sacrificii Missæ. Utrum Ministri Sacrificii Missæ sint soli Sacerdotes? Quando teneantur Sacrificium offerre? Et quis in Sacrificio sit principalis offerens, & qui Ministri? 270.

DISSERTATIO CCCCXLIII.

De Missis privatis. De erroribus contra ipsas, & de ipsorum Authoribus. An sint antiquæ? An sint licitæ? 275.

DISSERTATIO CCCCXLIV.

De Missa Parochiali. Quid de ea Jus vetus statuerit? Quid Jus novum? Quid Romanorũ Pontificum Privilegia? 280.

DISSERTATIO CCCCXLV.

De Missæ stipendio. An sit licitum? An sit antiquum? In qua quantitate esse debeat? 283.

DISSERTATIO CCCCXLVI.

De Valore & Fructu Missæ. An valor Missæ sit infinitus? Fructus Missæ quotupliciter dividatur? An Missa possit offerri pro pluribus? 287.

DISSERTATIO CCCCXLVII.

De Præcepto audiendi Missam. Quo Præcepto teneantur fideles Missam audire? Quibus ex caussis ab hoc Præcepto eximantur? In quibus casibus Præcepto non satisfaciant? 290.

DISSERTATIO CCCCXLVIII.

De tempore celebrandi Missam. Qua die teneantur Sacerdotes Missam celebrare? Qua die celebrare illam non possint? 292.

DISSERTATIO CCCCXLIX.

De loco, in quo Missa celebrari debeat. An in Templis? An in Altaribus? An in alio aliquo loco? 295.

DISSERTATIO CCCCL.

De Cæremoniis sacrificii Missæ. An sint necessariæ? An sint præceptivæ & quatenus obligent? An sint directivæ, & quatenus non obligent? 301.

Digitized by Google

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ

PARS OCTAVA.

DISSERTATIO CCCCI.

De Sacramento Eucharistiæ. Quænam ipsius nomina? Quæ Definitiones, per quas ejus essentia metaphysica explicatur?

QUÆCUNQUE a Christo Domino instituta sunt Sacramenta, ea omnia licebit ingentia amoris sui miracula, nuncupare; tot autem, tantique amoris miracula unum Eucharistiæ Sacramentum, adeo excedit, ut in ipso divina Charitas mirabilium suorum memoriam faciens, miraculorum omnium maximum manifestaverit. Hinc, si per cætera Sacramenta Gratiam nobis conferre dignatus est, qua Filii Dei nominemur, & simus; per Eucharistiam tamen non tantum Gratiam, sed & Gratiæ Auctorem, seipsum scilicet, sic nobis exhibuit manducandum, atque bibendum, ut vere nos in ipso, & ipse in nobis manere, atque adeo ipsi quodammodo incorporari, diceremur. Quum dilexisset proinde suos, quorundam Sacramentorum institutione, in finem dilexit eos; quando Eucharistiam instituens, finalis amoris pignus, ultimumque charitatis suæ testimonium, nobis adeo reliquit, ut nil aliud ostenderet penes se esse, quod nobis tradere posset, si post tot, tantaque dona collata, seipsum denique Donatorem dono dedit. Obstupentes iccirco Patres in hujus divini Amoris contemplando, ut sic dicamus, Paradoxo, quæ encomia ipsi non tribuerunt, ut infinitæ Charitatis excessum manifestarent? Unum præ cæteris sufficiat audire Bernardum, cujus quanto simplicia videntur, tanto & amore plena sunt verba: Sanctum scilicet Sanctorum, hoc Sacramentum appellans, Sacramentum Sacramentorum, Amorem Amorum,

Digitized by Google

dulcedinem dulcedinum : Quæ & illis Augustini affinia sunt verba, quibus de Deo, Eucharistiam instituente, sic fidenter est alloquutus : Quum esset potentissimus, plus dare non potuit; Quum esset ditissimus, plus dare non habuit ; Quum esset sapientissimus, plus dare nescivit. Quæ sane sufficere judicamus, ut corda nostra ad amorem benignissimi Redemptoris adeo accendantur, ut in tanti Sacramenti, ab eo pro nobis amantissime instituti, cognitione comparanda impensissime desudemus. Ea enim amabimus mensura, qua cognoscemus; Et si Sacramentum hoc, quia Amoris præcipue est, non aliter quam Amore quis digne prosequitur, opus est prius, si eum volumus amore prosequi, ut & ipsum cognitione prosequamur.

Ut ad nomina Sacramenti hujus deveniamus, non loquimur hìc de nominibus periphrasticis, quibus in hujusmodi Sacramenti laudes Sancti Patres excurrunt. Et quis hæc numerare, immo etiam poterit indicare? Quum ferè omnes in illius commendationem plurimas, easque illustres, appellationes concedere conati sint? Ignatius Martyr a nascentis Ecclesiæ exordio antitodum mortis, pharmacum immortalitatis appellavit; Panem beatitudinis Origenes: Eucharistiam medicam Tertullianus: pheretrum mortalitatis Anphylochius junior: Panem beatificantem Athanasius: æternæ vitæ cibarium Chrysologus: Alimoniam immortalitatis, & vitæ æternæ portionem Cyprianus: Omnium novitatum novitatem Hieronymus: Omnium officinam miraculorum Damascenus: Ita cæteri quique Patres in eodem Sacramento commendando, atque extollendo convenientes, loquuti sunt. Nos autem ea tantum nomina perstringentes investigabimus, quæ ad institutum nostrum, & ad majorem dicendorum cognitionem conferre poterunt, adducemus; Et hæc, quæ modo adduximus, ostendisse tantum, contenti sumus.

Primo igitur, hoc Sacramentum dicitur Eucharistia a verbo græco Εὐχαριστῶ, quod latine bonam gratiam significat; vel a verbo græco Εὐχαριστέω, quod latine importat gratiarum actionem; Εὐ enim sonat *bene*, & χάρις *gratiam*; & Εὐχαριστέω idem est ac *gratias ago*. Porro Bonagratia appellatur Sacramentum hoc, vel quia Christum continet, qui vera gratia est, & gratiarum omnium fons: vel quia significat vitam æternam, de qua scriptum est: *Gratia Dei vita æterna*. Gratiarum etiam actio dicitur, vel quia in ejus institutione, Christus gratias egit, Matthæi XVI: *Accipiens panem fregit, ac gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum*: vel quia in hujus sacramenti usu gratias Deo, propter illius in nos beneficia, agimus: Unde, Augustinus in epist. ad Dardanum: *Nosti autem, in quo sacrificio dicatur, gratias agamus Domino Deo nostro*.

Secundo, dicitur Panis, vel ratione materiæ, ex qua conficitur: Unde Joannis 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: Vel ratione specierum panis, quæ post consecrationem remanent, unde extrinsecus formam, & figuram panis exhibent; quemadmodum Genesis 18. & 19. Angeli in humana specie apparentes homines dicuntur: Vel quia sicut panis corpus alit, ita Christus animam nutrit. Panis etiam fractio dicitur, quia in Scripturis, panem frangere idem est, ac panem comedere; ut Actorum 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: Et Lucæ 24. discipuli in Castellum Emmaus euntes, *cognoverunt Dominum in fractione panis*.

Tertio, vocatur, vel ratione significati corpus, & sanguis Christi: vel ratione significati simul, & signi, Sacramentum corporis, & sanguinis Christi: Primo modo eam vocavit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 8. *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*: Secundo modo eam dixit Augnstinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 24. *Quid aliud etiam, qui Sacramentum mensæ dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est, Ego sum panis vitæ?*

Quarto, vel ratione loci, in quo celebratur, & conficitur, dicitur Sacramentum Altaris; Ut Augustinus epist. 50. Vel ratione suscipientium, dicitur Sacramentum fidelium, ut idem Augustinus serm. 2. de verbis Apostoli cap. 1. quia scilicet, & soli fideles sunt hunc percipiendi capaces; & solis fidelibus antiquitus licebat audire, quæ de hoc sacramento dicebantur; & quia demum hoc sacramento præcipue fidelium unitas perficitur, fides ostenditur.

Quin-

Digitized by Google

Quinto, dicitur Communio, hoc eſt communis fidelium unio, & inter ſe, & cum Chriſto; ut habet Apoſtolus prima ad Corinthios 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Et Cyprianus epiſt. 54. *At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt; nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus; & cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra Adverſarium voluimus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti Sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et Chryſoſtomus homil. 24. in primam ad Corinthios ad illa verba Apoſtoli: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* hæc ſcribit: *Cur non dixit, participatio? quoniam voluit aliquid amplius ſignificare, & magnam indicare conjunctionem. Non ſolum enim communicamus, eo quod ſumus participes, & ſumimus, ſed etiam eo quod uniamur .... Quid enim, inquit, dico communicationem? ſumus ipſum illud corpus. Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt, qui ſumunt? Corpus Chriſti: non corpora multa, ſed unum corpus.* Ut hanc communionem oſtenderent majores noſtri, particulas, ex eadem panis conſecrati mole exciſas, plebi communicaturæ tradere ſolebant; Unde & illæ, quæ populo dantur particulæ dictæ ſunt; Qui mos etiam modo apud Orientales durat, qui non plures panes conſecrant, ſed unum tantum, qui in particulas diviſus toti populo ſufficiat. Cæterum hoc communionis nomen, quanvis proprie Euchariſtiæ conveniat, in ſacris tamen Canonibus, & in Eccleſiaſticis Scripturis, non raro ſumitur pro omni eo, in quo homines ſecum invicem communicant, ſive ad civilem ſocietatem pertineat, ſive ad eccleſiaſticam.

Sexto, dicitur Synaxis, ideſt conventus, ſeu congregatio; vel quia præcipue fidelium conventus fiunt, ad hoc Sacramentum, quando venerandum, & quando participandum; vel quia eſt Sacramentum unitatis, pacis, & concordiæ inter fideles; ut aſſerunt Author libri de eccleſiaſtica hierarchia cap. 3., & Sanctus Ignatius Martyr epiſt. ad Epheſios.

Septimo, vocatur Eulogia, ſeu Benedictio; quia hoc myſterium per benedictionem, vel conſecrationem fuit a Chriſto confectum, & modo a Presbyteris conficitur, ut S. Cyrillus Alexandrinus in epiſt. ad Neſtorium. Verum nonnunquam Eulogiæ ab Euchariſtia diſtinguuntur, quatenus ſignificant particulas exciſas ex panibus oblatis a populo, qui licet conſecrati non eſſent, peculiari tamen benedictione ſanctiores facti fuerant; eaſque particulas Epiſcopi fidelibus diſtribuebant, qui ob aliquam cauſam, quæ ipſorum culpa non erat, ab Euchariſtia recedebant. Dabantur etiam Eulogiæ ad communionem Eccleſiarum inter ſe oſtendendam, de qua multi canones intelliguntur, præcipue Canon 15. Concilii Laodiceni.

Octavo, dicitur Cœna Domini, vel Cœna dominica, ratione temporis, & horæ, quibus hoc Sacramentum inſtitutum eſt. Ea tamen vox apud Patres frequens non eſt, quia fideles ab ipſo Eccleſiæ exordio jejuni ad Euchariſtiam accedebant; Et hujus cœnæ figura eſt cœna illa, cujus parabolam Chriſtus Dominus propoſuit Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.*

Nono, dicitur Menſa Domini, vel quia fideles ad altaris cancellos, tanquam ad ſacram menſam communicaturi accedebant, ut habet Apoſtolus 1. ad Corint. 10., vel quia poſt ſuſceptam Euchariſtiam fideles ſolebant ad communes epulas convenire, in quibus pauperes a ditioribus reficiebantur, & quæ agape dicebantur; & de his infra fuſius dicturi ſumus.

Decimo, Viaticum appellatur, quando ſcilicet Sacerdos ægrotanti cum mortis periculo eam elargitur, & hæc verba profert: accipe frater Viaticum &c. Viaticum autem idem eſt, ac cibus itinerarius, quia hoc cibo munimur ad iter

Digitized by Google

iter peragendum, quo ad æternitatem pergimus. Verum aliquando Viatici nomen in Conciliis, & Patribus tribuitur Sacramento pœnitentiæ, ut legere est in Can. 13. Concilii Nicæni I. & in epist. Innocentii Papæ I ad Exuperium Tolosanum cap. 2. Hujus nominis figura legitur 3. Regum 19., ubi Angelus dixit Eliæ: *Surge, comede: Grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* De eo etiam loquuntur Patres Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio: *Alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id, & vidisset ipse, & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si Mysteriorum hujusmodi cum pura, ac munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacrum, hinc recta in cœlum abducuntur*: S. Hieronymus ad cap. 15. S. Matthæi: *Non vult eos Jesus dimittere jejunos, ne deficiant in via. Periclitatur ergo, qui sine cœlesti Pane ad optatam mansionem pervenire festinat. Unde, & Angelus loquitur ad Eliam: SURGE, & manduca, quia grandem viam ambulaturus es*: S. Gaudentius Tractatu 2. in Exodum: *Hoc illud est Viaticum nostri itineris, quo in hac vita alimur, ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus, de hoc seculo recedentes. Unde dicebat idem Dominus: Nisi manducaveritis meam Carnem, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis.*

Pro secunda Dissertationis parte, in qua quæritur essentia metaphysica Eucharistiæ Sacramenti, quia hæc ostenditur per definitionem, ideo ejusdem definitiones a recentioribus Theologis scriptas afferimus, & easdem Legentibus observandas remittimus, si quid aliud observatione dignum in eis est, ultra observationes, quas nos hic adnectimus. Juenius sic definit Eucharistiam: Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Panis, & Vini, ad spiritualem fidelium refectionem ab ipso Christo institutum. Natalis Alexander definit etiam: Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi ad spiritualem fidelium alimoniam a Christo institutum. Cacheranus hoc etiam pacto definit: Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Panis, & Vini, significativum, & causativum gratiæ per modum alimenti, refectionisque spiritualis.

In his definitionibus, seu potius descriptionibus, ut plurimum inter se convenientibus, videntur plura, ut certa, affirmari, alia innui, & quæ majori explicatione indigent, atque probatione. Primo affirmatur, quod sit Sacramentum, & in hoc conveniunt omnes, sicut per eamdem vocem cum aliis Sacramentis hoc Sacramentum convenit, adeoque dici potest, quod stet loco generis. Secundo innuitur, quod hoc Sacramentum consistat in Corpore, & Sanguine Christi sub speciebus panis, & vini, sed non determinatur in quonam ex his, & an in utroque consistat? Tertio innuitur quoque, quod sit ad spiritualem fidelium refectionem, sed non affirmatur, an hæc spiritualis refectio ad Sacramenti essentiam pertineat? Quarto tandem affirmatur, quod sit a Christo Domino institutum, & in hoc Catholici omnes conveniunt. At quia hæretici plura, in quibus Catholici conveniunt, temere inficiantur; ideo & contra hos, quæ apud nos certa supponuntur, probare opus est, & alia, quæ inter nos controvertuntur, oportet etiam examinare.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCII.

De Eucharistia. An sit Sacramentum? An sit Sacramentum permanens?

ETsi Gentiles fere omnes, Judęi, Mahumetani, Sacramentum hoc totis viribus persequuti & execrati fuerint; inter Hæreticos tamen, sive antiquos, sive recentes, vix aliquem inveniemus, qui hoc Sacramentum existere inficiatus fuerit. Et quidem de modernis Hæreticis certum est inter Eruditos, neminem Eucharistiam Sacramentum esse negasse, quanvis in ipsa explicanda innumeras commenti fuerint falsitates. De antiquis idem judicium habet Vasquez, quem communiter sequuntur Scriptores; quanvis Suarez putaverit, Archonticus, Messalianos, Bogomilos, Petrobusianus, Sacramentum hoc de medio etiam abstuliſſe. Archontici, ex Valentinianorũ fæce progeniti, quemadmodum Asconderiti, qui secundo seculo floruerunt, omnia Ecclesiæ Sacramenta rejecerunt, tanquam superflua, & improportionata inter visibile signum, & invisibilem gratiam; ut habet Dominicus Berninus in suo Opere Historiæ omnium hæresum, seculo secundo cap. 9. Et sic intelligendi sunt Epiphanius hæres. 40. & Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 1. Messaliani vero seu Massaliani, ex Arianis oborti, & qui quarto seculo florebant, Sacramentum Eucharistiæ non negabant, sed virtutem & efficaciam ipsius ad sanctificandum, ut ait Vasquez, quemadmodum de omnibus Sacramentis loquebantur, virtutem illam soli orationi tribuentes; sicuti testatur Berninus seculo 4. cap. 7. & ita etiam intelligi debent Theodoretus lib. 4. hist. cap. 10. & Coccius tract. 2. lib. 7. art. 3. Bogomili, Basilio Medico Authore, seculo 12. sic dicti quasi Deum precantes, hi porro, ut asserit Vasquez, non omnino negabant Eucharistiæ Sacramentum, sed illud nihil aliud esse dicebant, quam Orationem dominicam, & Evangelium. Et hoc quidem quanvis contra veram naturam cujuslibet Sacramenti sit, itaut ipsum e medio tollat; tamen hoc solum non est expresse negare hoc Sacramentum; alioquin hæretici omnes nostrorum temporum negarent; quia contra ipsius naturã plura docent. Et ita intelligi debent Euthimius in secunda parte Panopliæ tit. 23. cap. 17. & Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia hæres. 238. referens hunc Bogomilorum errorem, dicit: *Mysticum venerandum Sacramentum contemnunt, ut hodie Lutherani*: contemnere autem non est negare, quemadmodum Lutherani non negant. Petrobusiani denique, qui fuerunt discipuli Petri de Bruis, & qui floruerunt in Gallia sub Honorio II. ut tradit Sanderus lib. 7. cit. hæres. 142. præsentiam tantum negaverunt Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, sicut negavit Berengarius, non vero hoc Sacramentum existere inficias iverunt. Hoc constat ex verbis Epistolæ ejusdem Petri de Bruis, quæ est secunda §. *Contra id quod dicunt, Missam nihil esse &c.* quam refert Petrus Cluniacensis lib. 1. Epist. 1. & ita etiam idem Petrus Cluniacensis est intelligendus, ut Vasquez ostendit.

Tandem si his adjungantur Donatistæ, qui hoc Sacramentum canibus projecerunt: dicitur quoque, quod Donatistæ non absolute hoc Sacramentum de medio tollere volebant, sed illud, quod Catholici confecerant, quod solummodo aspernabantur. Ut de Confirmationis Sacramento suo loco dictum est. Adeo ergo constans est, Eucharistiam Sacramentum esse, etiam inter hæreticos, ut illi, qui unicum tantum Sacramentum admiserunt, hoc Eucharistiam esse dixerint; ut tradit Bellarminus

Digitized by Google

minus lib. 2. de Sacramentis cap. 24. Quinimmo Mahumetes, ut notat Prateolus parte 2., qui in suo Alcorano omnes evangelicas veritates abjecit, vel fœdavit, tamen cap. 4. fatetur, hoc Sacramentum esse veneratione dignum. Tandem quanvis judicium Svaresii sequatur Valentia, sententiam tamen Vasquesii sequuntur Lugus, Frassen, Gonetus, Cacheranus, aliique communiter; unde stat, quod nullus omnino hæreticus Eucharistiæ Sacramentum esse negaverit; licèt contra aliud quodque Sacramentum tot hæreses, & tot hæretici, infinitos de illo errores comminiscentes, non surrexerint, quot contra Eucharistiæ Sacramentum; ut in sequentibus videbimus.

Dicimus I. Eucharistiam esse Sacramentum.

I. Probatur ex Scripturis. In pluribus novi Testamenti locis invenitur Eucharistiæ tributum quidquid ad Sacramenti rationem requiritur; ut esse signum sensibile, a Christo permanenter institutum ad significandam, & causandam gratiam. Dicitur enim Joannis 6. *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita .... qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & bibentis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In quibus verbis nomine panis importatur aliquod sensibile; & nomine vitæ æternæ intelligitur gratia, quæ est vita spiritualis animæ. Item Matthæi 26. *accepit Jesus panem & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis; & ait: accipite & comedite: hoc est corpus meus.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. Can. 18. expresse hoc docet: *Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod in locis quibusdam & Civitatibus Presbyteris gratiam sacræ Communionis Diaconi porrigant. Hoc neque Canon, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, dent Corpus Christi. Et lib. 3. cap. de divina mensa, & de eo, quod in ipsa est, mysterio Corporis & Sanguinis Christi: Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius Corpus, & sanguinem nos vere sumentes, credere, hæc esse nostræ resurrectionis symbola: propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum: ut sciamus, quod non sanietati, sed sanctimoniæ sumimus.* Concilium Constantinopolitanum VI. Act. 8. „ Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas, & sanctificamur, participes effecti tam sanctæ carnis, quam pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrorum Salvatoris: & non ut communem carnem suscipimus, absit: neque iterum, ut viri sanctificati, & copulati Verbo, per unitatem dignitatis, sive, ut divinam inhabitationem habentis, sed sicut vere vivificatricem, ut propriam ejusdem Verbi. „ Concilium Trullense can. 26. „ Presbyter per ignorantiam illicitis nuptiis implicatus, nec publice, nec privatim benedicat, nec Christi corpus aliis distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat. „ Canon. 102. „ Corpus Christi & templum, hominem ad imaginem Dei creatum divinus Apostolus magna voce appellat. Omnem ergo sensibilem creaturam superans is, qui salutari passione cœlestem dignitatem est assecutus, Christum bibens vel comedens, æternæ vitæ adaptatur, animam, & corpus divinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in Crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. „ Concilium Lateranse IV. sub Innocentio III. cap. 1. „ Christi corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, & transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina, ut percipiendum mysterium unitatis accipiamus, ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro: „ Et refertur in cap. *firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica.* Concilium Constantiense sess. 13. „ Firmissime credendum est, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini, veraciter contineri. „ Concilium Florentinum sess. 25. „ Hoc sacro uni-

„ ver-

Digitized by Google

„ verſali approbante Florentino Concilio definivimus, ut hæc fidei veritas „ ab omnibus Chriſtianis credatur, & „ ſuſcipiatur, in azymo ſive fermento „ pane triticeo Corpus Chriſti veraciter „ confici &c. Sacerdos in perſona Chriſti veraciter conficit hoc Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, „ & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.„ Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. „ Quoniam autem „ Chriſtus, Redemptor noſter, corpus „ ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit, ideo perſuaſum „ ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque „ nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & „ vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis „ ejus: quæ converſio convenienter & „ proprie à ſancta Catholica Eccleſia „ Tranſubſtantiatio eſt appellata. „ Et Can. 1. „ Si quis negaverit in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri vere; realiter, & ſubſtantialiter, „ corpus & ſanguinem, una cum anima & „ divinitate, Domini noſtri Jeſu Chriſti, „ ac proinde totum Chriſtum: ſed dixerit, „ tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, „ vel figura, aut virtute: anathema ſit.

III. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 4. cap. 34. „ Quomodo autem conſtabit eis, cum panem, in quo „ gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini „ ſui, & Calicem ſanguinis ejus; ſi non „ ipſum fabricatoris mundi Filium dicant, ideſt, Verbum ejus, per quod „ lignum fructificat, & defluunt fontes, „ & terra dat primum quidem fœnum, „ poſtea deinde ſpicam, deinde plenum „ triticum in ſpica? Quomodo autem „ rurſus dicunt carnem in corruptionem „ devenire, & non percipere vitam, quæ „ a corpore Domini & ſanguine alitur? „ &c. Quemadmodum enim qui eſt a „ terra panis percipiens invocationem „ Dei, jam non communis panis eſt, ſed „ Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, „ terrena & cœleſti: ſic & corpora noſtra, „ percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt „ corruptibilia, ſpem reſurrectionis habẽtia. „ Origenes lib. 8. contra Celſum: „ Quocirca Celſus, ut Dei ignarus, gratias demonibus reddat, nos vero conditori omnium Deo gratias agentes, „ & pro collatis ejus in nos beneficiis, „ actis gratiis, oblatis panibus veſcimur, „ qui utique per precem efficiuntur corpus ſanctum, & ſanctificans eos, qui „ ſano propoſito, & mente ipſa utuntur. „ Baſilius Magnus exhortatione de Baptiſmo ad finem: „ Debemus itaque attendere, quod ſit judicium ejus, qui indigne edit ac bibit. Nam ſi qui fratrem quoque per cibum contriſtat, a „ charitate excidit, ſine qua magna quoque chariſmata, & juſtificationes quoque operantia nihil proſunt; quid de „ eo dicendum eſt, qui otioſe & inutiliter edere audet corpus, & bibere ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti? & „ & hac ratione plus aliquanto contriſtat, & infeſtat Spiritum Sanctum, dum „ ſine ſocia charitate veſcitur? Judicemus itaque hoc, ne nobis ipſis vivamus, ſed ei, qui pro nobis mortuus „ eſt, & reſurrexit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, edamus ac bibamus. Oportet igitur accedentem ad corpus & „ ſanguinem Domini, ad rememorationem ejus, qui pro nobis eſt mortuus, „ ac reſurrexit, non ſolum purum eſſe „ a quovis inquinamento carnis, ac ſpiritus, ne ad judicium edat ac bibat, „ ſed & evidenter oſtendere & exprimere memoriam ejus, qui pro nobis „ mortuus eſt, & reſurrexit. „ Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. Myſtagogica: „ Panis Euchariſtiæ, poſt „ Spiritus Sancti invocationem, non „ amplius eſt panis communis, ſed eſt „ corpus Chriſti. „

IV. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus epiſt. 54. „ At vero nunc non „ infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria „ eſt; nec morientibus, ſed viventibus „ communicatio à nobis danda eſt, ut „ quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & Corporis Chriſti muniamus: & cum ad „ hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe „ contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quo modo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis, „ ſanguinem ſuum ſi non fundimus? aut „ quo modo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini „ jure communicationis admittimus? „ Hilarius lib. 8. de Trinit. „ Si vere „

„ Ver-

„ *Verbum caro factum est*, & nos vere „ Verbum carnem cibo dominico sumi- „ mus, quomodo non naturaliter ma- „ nere in nobis existimandus est, qui & „ naturam carnis nostræ jam inseparabi- „ lem sibi homo natus assumpsit, & na- „ turam carnis suæ ad naturam æternita- „ tis, sub Sacramento nobis communi- „ candæ carnis, admiscuit? Ita enim „ omnes unum sumus: quia in Christo „ Pater est, & Christus in nobis est &c. „ De naturali Christi in nobis veritate „ quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stul- „ te atque impie dicimus. Ipse enim „ ait: *Caro mea vere est esca, & sanguis „ meus vere est potus. Qui edit meam car- „ nem, & bibit meum sanguinem, in me „ manet, & ego in eo*. De veritate car- „ nis & sanguinis non est relictus ambi- „ gendi locus. Hunc enim, & ipsius „ Domini professione, & fide nostra vere „ caro est, & vere sanguis est. Et hæc „ accepta & hausta id efficiunt, ut nos „ in Christo, & Christus in nobis sit. „ An-ne hoc veritas non est? Est ergo „ in nobis ipse per carnem, & sumus in „ eo, dum secum hoc, quod sumus, in „ Deo est. Quod autem in eo per Sa- „ cramentum communitatæ carnis, & „ sanguinis simus, ipse testatur dicens: „ *Et hic mundus jam me non videt, vos au- „ tem me videbitis: quoniam ego vivo, & „ vos vivetis: quoniam ego in Patre meo, „ & vos in me, & ego in vobis*. „ Am- brosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. „ „ Tu forte dicis: meus panis est usitatus, „ sed panis iste panis est ante verba Sa- „ cramentorum: ubi accesserit conse- „ cratio, de pane fit caro Christi. Hoc „ igitur adstruamus, quomodo potest qui „ panis est, corpus esse Christi? Con- „ secratione. Consecratio igitur quibus „ verbis est, & cujus sermonibus? Do- „ mini Jesu. Nam per reliqua omnia, „ quæ dicuntur, laus Deo defertur: ora- „ tione petitur pro populo, pro regibus, „ pro cæteris: ubi venitur ut conficia- „ tur venerabile Sacramentum, jam non „ suis sermonibus Sacerdos, sed utitur „ sermonibus Christi. Ergo sermo Chri- „ sti hoc conficit Sacramentum. Quis „ sermo Christi? Nempe is, quo facta „ sunt omnia. Jussit Dominus, & factum „ est Cœlum. Jussit Dominus, & facta „ est terra. Jussit Dominus, & facta „ sunt maria. Jussit Dominus, & omnis „ creatura generata est. Vides ergo quam „ operatorius sit sermo Christi? Si ergo „ tanta vis est in sermone Domini Jesu, „ ut inciperent esse, quæ non erant: „ quanto magis operatorius est, ut sint „ quæ erant, & in aliud commutentur? „ Cœlum non erat, mare non erat, ter- „ ra non erat. Sed audi dicentem: *Ipse „ dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & „ creata sunt*. Ergo tibi ut respondeam: „ non erat Corpus Christi ante conse- „ crationem; dico tibi, quod jam corpus „ est Christi &c. Ergo didicisti, quod ex „ pane Corpus fiat Christi, & quod vi- „ num, & aqua in Calicem mittitur, sed „ fit sanguis consecratione verbi cœle- „ stis. Sed forte dicis: speciem sanguinis „ non video. Sed habet similitudinem. „ Sicut enim mortis similitudinem sump- „ sisti, ita etiam similitudinem pre- „ tiosi sanguinis bibis, ut nullus hor- „ ror cruoris sit, & pretium tamen ope- „ retur redemptionis. Didicisti ergo, quia „ quod accipis, corpus Christi est. „ *Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4.* „ Nec signa quippe ejus, nec membra- „ nas, nec atramentum, nec significan- „ tes sonos lingua editos, nec signa lite- „ rarum conscripta pelliculis, corpus „ Christi & sanguinem dicimus, sed il- „ lud tantum, quod ex fructibus terræ „ acceptum, & prece mystica conse- „ cratum, rite sumimus ad salutem spi- „ ritualem, in memoriam pro nobis do- „ minicæ passionis. Quod cum per ma- „ nus hominum ad illam visibilem spe- „ ciem perducitur, non sanctificatur, „ ut fit tam magnum Sacramentum, „ nisi operante invisibiliter spiritu Dei: „ cum hæc omnia, quæ per corporales „ motus, in illo opere fiunt, Deus ope- „ retur. „ *Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 2.* „ Nos audiamus „ panem, quem fregit Dominus, dedit- „ que discipulis, esse Corpus Domini „ Salvatoris &c. Nec Moyses dedit no- „ bis panem verum, sed Dominus Jesus: „ ipse conviva, & convivium; ipse co- „ medens, & qui comeditur: illius bibi- „ mus sanguinem, & sine ipso potare „ non possumus. „

V. Probatur ex veteribus Scholasticis: Isidorus Hispalensis lib. 1. Officiorum cap. 18. „ Panis, quem frangimus, „ corpus Christi est, qui dicit: *Ego sum „ panis vivus, qui de Cœlo descendi*. Vi- „ num autem sanguis ejus est. Hæc au- „ tem duo sunt visibilia; sanctificata ta- „ men per Spiritum Sanctum, in Sacra- „ mentum divini corporis transeunt. „

San-

Digitized by Google

Sanctus Eligius Homilia 8. „Sicut verè „ carnem corporis noſtri Chriſtus aſ- „ ſumpſit, & vere homo, qui ex Maria „ Virgine natus eſt, Jeſus Dei filius eſt, „ non quemadmodum alii homines per „ gratiam, ſed natura filius, ex ſubſtan- „ tia Patris: ita vera eſt caro, & verus „ eſt ſanguis ejus, quem ad manducan- „ dum & potandum in myſterio ſumi- „ mus, ſicut ipſe teſtatur. Et nos, qui „ vere ſub myſterio carnem & ſangui- „ nem corporis ejus ſumimus, per ea „ naturaliter unum cum eo efficimur: in „ quibus manet poſt conſecrationem ſi- „ militudo panis & vini, ne ſicut quidam „ horror cruoris, ſed manet in eis gra- „ tia Redentoris. De naturali enim in „ nobis Chriſti veritate ipſe ait: *Caro* „ *mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere* „ *eſt potus &c.* De veritate carnis & ſan- „ guinis ejus nullus relictus eſt ambigen. „ di locus. „ Alcuinus lib. de Divinis Officiis cap. 39. de Celebratione Miſ- ſæ: „ Hoc corpus, hic ſanguis, non „ in ſpicis, ſed Sacramentis colligitur: „ & conſecratione myſticus fit nobis, „ non naſcitur. Et ille quidem panis, „ & illud vinum, per ſe irrationabile eſt: „ ſed orat Sacerdos, ut ille rationabili- „ ter tractatus, rationabilis fiat, tran- „ ſeundo in corpus Filii ejus &c. Sicut „ divinitas Verbi Dei una eſt, quæ to- „ tum implet mundum: ita licet multis „ locis & innumerabilibus diebus illud „ corpus conſecretur, non tamen ſunt „ multa corpora Chriſti, neque multi „ Calices; ſed unum Corpus Chriſti, & „ unus ſanguis cum eo, quod ſumpſit in „ utero Virginis, & quod dedit Apoſto- „ lis. Divinitas enim Verbi replet illud, „ quod ubique eſt, & conjungit & facit, „ ut ſicut ipſa una eſt, ita conjungatur „ Corpori Chriſti, & unum corpus ejus „ ſit in veritate. Unde animadverten- „ dum eſt, quia ſive plus, ſive minus, „ quis inde percipiat, omnes æqualiter „ corpus Chriſti integerrime ſumunt, & „ & generaliter omnes, & ſpecialiter „ unuſquiſque. „ Rabanus Maurus de Inſtitutione Cleri lib. 1. cap. 31. „ hæc „ duo panis, & vinum, dum ſunt viſibi- „ lia, ſanctificata tamen per Spiritum „ Sanctum, in Sacramentum divini cor- „ poris tranſeunt. „ Petrus Damianus ſerm. de Mariæ Virginis Natali. „ Hic, „ dilectiſſimi fratres mei, hic rogo per- „ pendite, Dei Genitrici quantas illi poſt „ Deum, de noſtra Redemptione gratias „ agere debeamus. Illud ſiquidem cor- „ pus Chriſti, quod beatiſſima Virgo ge- „ nuit, quod in gremio fovit, quod fa- „ ſcis cinxit, quod materna cura muni- „ vit; illud, inquam, abſque ulla du- „ bietate, non aliud, nunc de ſacro Al- „ tari percipimus, & ejus ſanguinem in „ Sacramentum noſtræ Redemptionis „ haurimus. Hoc catholica fides habet, „ hoc ſancta Eccleſia fideliter docet. „

VI. Probatur Rationibus. I. Chriſtus dixit Matri de Joanne Evangeliſta: *Hic eſt Filius tuus*; dixit etiam Diſcipulis: *Hoc eſt Corpus meum*; Sed per priora verba intellexit de vero & reali Joanne: ergo per poſteriora in- intellexit etiam de vero & reali Chriſti corpore. Argumentum eſt Petri Damiani ſerm. 2. de S. Joan. Evang. in quo dicit: *Cælum, inquit ipſe pius Jeſus, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*. Sicut enim dixit Matri: *Hic eſt Filius tuus*, ita dixit Diſcipulis: *Hoc eſt Corpus meum*. Et tantus fuit in illis verbis effectus, ut illico panis ille, quem dabat, dominicum fieret Corpus. *Dixit enim, & omnia facta ſunt: mandavit, & creata ſunt*. II. Tria requiruntur ad Sacramenti eſſentiam; Scil. quod ſit ſignum ſenſibile; quod ſit a Deo inſtitutum; & quod ſignificet effectum gratuitum ad noſtram ſanctificationem ordinatum; ſed Euchariſtia eſt hujuſmodi: ergo &c. Probatur minor. Eſt ſignum ſenſibile per ſpecies panis & vini; fuit a Chriſto Domino inſtitutum, quod negari non poteſt; & ſignificat effectum gratuitum, ſcil. Corpus & Sanguinem Chriſti. Inſuper ſignificat gratiam ſanctificantem, & eam confert ſuſcipientibus illam. Etenim quando Chriſtus Joannis Sexto dixit. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, illico ſubjunxit, *qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum*: & denuo: *qui manducat me, vivet propter me*. III. Ubi aliud ſenſibus apparet, & aliud in veritate eſt, ibi eſt vere Sacramentum; ſed hoc totum in Euchariſtia verificatur: ergo Euchariſtia eſt vere Sacramentum; Minor ab Anſelmo Cantaurienſi ad Caput 10. epiſt. ab Hebræos ſic probatur: „ Caro Chriſti, quam ex al- „ tari ſumimus, idcirco velamen appel- „ latur, quoniam ſenſibus noſtris in „ Sacramento velatur. Nam ſenſus no- „ ſtri aliud renuntiant, & aliud fides. „ Vi-

„ Visus enim persuadet nobis esse so-
„ lummodo panem secundum panis spe-
„ ciem; fides autem insinuat esse car-
„ nem vivam, & vivificatricem: gustus
„ panem in sapore, auditus etiam illud
„ idem in fractione; fides vero integrum
„ Agnum a fidelibus sumi, sine aliqua
„ ipsius læsione. Non enim sumimus
„ carnem exanimem, sed consecratio-
„ ne & operatione divina viventem. „
IV. In Sacramento Eucharistiæ con-
tinentur species panis & vini, & sub his
occultantur corpus reale, & realis
Christi sanguis; sed hæc omnia suffi-
ciunt ad rationem veri Sacramenti
in Eucharistia constituendam: ergo Eu-
charistia est verum Ecclesiæ Sacramen-
tum. Minor, immo tota argumenta-
tio, desumitur ex verbis Bernardi in
serm. de Cœna Domini. „ Hostia,
„ quam vides, non jam est panis, sed
„ caro mea, quæ pependit in Cruce pro
„ mundi vita. Sane mutatio ista bene-
„ dictionis est opus, non originis: vir-
„ tus hæc facit, non usus: effectus est
„ potentiæ, non usus naturæ. Similiter
„ liquor iste, quem vides, non jam est
„ vinum, sed sanguis meus, quem pro
„ te fudi in pretium, tibi reservans in al-
„ tari poculum, in peregrinatione tua
„ præsidium, in exitu de Ægypto con-
„ ductum, in cœlo viaticum &c. Odor,
„ species, sapor, pondus remanent ad
„ mysterii ritum, & ad gustus suffra-
„ gium, ut horror penitus tollatur, &
„ meritum sortiatur. Etenim ne huma-
„ na infirmitas esum carnis, & potum
„ sanguinis in sumptione horreret, Chri-
„ stus velari, & palliari illa duo voluit
„ speciebus panis & vini, quæ inter hu-
„ mani generis victualia quodammodo
„ tenent principatum. „

Objiciunt I. Eucharistia non est signum gratiæ, quæ conferatur homini susci-pienti illam: ergo non est Sacramen-tum novæ legis. Antecedens proba-tur. Eucharistia ubi perseverat in Alta-ri post consecrationem, nemini gratiam confert: ergo tunc saltem non est si-gnum gratiæ, quæ conferatur susci-pienti illam. II. Eucharistia non effi-cit, quod significat: ergo non est Sa-cramentum novæ legis. Probatur an-tecedens. Eucharistia significat ve-rum corpus & sanguinem Christi con-tineri sub speciebus consecratis; sed species consecratæ ejusmodi præsen-tiam non efficiunt: ergo Eucharistia non efficit, quod significat. Probatur minor. Nulla virtus finita potest eam præsentiam causare: ergo &c. III. Eu-charistia non cõstat, rebus pro materia & verbis pro forma: ergo non est Ec-clesiæ Sacramentum. Probatur an-tecedens. Verba, quæ sunt forma Sacramenti, debent esse simul cum Sacramento; sed verba Eucharistiæ non sunt simul cum Eucharistia: ergo &c. Probatur minor; & quia Eucharistia subsistit non remanentibus verbis; & quia nondum est Eucharistia quando verba actu proferuntur, sed tantum in fine prolationis verborum. IV. Di-citur, quod Eucharistia confert animæ robur, & gratiæ augmentum: sed hoc ipsum Confirmatio confert, quæ est Ecclesiæ Sacramentum: ergo non potest tribuere Eucharistia; quia idem enim effectus non potest a duobus Sacramentis produci.

Respondemus ad I. dicendo, quod Eu-charistia significat, & confert ipsum Christum, qui quoque dicitur gratia; & etiam significat, & confert gratiam habitualem, quæ proprie nomine gra-tiæ intelligitur; at cum hac diversi-tate, quod Christum significat, & confert semper immediatè, & quando actu porrigitur sumentibus, & quan-do in Altari perseverat: gratia vero habitualis confertur immediate, quan-do actu porrigitur Eucharistia percipientibus illam; & confertur mediate, quando in Altari perseverat.

Ad II. Dicitur, quod argumentum valet contra Thomistas, qui asserunt Sa-cramenta physice causare gratiam, non vero contra illos, qui defendunt causare gratiam, non physice, sed mo-raliter. Quapropter Scotus dist. 8. num. 6. scribit. „ Unde propositio
„ quod Sacramenta efficiant quod
„ significant, accipienda est disjunctive
„ & per accommodationem; ita quod
„ si Sacramentum significet aliquid fieri
„ & conferri, illud revera per Sacra-
„ mentum, tanquam per signum efficax
„ fit, & conceditur; quemadmodum
„ contingit in Sacramentis, quæ in usu
„ consistunt; si autem significat aliquid
„ esse, sicut contingit in hoc Sacra-
„ mento, quod est permanens, illud
„ per Sacramentum, tanquam per si-
„ gnum verax est. Nam sicut Deus in-
„ stituit assistere signo sensibili ad gra-
„ tiam conferendam in Sacramentis

„ suc-

Digitized by Google

„ ſucceſſivis ; ita inſtituit aſſiſtere per „ conſecrationem ſpeciebus panis, & „ vini, ut ſub eis præſentialiter con- „ tineatur corpus, & ſanguis Chriſti. „ Et ideo cum dicitur : Nulla virtus „ finita poteſt agere ad eſſe corporis „ Chriſti in Sacramento, concedo pro- „ prie loquendo de actione phyſica; „ poteſt tamen aliqua virtus finita, vel „ aliquid virtutis finitæ eſſe diſpoſitio „ immediata, hoc eſt, cauſa moralis „ ad eſſe corporis Chriſti ibi; non a „ ſe, ſed a Deo aſſiſtente ibi; & hoc „ modo inſtituit iſtas ſpecies, ut poſt „ conſecrationem aſſiſtat eis, tanquam „ cauſis moralibus ipſum moventibus „ ad efficiendam hanc præſentiam Cor- „ poris Chriſti. „

Ad III. Hoc pacto reſpondit idem Scotus, quem refert Fraſſen tom. 4. tract. 2. diſput. 1. artic. 1. ſect. 1. quæſt. 1. „ „ Reſpondet ibidem Doctor, majorem „ eſſe veram de Sacramentis habenti- „ bus eſſe ſucceſſivum, & quorum „ tota virtus, & ratio conſiſtit in uſu; „ non autem de Sacramento Eucha- „ riſtiæ, quod habet eſſe permanens, „ quodque propterea non poteſt habe- „ re verba, quæ ſint ſucceſſiva pro for- „ ma ſui eſſe permanentis. Quamquam „ requirat verba pro forma conſecra- „ tionis, ſeu ut fiat Sacramentum, non „ vero ut factum perſeveret : unde „ non eſt de ratione eſſentiali Sacra- „ menti, quod intrinſece conſtet rebus „ pro materia, & verbis pro forma; „ ſed ſolum, quod res, & verba neceſ- „ ſaria ſint, ut Sacramentum confi- „ ciatur : Unde verba conſecratoria „ requiruntur in hoc Sacramento, tan- „ quam forma extrinſece efficiens, non „ autem ut afficiens, & conſtituens.

Ad IV. Dicitur, quod repugnantia eſt in eo, quod duo Sacramenta conferant eundem effectum ſpecificum; non vero in eo, quod conferant eundem effectum genericum. Idem effectus genericus eſt quod Euchariſtia, & Confirmatio conferant gratiæ augmentum; quod vero conferant per hunc modum vel per alium, tunc eſt diverſus effectus ſpecificus. Unde licet conveniant Euchariſtia, & Confirmatio producendo gratiæ augmentum; differunt tamen, quia Euchariſtia confert per modum nutritionis, & alimenti, Confirmatio vero per modum roboris, & fortitudinis;

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCIII.

De Eucharistia. An sit Sacramentum permanens, vel transiens? An Consecratio sit quid intrinsecum Sacramento? An sint Species panis & vini? An sint Corpus & Sanguis Christi?

PRimo, Lutherani omnes reponunt Eucharistiæ Sacramentum in solo usu; & volunt illud ipsum consistere in iis omnibus actionibus, quas in ipsius institutione Christus Dominus exercuit, scilicet in acceptione panis in manus, in benedictione, in fractione, in distributione, & in manducatione: Hoc pacto explicat Kemnitius, Lutheranorum Coriphæus, in examine Concilii Trid. part. 2. ad caput 3. & ad Can. 4. sess. 13.

Secundo, Calvinus lib. 4. Institutionum, cap. 17. vult, panem & vinum eucharisticum non habere Sacramenti rationem, nisi cum actu sumitur. Unde ait num. 37. „ Quæro, qua virtute putant, hostiam esse ritè consecratam? „ nempe verba illa proferunt. *Hoc est* „ *Corpus meum*: ego vero contra objiciam, simul dictum esse, *Accipite, &* „ *manducate*; neque id de nihilo faciam; „ cum enim præcepto annexa sit promissio, dico hanc sub illo ita inclusam „ ut separata fiat omnino nulla. Et n. 39. „ Totam siquidem vim consecrationis „ a Sacerdotis intentione pendere voluerunt, quasi hoc nihil ad populum „ pertineret, cui mysterium maxime „ explicare oportuerat: inde autem natus est hic error, quod non observant promissiones illas, quibus conficitur consecratio: non ad elementa „ ipsa, sed ad eos, qui recipiunt, destinari: atqui non panem alloquitur Christus ut Corpus suum fiat, sed discipulos jubet manducare, atque illis Corporis, & Sanguinis sui in communicationem pollicetur..... His rationibus „ clare patet, repositionem Sacramenti, quam nonnulli urgent, ut ægrotis „ extra ordinem distribuatur, inutilem „ esse. „

Tertio, Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus, & Apostata Spalatensis, lib. 5. de Republica Christiana cap. 6. num. 253. scripsit, quod Eucharistiæ Sacramentum permaneat quidem ab una publica Communione usque ad aliam, ac pro iis tantum, qui in publica Communione non participant, qui esse possunt, vel advenæ, vel infirmi, vel alii legitime impediti: attamen si diutius Eucharistia conservetur, Sacramenti rationem non habebit. Unde in sententia horum omnium Eucharistia non est Sacramentum permanens, sed transiens; utpote in solo usu, seu sumptione consistens. Contra hos omnes.

Dicimus I. Eucharistiæ Sacramentum non consistere in solo usu, seu sumptione; adeoque esse Sacramentum permanens, & non transiens.

I. Probatur ex Scripturis. Lucæ 22. Christus Dominus Eucharistiæ Sacramentum instituens, in conversione panis in Corpus, num. 19. dixit. „ Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est Corpus meum, „ quod pro vobis datur: hoc facite in „ meam commemorationem; „ & in conversione vini in Sanguinem n. 20. subdit: „ Similiter & Calicem postquam cænavit, dicens: Hic est Calix „ novi testamenti in sanguine meo, „ qui pro vobis fundetur. „ Atqui Christus Dominus, quando in nocte Cœnæ enunciata verba protulit, erat præsens sub speciebus panis & vini: ergo Christus erat præsens ante sumptionem & usum. Et quidem minor propositio est certa, quia aliter Christus

pro-

Digitized by Google

protuliſſet falſum, & mentitus fuiſſet, quia dixit in præſenti: *Hoc eſt Corpus meum*; & non dixit in futuro: *Hoc erit Corpus meum*; & ſimiliter dixit in præſenti: *Hic eſt Calix*; non vero, *hic erit* &c. Inſuper Marci 14. dicitur: *Accepto Calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes & ait illis*: Hic *eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur*. In his verbis *Hic* eſt demonſtrativum, ac proinde Sanguinis Chriſti præſentiam indicat; unde ſequitur quòd ante manducationem, & bibitionem Apoſtolorum, verificata fuerint Chriſti verba, & per conſequens ante ſumptionem, & uſum.

II. Probatur ex Eccleſiæ traditione, & Conſuetudine antiqua & conſtanti, qua docemur, aſſervatam fuiſſe Euchariſtiam a Fidelibus privatim, & in propriis domibus; tum ut eſſet iiſdem in venerationem; tum ut deferri poſſet ad abſentes; tum ut ægrotis tanquam Viaticum miniſtraretur. Hujus traditionis & conſuetudinis Teſtes ſunt luculentiſſimi & ineluctabiles antiqui Patres, quos in probatione, ex iiſdem deſumpta, adducemus.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Pius Papa I. cujus verba refert Burchardus lib. 5. cap. 27. inſuper & Ivo in dec. lib. 1. cap. 16., & Gratianus diſt. 2. de Conſecrat: „ Si per negligentiam aliquid de Sanguine Domini ſtillaverit in terram, lingua lambetur, & tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradatur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si ſuper altare ſtillaverit Calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si uſque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigit ſtilla, tribus vicibus miniſter abluat, calice ſuppoſito: & aqua ablutionis ſumatur, & juxta altare recondatur. „ Hilarius relatus in diſt. 2. de Conſecrat. „ Ubi pars eſt Corporis, eſt & totum. Eadem ratio eſt in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præceſſit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus paraverat, invenit minus. Non eſt omnino quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus Sacramenti ſpiritualis. „ Gregorius Magnus *homil. 22. in Evangel.* „ Quid ſit Sanguis Agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis: qui Sanguis ſuper utrunque poſtem ponitur, quando non ſolum ore Corporis, ſed etiam ore Cordis hauritur. In utroque enim poſte Sanguis Agni eſt poſitus, quando Sacramentum paſſionis illius, cum ore ad redemptionem ſumitur, ſed ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui ſic Redemptionis ſuæ Sanguinem accipit, ut imitari illius paſſionem necdum velit, in uno poſte Sanguinem poſuit, qui etiam in ſuperliminaribus domorum ponendus eſt. „ Innocentius III. *Myſteriorum Miſſæ lib. 4. cap. 17.* „ Si ad prolationem iſtorum verborum: *Hoc eſt Corpus meum*, panis mutatur in Corpus; & ad prolationem iſtorum verborum: *Hic eſt Sanguis meus*, vinum mutatur in Sanguinem; prius proferantur iſta verba, quam illa. Prius ergo mutatur panis in Corpus, quam vinum in Sanguinem. Nunquid igitur Corpus eſt ſine Sanguine, vel Sanguis ſine Corpore? Propterea dicitur a quibuſdam, quod cum totum eſt dictum, totum eſt factum, nolentes, vel non valentes ipſius converſionis determinare momentum. Alii vero dicunt, & bene, quod licet ad prolationem præcedentium panis a natura mutetur in Corpus, & ad prolationem ſequentium vinum præterea mutetur in Sanguinem, nunquam tamen eſt Corpus ſine Sanguine, vel Sanguis eſt ſine Corpore, ſicut neutrum eſt ſine anima, ſed ſub forma panis Sanguis exiſtit in Corpore per mutationem panis in Corpus, & e converſo. Non quod panis in Sanguinem, vel vinum mutetur in Corpus: ſed quia neutrum poteſt exiſtere ſine reliquo. Eſt ergo Sanguis ſub ſpeciebus panis, non ex vi Sacramenti, ſed ex naturali concomitantia. „ Gregorius IX. *lib. 1. Decret. cap. 1.* „ Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus homo ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos eſt & Sacrificium Jeſus Chriſtus: cujus Corpus & Sanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem, poteſtate divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi

„ de

„ de suo, quod accepit ipse de nostro. „ Et hoc utique Sacramentum nemo „ potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite „ fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorunque Successoribus Jesus Christus. „

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. *Lib. 3. cap. de divina mensa, & de eo, quod in ipsa est, mysterio Corporis & Sanguinis Christi.* „ Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum „ panem & poculum: sed attollentes „ mentem, fide intelligamus situm in „ sacra illa mensa Agnum illum Dei, „ tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, & „ pretiosum ipsius Corpus, & Sanguinem nos vere sumentes, credere hæc „ esse nostræ resurrectionis symbola: „ Propter hoc enim neque multum accipimus sed parum: ut sciamus, quod „ non satietati, sed sanctimoniæ sumimus. „ Et *Can.* 8. „ Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod „ in locis quibusdam & civitatibus Presbyteris gratiam Sacræ Communionis „ Diaconi porrigant. Hoc neque Canon, „ neque Consuetudo tradidit, ut hi, qui „ offerendi Sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, dent Corpus Christi. „ Concilium Constantinop. *Action.* 8. „ Ita quippe accedimus „ ad benedictiones arcanas, & sanctificamur, participes effecti tam sanctæ „ Carnis, quam pretiosi Sanguinis Christi, omnium nostrorum Salvatoris: & „ non ut communem carnem suscipimus, absit: neque iterum ut viri sanctificari, & copulari Verbo, per unitatem dignitatis, sive ut divinam inhabitationem habentes, sed sicut vere „ verificatricem, ut propriam ejusdem „ Verbi. „ Concilium Trullense can. 26. „ Presbyter per ignorantiam illicitis nuptiis implicatus, nec publice, „ nec privatim benedicat, nec Christi „ Corpus aliis distribuat, nec aliquod „ aliud ministerium obeat. „ Can. 102. „ „ Corpus Christi, & templum hominem „ ad imaginem Dei creatum divinus Apostolus magna voce appellat. Omnem ergo sensibilem creaturam superans is, qui salutari passione cœlestem „ dignitatem est assecutus, Christum bibens vel comedens, æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus divinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati Corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, „ etiam antequam ejus fiat communio, „ manus in Crucis formam figurans, sic „ accedat, & gratiæ communionem accipiat. „ Concilium Florentinum sess. 25. „ Hoc sacro universali approbante Florentino Concilio definivimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus „ Christianis credatur, & suscipiatur, in „ azymo sive fermentato pane triticeo „ Corpus Christi veraciter confici, &c. „ Sacerdos in persona Christi veraciter „ conficit hoc Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini „ sanguinem convertuntur. „ Concilium Tridentinum session. 13. cap. 4. „ Quoniam autem Christus, Redemptor „ noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, „ ideo persuasum semper in Ecclesia Dei „ fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem „ panis & vini conversionem fieri totius „ substantiæ panis in substantiam Corporis Domini Jesu Christi, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis „ ejus: quæ conversio convenienter & „ proprie a Sancta Catholica Ecclesia „ Transubstantiatio est appellata. „ Et Can. 1. „ Si quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter „ Corpus & Sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu „ Christi, ac proinde totum Christum: „ sed dixerit, tantummodo esse in eo, „ ut in signo, vel figura, aut virtute: „ anathema sit. „

V. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 5. c. 2. „ Quando ergo est „ mixtus calix, & fractus panis, percipit „ verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis, & Corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita „ æterna, quæ Sanguine, & Corpore „ Christi munitur, & membrum ejus? „ Quemadmodum & Beatus Apostolus „ ait in ea, quæ est ad Ephæsios Epistola: „ *Quoniam membra sumus Corporis ejus,* „ *de carne ejus, & de ossibus ejus*: non de „ spirituali aliquo, & invisibili homine „ dicens hæc: (*Spiritus enim neque ossa,* „ *neque carnes habet*:) sed de ea dispositione, quæ est secundum verum ho-

„ mi-

Digitized by Google

„ minem, quæ ex carnibus, & nervis, & „ oſſibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt „ Sanguis meus, nutritur; & de pane, qui „ eſt Corpus ejus, augetur. „ Origenes Homilia 13. in Exodum: „ Volo vos „ admonere religionis veſtræ exemplis: „ noſtris, qui divinis myſteriis intereſſe „ conſueviſtis, quomodo cum ſuſcipitis „ Corpus Domini, cum omni cautela & „ veneratione ſervatis, ne ex eo parum „ quid decidat, ne conſecrati muneris „ aliquid delibatur: Reos enim vos cre- „ ditis, & recte creditis, ſi quid inde „ per negligentiam decidat. Quod ſi „ circa Corpus ejus conſervandum tanta „ utimini cautela & merito utimini, „ quomodo putatis minoris eſſe piaculi, „ verbum Dei neglexiſſe, quam corpus „ ejus? „ Chryſoſtomus homil. 24. in 1. ad Corinthios docet, quod Euchariſtia in altari conſervatur ſub his verbis: *Si ſanguinem cupis, inquit, Chriſtus non idolorum aram brutorum cæde, ſed meum altare, & ſanguine cruentat ..... pro cæde brutorum ſeipſum juſſit offerri .... quando ipſum viderit, propoſitum Dei corpus, dic: Propter hoc corpus non ſum amplius terra, & cinis, ſed liber homo, corpus clavis confixum, & flagellis cæſum non tulit mors: Hoc corpus etiam jacens in præſepi reveriti ſunt Magi; tu vero non in præſepi vides, ſed in altari; non fœminam ipſum tenentem, ſed Sacerdotem adſtantem.* Cyrillus Alexandrinus in Epiſt. ad Caloſyrium dicebat contra illos, qui putabant, Corpus Chriſti non remanere ſub hoc Sacramento, ſi in craſtinum reſervabatur; & hoc probabant exemplo Agni Paſchalis, de quo quippiam non remanebat uſque ad craſtinum. De his ſane ſcribebat: *Inſaniunt quidam, dicentes, myſticam benedictionem ceſſare a ſanctificatione, ſi quæ ejus reliquiæ remanſerint in diem ſubſequentem: non enim mutatur Sacramentum Corporis Chriſti, ſed virtus benedictionis, & vivificans gratia jugis eſt.* Gregorius Nazianzenus orat. 11. da Sancta Gorgonia Sorore ſua hæc habet: *Ea cum ægrotaret, deſperatis omnibus aliis auxiliis, intempeſta nocte fugit ad omnium Medicum, ad ejus altare cum fide procumbit, eumque, qui ſuper ipſo hortamur* (Chriſtum interpretatur Helias Cretenſis) *imitata mulieris, quæ diuturnum Sanguinis fluxum patiebatur audaciam, & peccatricis amorem invocans magno clamore, multiſque lacrymis, & variis ejus nominibus appellans, & omnia prodigia commemorans, ait, ſe non dimiſſuram priuſque ſanitatem obtinuiſſet: & ſi quid uſpiam antityporum pretioſi Corporis & Sanguinis manus recondiderat, veluti theſaurum aliquem lacrymis admiſcens, & eo veluti pharmaco totum corpus perungens, ſtatim liberatam ſe morbo ſenſit.*

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Ambroſius in lib. de obitu Satyri fratris ſui, circa medium, ſcribit: *Quid igitur obſervantiam ejus erga Dei cultum prædicem? Qui priuſquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cum ea, qua veheretur navis ſcopuloſo illiſa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus ſolveretur, non mortem metuens; ſed ne vacuus myſterii exiret è vita; quos initiatos eſſe cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit, non ut curioſos oculos inferret arcanis; ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare, non requirens de navis compage reſoluta tabulam, cui ſupernatans juvaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat. Itaque his ſe tectum atque munitum ſatis credens, alia auxilia non deſideravit.* Optatus Milevitanus lib. 6. contra Donatiſtas. „ Quid eſt tam ſa- „ crilegum, quam altaria Dei (in qui- „ bus & vos aliquando obtuliſtis) frange- „ re, radere, removere? In quibus vo- „ ta populi, & membra Chriſti portata „ ſunt: quo Deus omnipotens invocatus „ ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus „ Sanctus: unde a multis pignus ſalutis „ æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſur- „ rectionis accepta eſt. Altaria, inquam, „ in quibus fraternitatis munera non „ juſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de „ pace condita. *Depone*, inquit, *munus „ tuum ante altare, & prius concorda cum „ fratre tuo, ut poſſit pro te Sacerdos of- „ ferre.* Quid enim eſt altare, niſi Sedes „ & Corporis, & Sanguinis Chriſti? Quid „ vobis fecerat Deus, qui illic invocari „ conſueverat? Quid vos offenderat „ Chriſtus, cujus illic per certa momenta „ Corpus & Sanguis habitat? &c. Hoc „ tamen immane facinus geminatum „ eſt, dum fregiſtis etiam calices San- „ guinis Chriſti portatores. „ Hieronymus in Epiſt. ad Ruſticum ſcribit de Sancto Exuperio, Epiſcopo Toloſano: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini Cani-*

nistro vimineo, Sanguinem portat in vitro. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyr. cap. 26. meminit Turrium argentearum, in quibus Corpus Christi asservabatur, cum his verbis: *Accepta turre, in qua ministerium (seu Mysterium) Dominici Corporis habebatur, ferre hanc ad ostium cæpit Diaconus, ac templum ingressus est, ut eam Altari superponeret.*

VII. Probatur ex veteribus Scholasticis. Humbertus Cardinalis lib. contra Nicetam, apud Baronium tom. 12. „ Hodie, sive tertia, sive quacunque fiat, a „ vobis Missa non fit, nisi perfecta, nec „ reservatur ex oblatione pars aliqua, „ ut per dies quinque agatur inde Missa „ imperfecta: quia nec Apostoli legun„ tur quidquam ex illo primo Corporis „ & Sanguinis Christi mysterio sub ipsa „ Cœna distributo reservasse: nec actus „ eorum indicant, eos aliquando tale „ quid egisse aut præcepisse: quinimo „ S. Lucas ita narrat Actor. 1. erant fi„ deles perseverantes in doctrina Apo„ stolorum, & communione portionis „ panis, quæ communicatio qualiter, & „ quibus diebus fieret, post pauca de„ monstrat, dicens. Quotidie perseve„ rantes unanimiter in templo, & fran„ gentes circa domos panem sumebant. „ Ex se verax Evangelista testatur sub „ Apostolis fideles quotidie orasse, & „ panem fregisse: Et vos qui estis? qui „ dicitis duobus tantum diebus Missam „ perfectam, fieri debere; reliquis quinq; „ imperfectã; nempe si in panis fractione „ & communicatione nonisi imperfe„ ctam actionem Missæ debemus acci„ pere; quemadmodum & ipsum Domi„ num legimus non imperfectam, sed „ perfectam commemorationem suis „ Discipulis tradidisse in pane à se bene„ dicto, & mox ab eo distributo. „ Hincmarus Rhemensis in Encomio S. Remigii: „ Vera est caro, & verus „ est sanguis ejus, quæ ad manducan„ dum, & potandum in mysterio sumi„ mus, sicut ipse testatur. Et nos qui „ vere sub mysterio carnem, & sangui„ nem corporis sui sumimus, per ea na„ turaliter unum eum ipsum efficimur. „ In quibus manet post consecrationem „ similitudo panis, ne quidam sit horror „ cruoris, sed manet in eis gratia Re„ demptionis. „ S. Bonaventura parte 6. Breviloquii cap. 9. „ De Sacramen„ to Eucharistiæ hoc tenendum est, quod „ in Sacramento verum Christi Corpus, „ & verus Sanguis, non tantum signifi„ catur, verum etiam veraciter conti„ netur, sub duplici specie, panis scili„ cet, & vini, tanquam sub vino, & non „ sub duplici Sacramento. Hoc autem „ est post consecrationem sacerdota„ lem, quæ fit in prolatione vocalis for„ mæ, a Domino institutæ, super panem, „ scilicet: *Hoc est Corpus meum*; super „ vinum vero: *Hic est Calix Sanguinis „ mei.* Quibus verbis cum intentione con„ ficiendi a Sacerdote prolatis, transub„ stantiatur utrunque elementum se„ cundum substantiam in Corpus & „ Sanguinem Jesu Christi, remanentibus „ speciebus sensibilibus, in quarum utra„ que continetur totus non circumscri„ ptibiliter, nec localiter, sed sacramen„ taliter totus Christus. „ S. Laurentius Justinianus de Triumphali Christi Agone cap. 4. „ Comedunt Apostoli, „ atque de Verbi manibus suscipiunt, „ non vitulorum, non hircorum carnes, „ sed azymos panes, prout accidentia „ illa protendebant oculis, naribus in„ sinuabant, ac manibus palpanda „ suadebant; sed revera Corpus Christi „ verum; quod de Maria Virgine per „ Spiritum Sanctum conceptum fuit, & „ natum; quod loquebatur, videbatur, „ tangebatur; quod nimirum in cruce „ pependit, expiravitque. Non denique „ similitudinem illius, neque aliud, sed „ ipsum verissimum, idem in quantitate, „ in substantia, in identitate, ex anima „ & carne constitutum, unitum Verbo, „ humanisque membris compositum at„ que perfectum; sub diversis quidem „ opertum speciebus, sed nullum ex il„ lis patiens divinitatis seu humanitatis „ detrimentum, neque divisum ex mul„ tarum numero hostiarum, aut in ma„ jori majus, sive in minori minus, sed „ unum idenque in singulis locis & ho„ stiis, non prorsus angelico ministerio, „ sed divina consecratum virtute. „ S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus. III. Parte summæ tit. 24. cap. 4. „ In isto mirabili Sacramento non est „ aliqua materia communis, quæ ante „ consecrationem sit sub forma sub„ stantiali Corporis Christi: sed to„ tum, materia cum forma substantiali „ panis, & vini transit in materiam, & „ formam substantialem Corporis Chri„ sti. Quomodo autem convertitur? „ Deus operatur. Ita autem est hoc mi„ rabile,

Digitized by Google

„ rabile, ut nec oculus intellectus Angelici, absque lumine gloriæ, hoc possit intueri, quomodo Christus sit in „ Sacramento. Remanent autem accidentia panis & vini, ideſt color, figura, sapor, & hujusmodi mirabiliter „ sustentata sine subiecto: dicente Sacerdote verba consecrationis: *Hoc est Corpus meum*, totus Christus in carne „ & anima, & deitate est in Sacramento. „

VIII. Probatur Rationibus. I. Apud antiquitatem multa supersunt in Sanctorum scriptis monumenta, quę ostendunt sacrosanctæ Eucharistiæ asservationem. Videlicet tabernaculi, & sacrarii, in quo asservabatur, ut asserit Author Apostolicarum constitutionum lib. 8. cap. 13. *Sumant Diaconi Reliquias, & in tabernaculum inferant*, & Author Epist. 2. S. Clementi attributæ: *Reliquias fragmenti Corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, nec cum id negligenter agitur Corpori Domini gravis injuria inferatur*. Item fit mentio Columbarum, sive de argento, sive de auro, in quibus Sacra Eucharistia asservabatur; turrium pariter argentearum pro eodem usu, de quibus superius ex Gregorio Turonensi diximus. Pariter pastophorii, quod arculæ vel pixidi olim inditum erat, in qua Corpus Christi includebatur. Denique ciborium, quo nomine pixis vel arcula appellabatur, quæ verum animæ cibum continebat. II. Ea necessitas erat, ut sacra Eucharistia pro viatico daretur infirmis, qui improviso moriebantur; sed hoc fieri non poterat nisi Corpus Christi asservaretur: ergo &c. III. In Christianorum Ecclesiis perpetuus erat cultus, qui Christo in Eucharistia latenti exhibebatur: ergo in Christianorum Ecclesiis Christus in Eucharistia latens repositus erat. IV. Apud antiquos, ecclesiasticarum rerum historias scribentes, fit mentio injuriarum, & irreverentiarum, quas Christo, in Eucharistia existenti, Pagani, Judæi, & Hæretici etiam quidam, intulerunt: ergo jam in Christianorum Altaribus Corpus Christi asservatum continebatur.

Opponunt I. Cap. *tribus, de Consecratione*, dist. 2. præcipitur, nihil de Eucharistia esse servandum, his verbis: *Tanta in Altario holocausta afferantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur; sed Clericorum diligentia consumantur*. II. Origenes in vii. Levitici hom. 5. scribit: *Dominus panem, quem Discipulis dabat, & dicebat eis: accipite, & manducate; non distulit, nec servari jussit in crastinum*: ergo Eucharistia non est asservanda. III. Nicephorus lib. 13. historiæ cap. 25. refert, quod Constantinopoli, quæ supererant Reliquiæ Corporis Christi, manducandæ dabantur pueris impuberibus, qui essent innocentes, incorrupti, & jejuni: ergo in sacrario non servabantur. Quod confirmat etiam Evagrius lib. 4. hist. cap. 35. IV. Sunt verba Hesichii lib. 2. in Levit. cap. 8. ad rem nostram dicentis: „ Quod reliquum est de carnibus & panibus, in igne incendi præ„ cepit; quod nunc videmus etiam sen„ sibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi, „ quæcumque remanere contigerit in„ consumpta, non omnino ea, quæ una „ die, vel duabus, aut multis servata „ sunt; ut enim apparet, non hoc Le„ gislator præcepit: sed quod reliquum „ est incendi jubet: „ ergo saltem tempore Hesichii non erat mos in Ecclesia ut Christi Corpus in tabernaculo asservaretur: ergo exploratum inter fideles non erat Eucharistiæ Sacramentum esse permanens, & non solummodo transiens. V. Cardinalis Humbertus, jam nuper citatus, lib. contra Nicetam habet: *Dominus non benedixit sanctum panem, & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum, statim distribuit*. Ex quibus verbis eruitur, quod panis eucharisticus non asservabatur, sed tantum astantibus, & præsentibus dispensabatur. VI. Christus Eucharistiæ asservationem nullo in loco Evangelii sui præcepit: ergo non est præceptum ut eam asservemus. VII. Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 14. testatur; recentem esse consuetudinem asservandi Eucharistiam, & a Fratribus Mendicantibus introductam; & hæc sunt ejus verba. „ Consuetudo hodierna, Corpus Chri„ sti propter fidelium Communionem „ reservandi recens est, a Monachis „ Mendicantibus primum introducta „ deinde ab aliis plerisq; usurpata, quam „ nondum tamen Romani Ritus Rubri„ ca expungere potuit. „ VIII. Non alium ob finem dicitur, quod Eucha-

ristia asservaretur, nisi ut Infirmis ut Viaticum ministraretur; sed hoc ex antiquitate non constat: ergo &c.

Respondemus ad I. Sensum illius capitis esse, quicumque ejusdem sit author, quod quum primis Ecclesiæ seculis in more esset quotidie in Conventibus Eucharistiam a fidelibus percipi, non erat necesse ut pro Viatico in Sacrario asservaretur; sed quia deinde non ita frequens fuit Eucharistiæ perceptio, inde evenit, quod eadem in Sacrario pro Viatico asservari cæpit.

Ad II. Origenes fecit comparationem inter sacrificium laudis, quod erat apud Hebræos, & erat vetus, & sacrificium laudis, quod erat apud Christianos, & erat recens, novum, & spirituale; non autem loquutus est de Eucharistiæ sacrificio. Cæterum Dominus Noster Jesus Christus multa per Apostolos præcepit fidelibus, quæ per seipsum non justit, nec per seipsum operatus est.

Ad III. Nicephorus loquebatur de minimis particulis Eucharistiæ, quæ asservari non poterant; vel etiam de majoribus, quæ ad infirmorum Communionem necessariæ non erant: cæterum asservabantur Eucharistiæ formulæ in usum præcipue ægrotorum & absentium, & hoc præsertim persecutionum tempore.

Ad IV. Hæc reponit Fraſſen cit. loc. „ Reliquias, quæ præ nimia vetustate, „ vel asserv atione putredinem, aut ali- „ quid simile contrahunt, ex quo man- „ ducanti nauseam, aut horrorem af- „ ferre possent, concedo; ne fiat enim „ injuria Sacramento, tradebantur illæ „ species igni, velut elemento omnium „ purissimo consumendæ; sicut Missale „ Romanum cap. 10. Rubricarum de de- „ fectibus circa Missam, jubet, ut vo- „ mitus ejus, qui sumpserit Eucharistiam „ , comburatur, si species in eo consum- „ ptæ non appareant; Reliquias, quæ „ fuerint immunes ab ejusmodi parti- „ culis, & integræ, nego: nam ex Hesi- „ chio tradi ea igni oportet, ut ea con- „ sumat, quæ sunt inedibilia, ideſt, „ non manducabilia. „

Ad V. Dicimus, mentem Humberti fuisse, non debere conservari panem eucharisticum, qui jam fuerat consecratus, ut iterum inserviret in sacrificium, & oblationem pro diebus sequentibus, ut Græci faciebant; non autem ut inserviret in usum & Communionem infirmorum vel absentium, & ut fidelibus in venerationem exhiberetur. Ratio est quia Humbertus arguebat Græcos, qui Quadragesimali tempore Sabbato tantum, & Dominica & in Annunciationis die, consecrabant & offerebant; aliis vero diebus, consecratis antecedenter utebantur; ut habetur in Concil. Trullan. can. 52. Et hoc constat ex Humberti verbis, quæ hæc sunt: „ Hodie, sive tertia, „ sive quacunque fiat à vobis, Missa non „ fit, nisi perfecta, nec servatur ex obla- „ tione pars aliqua, ut per dies quinque „ agatur inde Missa imperfecta, quia nec „ Apostoli leguntur quidquam ex illo „ primo Corporis & Sanguinis Christi „ mysterio sub ipsa cœna distributo re- „ servasse: nec actus eorum indicant, „ eos aliquando tale quid egisse aut præ- „ cepisse; quinimo S. Lucas ita narrat „ Actor. 1. Erant fideles perseverantes „ in doctrina Apostolorum, & commu- „ nicatione portionis panis, quæ com- „ municatio qualiter, & quibus diebus „ fieret, post pauca demonstrat, dicens: „ Quotidie perseverantes unanimiter in „ templo, & frangentes circa domos „ panem sumebant. Ex se verax Evan- „ gelista testatur sub Apostolis fideles „ quotidie orasse, & panem fregisse: „ Et vos, qui estis? qui dicitis duobus „ tantum diebus Missam perfectam fieri „ debere; reliquis quinque imperfe- „ ctam? nempe si in panis fractione & „ communicatione nonnisi perfectam „ actionem Missæ debemus accipere; „ quemadmodum & ipsum Dominum „ legimus non imperfectam, sed perfe- „ ctam commemorationem suis Disci- „ pulis tradidisse in pane a se benedicto, „ & mox a se distributo. „

Ad VI. Et si Christus non præceperit explicite, præcepit tamen implicite, quando scilicet præcepit, ut Eucharistia daretur ut cibus, qui permanens est, & paratus fidelibus omnibus, qui volunt eum percipere. Cæterum etsi non præceperit Christus, præcepit tamen Ecclesia, quæ a Christo habuit potestatem præcipiendi omnia, quæ ad Sacramenta spectarent, & ab ipso non fuerant expresse constituta; ut docet Apostolus 1. ad Corinth. 11. *Cætera cum venero disponam*; & explicat Trident. sess. cap. 2.

Ad VII. Dicimus, quod Morinus errat, di-

Digitized by Google

dicendo, a Monachis esse introductam consuetudinem reservandi Corpus Domini tum ad infirmorum, tum ad absentium Communionem; ut Frassen testatur, & documentis probat.

Ad VIII. Negatur major; etenim Eucharistia servabatur, ut ea fideles reficerentur opportuno tempore; ut per eam a periculis animæ, & corporis liberarentur; ut per eam ad beneficia impetranda recurrerent; quod patens est in verbis supra relatis S. Gregorii Nazianzeni in Orat. 11. pro Sorore sua Gorgonia.

Pro Reliquis dissertationis partibus, præmittimus, quod quatuor in Sacramento Eucharistiæ considerantur; videlicet, consecratio panis, & vini; species panis & vini consecrati; Corpus & Sanguis Christi realiter delitescentis sub consecratis speciebus; et usus et sumptio hujus Sacramenti, scil. manducatio, et bibitio. Quod quæritur in præsenti est, in quo ex iis quatuor formalis ratio Sacramenti Eucharistiæ consistat? Et circa hoc, quatuor sententiæ referuntur a Frassen, quarum prima tribuitur Gabrieli, Marsilio, & Cajetano, volentibus, consistere in actione transubstantiativa, qua Christus ponitur sub speciebus. Secunda dicitur esse Valentiæ & Suarii putantium consistere formaliter in aggregato seu composito ex speciebus, & verbis Consecrationis. Tertia assignatur Alensi, Bonaventuræ, & Scoto, dicentibus consistere essentialiter in speciebus consecratis, significantibus Corpus & Sanguinem Christi realiter ac substantialiter contenti sub illis. Quarta tandem, est illorum, qui volunt, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter constare ex speciebus simul & ex Corpore & Sanguine Christi; eo pacto scil., ut utrumque ad Sacramenti essentiam, & substantiam pertineat.

Dicimus II. Rationem formalem Sacramenti Eucharistiæ non consistere in Consecratione; neque in aggregato ex speciebus consecratis, & ex Corpore, & Sanguine Christi; sed in solis speciebus consecratis, quatenus connotant Corpus & Sanguinem Christi sub ipsis contineri. Tres habet partes conclusio.

I. Probatur pro prima parte. Si Sacramentum Eucharistiæ formaliter & essentialiter consisteret in consecratione, hæc esset vel consecratio interior, vel consecratio exterior; sed nulla ex his esse potest: ergo in consecratione formaliter non consistit. Probatur minor. Nequit consistere in interiori consecratione, quia hæc non est sensibilis; omne autem Sacramentum debet esse sensibile: ergo in interna consecratione non consistit: neque est externa consecratio, quia Sacramentum Eucharistiæ essentialiter est cibus animæ & alimonia spiritualis; sed actio, qua cibus conficitur, non est cibus, at via ad ipsum: ergo consecratio externa non est illa, in qua essentialiter hoc Sacramentum consistit.

II. Pars conclusionis probatur etiam; quia in Corpore & Sanguine Christi non verificatur ratio sensibilitatis, quæ necessaria est ad hujus Sacramenti rationem: ergo hujus Sacramenti formalis ratio non consistit in aggregato ex speciebus, & ex Corpore & Sanguine Christi.

III. Pars conclusionis. I. Probatur ex Innocentio III. & refertur in cap. *cum Martha, de Celebratione Missarum*, ubi hæc docet: *Distinguendum est subtiliter inter tria, quæ sunt in Sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem Corporis, & virtutem spiritualem. Forma est panis & vini, veritas carnis & sanguinis, virtus unitatis & charitatis. Primum est Sacramentum & non res; Secundum est Sacramentum & res; Tertium est res & non Sacramentum: sed primum est Sacramentum geminæ rei: secundum est Sacramentum unius & alterius res existit: tertium est res gemini Sacramenti. Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperunt Successores.* Quibus verbis verificantur, quæ nos dicimus de formali ratione hujus Sacramenti, prout consistat in solis speciebus consecratis, connotantibus contineri sub ipsis Corpus & Sanguinem Christi.

II. Probatur ex abjuratione Hæresiarchæ Berengarii, quam fecit in Synodo Romana coram 113. Episcopis, & refertur in cap. *ego Berengarius, de Consecrat. dist. 2.*; verba autem hæc sunt. „ Consentio S. Romanæ, & Apostolicæ Sedi, „ & ore & corde profiteor de Sacramen„ tis Dominicæ mensæ, eandem fidem „ me tenere, quam Dominus, & Vene-

Digitized by Google

„ rabilis Papa Nicolaus, & hæc S. Synodus authoritate Evangelica, & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri; jurans per sanctam, & homousion Trinitatem, & per hæc Sacrosancta Christi Evangelia: Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ergo ipse aliquando contra hæc aliquid sentire aut prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum severitati; lecto & perlecto sponte subscripsi. „

III. Probatur verbis & rationibus Hugonis a Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis part. 8. cap. 7. qui post Magistrum sententiarum hæc scribit: „Cum unum sit Sacramentum, tria ibi discreta proponuntur; species visibilis, quæ visibiliter cernitur; veritas Corporis & Sanguinis, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur; virtus gratiæ spiritualis, quæ cum Corpore & Sanguine invisibiliter & spiritualiter percipitur. Quod enim videmus, species est panis & vini: quod autem sub specie illa credimus, verum Christi Corpus est, & verus Sanguis Jesu Christi, quod pependit in Cruce: & qui fluxit de latere. Nec per panem & vinum Corpus & Sanguinem tantum significari credimus: sed sub specie panis & vini verum Corpus, & verum Sanguinem consecrari: & speciem quidem visibilem Sacramentum esse veri Corporis, & veri Sanguinis: Corpus autem & Sanguinem Sacramentum esse gratiæ spiritualis. Et quemadmodum species illic cernitur, cujus res & substantia ibi esse non creditur; sic res ibi veraciter & substantialiter præsens creditur, cujus species non cernitur. Videtur enim species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur: creditur autem substantia Corporis & Sanguinis Christi, & tamen species non cernitur. Quod ergo videtur secundum speciem, Sacramentum est, & imago illius, quod creditur secundum Corporis veritatem: & quod creditur secundum Corporis veritatem, Sacramentum est illius, quod percipitur secundum gratiam spiritualem. Sacramentum ergo Altaris & Eucharistia divina, in vero Corpore & Sanguine Christi, Domini nostri Jesu Christi imago est, secundum speciem panis & vini, in qua cernitur: & res est, secundum substantiæ veritatem, in qua creditur illic atque percipitur: Et rursus quod nunc visibiliter secundum Sacramenti speciem, & corporaliter secundum carnis & sanguinis Christi veritatem, Christum in altari sumimus, Sacramentum est; & imago quod ipsum eundem invisibiliter & spiritualiter secundum gratiæ infusionem, & Spiritus Sancti participationem in corde sumere debemus. Ergo divinissima Eucharistia, quæ in altari & secundum panis & vini speciem, & secundum Corporis & Sanguinis Christi veritatem visibiliter & corporaliter tractatur, Sacramentum est, & signum: & imago invisibilis & spiritualis participationis Jesu, quæ intus in corde per fidem & dilectionem, conficitur.

Obstant I. Consecratio sola efficit in Eucharistia Christi præsentiam, quam significat; sed hoc essentialiter requiritur ad Sacramenti novæ legis rationem: ergo hæc in consecratione consistit. II. Patres concorditer dicunt, Sacramentum Eucharistiæ constare ex Corpore & Sanguine Christi: ergo in his duobus hoc Sacramentum essentialiter consistit. III. Ex Conciliis Sacerdos loquens in persona Christi conficit Sacramentum Eucharistiæ; sed non conficit species panis & vini: ergo in iis Sacramentum non consistit. IV. Species consecratæ adorari non debent cultu latriæ; sed ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 5. Eucharistia secundum se est cultu latriæ adoranda: ergo in speciebus non consistit. Minor probatur ex verbis Concilii, quæ hæc sunt: *Nullus enim dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christifideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant; neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit.* Res-

Digitized by Google

Respondemus ad I. minorem esse veram de Sacramentis transeuntibus, non vero de Sacramento permanenti, quale est Sacramentum eucharisticum: vel quod idem est, veram esse de Sacramentis in fieri, non vero de Sacramento in facto esse, quale est illud, de quo loquimur.

Ad II. dicitur quod dum illud Patres docent, solum intendunt asserere, quod Christi Corpus & Sanguis simul sint cum speciebus consecratis; at non intendunt asserere quodnam ex his sit de ratione formali Sacramenti; quia de hoc nullam habebant nec cum Hæreticis, nec cum aliis quæstionem.

Ad III. dicitur, quod quanvis Sacerdos non conficiat simpliciter species entitative, facit tamen eas sacramentaliter; quatenus scilicet consecrando eas facit simul ut repræsentent Corpus & Sanguinem Christi, quæ sub iisdem occultantur.

Ad IV. dicitur, quod Concilium Tridentinum pro Sacramento Eucharistiæ intelligit Christum Dominum, non vero species panis & vini; & hoc clare patet ex citata Sessione can. 6. ubi legitur: *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum Unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; anathema sit.*

DISSERTATIO CCCCIV.

De materia Sacramenti Eucharistiæ. Quænam sit ejus substantia? Quæ quantitas? Quæ qualitas?

IN Eucharistiæ Sacramento duplicem materiam habemus, panem scilicet & vinum, quæ duæ materiæ partiales dicuntur, & unam constituunt, quæ dicitur totalis. Nos igitur hoc loco primo agemus de pane, deinde de vino. Præmittimus autem uniusque materiæ convenientiam; quia enim Sacramentum hoc ad animæ spiritualem nutritionem ordinabatur, inde fuit quod ipsum instituit Christus in rebus, quæ corporalem nutritionem constituunt. Insuper quia idem Sacramentum importare debebat unitatem totius Corporis Ecclesiæ, & unitatem pariter membrorum cum ipso capite, & inter se invicem; inde pariter fuit, quod ipsum instituit in rebus, quæ ordinantur ad unum; etenim panis ex multis granis conficitur, & ex multis racemis vinum.

De Pane igitur, qui est partialis materia Eucharistiæ, in hac Dissertatione inquirimus primo ejus substantiam, scilicet cujusnam substantiæ esse debeat? Secundo quantitatem, nimirum, quæ quantitas requiratur ad validam ejus consecrationem? Quæ ad licitam? Et quænam moralis, vel physica præsentia? Postmodum de qualitate ejusdem panis tractantes, agemus de antiqua ipsius ad hoc Sacramentum præparatione, & de ejusdem figura. Attamen ante hæc omnia congruum ducimus referre hæreses, quæ contra Eucharistiæ materiam Ecclesiam fœdarunt; & pariter Scholasticorum opiniones, quæ circa eandem, salva fide, intra Ecclesiam sustinentur.

Primo fuerunt Gnostici, ex Nicolaitarum fœcibus progeniti, qui adeo fœdas de hac materia cogitationes amplexi sunt: ut eas calamus ipse exponere erubescat. Referimus proinde verbis S. Epiphani lib. 1. adversus hæreses, hæres. 26. num. 4. qui hæc scribit:

„ Cum salutandi ac complectendi causa
„ manum porrigunt, eam infra palmam
„ contrectando ac defricando leniter ti-
„ tillant, eoque signo ejusdem religio-
„ nis hospitem esse demonstrant. Inde
„ posteaquam mutuo se agnoverint, ad
„ convivium accinguntur. Quod ipsum

„ ta-

Digitized by Google

„ tametsi pauperes sint, ingenti epula-
„ rum apparatu, vinoque & carnibus in-
„ structissimum, præbent. Finito convi-
„ vio, cum satietate venas distenderint,
„ ad libidinem proritantur. Tum vir ab
„ uxore discedens sic eam alloquitur:
„ Surge, & fratri charitatem exhibe.
„ Ita ad concubitum venitur. Pudet me
„ bona fide, quæ apud illos turpissime
„ perpetrantur, exponere, quemadmo-
„ dum ait Apostolus: Quæ apud ipsos
„ fiunt, turpe est dicere. Verum quæ
„ illos facere nihil pudet, neque me pu-
„ debit eloqui, ut qui fœdissima illorum
„ flagitia audierunt, horrore quodam
„ afficiantur. Etenim peracto stupro,
„ subinde contumeliosis Cœlum vocibus
„ appetentes, utrique maris profluvium
„ cavis manibus excipiunt, ac sublatis
„ sursum oculis fœdum illud, & abomi-
„ nabile, manibus præferentes consi-
„ stunt: ac preces concipiunt: Militares
„ quidem & Gnostici ad universorum,
„ ut ajunt, parentem, cui & quod ma-
„ nibus gestant offerunt, cum hoc sole-
„ mni carmine. Hoc tibi munus, nimi-
„ rum Christi Corpus, offerimus; atque
„ ita tum eo vescuntur, & impurissimas
„ suas sordes degustant, atque dicunt:
„ Hoc est Corpus Christi: & hoc est Pa-
„ scha: Idcirco corpora nostra patiun-
„ tur, & Christi supplicia confiteri co-
„ guntur. Eodem modo quoties mulier
„ menstruos fluxus patitur, fœdissimum
„ sanguinem collectum una omnes ab-
„ sorbent. Atque hoc est, inquiunt,
„ sanguis Christi. Propterea in Apocry-
„ phis legunt: *Vidi arborem duodecim*
„ *fructus quotannis ferentem, & dixit mi-*
„ *bi*: *Hoc est lignum vitæ*. Idipsum de
„ menstruis mulierum profluviis inter-
„ pretantur. Cæterum cum inter sese
„ venerem exerceant, liberos tamen
„ suscipere prohibent. Non enim prolis
„ studio, sed ut libidini suæ serviant, ei
„ corruptelæ vacant. Ita miseris homi-
„ nibus diabolus illudit, & opus Dei
„ fraudibus suis implicatum per ludi-
„ brium traducit. Proinde sic libidini
„ satisfaciunt suæ, ut impurissimum se-
„ men in seipsos recipiant, neque illud
„ ad propagandam sobolem emittant,
„ sed sua ipsi turpitudine pascantur.
„ Quod si forte quispiam excreti semi-
„ nis immissionem anteverterit, & ex
„ eo gravida facta sit mulier, audi quid
„ demum flagitiosius aggrediantur.
„ Nam informem adhuc fœtum ex ute-
„ ro detractum quocunque iis tempore
„ visum, infantem, inquam, abortione
„ projectum in mortario pistillo tun-
„ dunt. Cui ad vitandam nauseam mel
„ ac piper cum aliis aromatibus, & un-
„ guentis admiscent. Tum in unum col-
„ lecto porcorum ac canum sodalitio,
„ unusquisque è comminuto infantuli
„ corpusculo digito delibat: Sic huma-
„ nis carnibus pasti ad orandum Deum
„ sese convertunt. Et cupiditatis, in-
„ quiunt, princeps nequaquam nobis il-
„ lusit; sed quod exciderat fratri nostro
„ collegimus. Atque id perfectum esse
„ Pascha demum existimant. Præter
„ hæc, alia insuper dira, atque execran-
„ da committunt. Cum enim rursus in
„ se mutuo bacchari ac furere cæperint,
„ respersis spurcissimi humoris profusio-
„ ne manibus consurgunt, atque ita fœ-
„ datas gerentes toto corpore nudi
„ comprecantur, ut ea re majorem sibi
„ apud Deum fiduciam acquirant.

Secundo, fuerunt Ophitæ, qui Serpentis contactum pro Eucharistiæ materia posuerunt. De iis loquens Augustinus hæres. 17. voluit, nominatos fuisse a Serpente, qui græce dicitur Ophis; & rem sic exponit Frassen tract. 2. disp. 1. art. 1. sect. 1. quæst. 4. „ A Colubro,
„ seu Serpente nominati, coluber enim,
„ seu serpens sæpe Græce dicitur Ophis.
„ Colubrum, qui decepit Adam & Evam
„ Christum arbitrantur; sed & verum
„ Colubrum nutriunt & venerantur, qui
„ & incantante Sacerdote, egreditur de
„ spelunca, & ascendit supra Altare, in-
„ nixum speluncæ, & oblationes eorum
„ lambit, & involvens se circa eas re-
„ greditur ad speluncam, & ita confin-
„ gunt oblationes in Eucharistiam, qua-
„ si a Serpente Christo, ut illi putant,
„ sanctificatas. Hi videntur statuisse,
„ hujusce Serpentis contactum, ut quid
„ pertinens ad proximam Eucharistiæ
„ materiam. „

Tertio, Artotyritæ fuerunt, qui offerebant in Sacramento Eucharistiæ panem & caseum; & hos ex Augustino hæres. 28. dicebant, esse ejusdem Sacramenti materiam. Vasquez putat hoc dixisse de solo pane; at alii volunt hoc ipsum de pane simul, & caseo somniasse.

Quarto, Cataphrygæ, eodem Augustino hæres. 26. referente, hoc de materia Eucharistiæ insaniendo dixerunt, ut asserit Frassen citato loco: „ Sacra-
„ men-

Digitized by Google

„ menta funeſta habebant; infantis enim „ anniculi ſanguine, quem de toto ejus „ corpore minutis punctionum vulneri- „ bus extorquebant, quaſi Euchariſtiam „ ſuam conficiebant, admixta tamen fa- „ rina, ut panem conficerent; puerum „ inde mortuum habebant pro Martyre, „ ſuperſtitem pro magno Sacerdote. Or- „ tum duxit hic non tam hominum, „ quam belluarum grex a Montano, hæ- „ reticorum poſt hominum memoriam „ amentiſſimo, qui ſe Spiritum Paracli- „ tum, adjutricibus inſanis mulieribus „ Priſca, & Maximilla, ſomnia inaniſ- „ ſima pro veris prophetiis venditanti- „ bus, comminiſcebatur, cum ne qui- „ dem ſenſu communi præditus eſſet. „ Iſtos hæreticos ſecuti ſunt Depuſiani „ idem de ſanguine infantium pro Eu- „ chariſtiæ materia conficientes, hæ- „ reſ. 27. refert S. Auguſtinus. „

Quinto, fuerunt Aquarii, qui in Sacramento Euchariſtiæ adhibebant pro materia aquam tantum & non vinum; qui etiam dicti ſunt Encratitæ, hoc eſt abſtinentes; teſtatur Auguſtinus hæreſ. 64. His ſe adjunxerunt Manichæi, qui vinum ut Diaboli liquorem exhorrebant.

Sexto, Armeni quidam volebant pro Euchariſtiæ materia vinum purum & ſine aqua; quod colligitur ex can. 32. Concilii Trullani, in quo legitur: *Quoniam ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Armenorum regione vinum tantum in Sacramenta offerunt, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt, adducentes Eccleſiæ Doctorem Joannem Damaſcenum hæc dicentem in interpretatione Evangelii ſecundum Matthæum.* „ Homilia 83. „ Quamobrem non aquam bibit, cum „ ſurrexit, ſed vinum..... „ *Ut non ab hoc tempore impoſterum ignorantia teneantur, panis ſententiam orthodoxi aperimus: cum enim improba Hydroparaſtoſtarum, hoc eſt, eorum, qui aquam offerebant, antiqua hæreſis eſſet, qui pro vino ſola aqua in proprio ſacrificio uſi ſunt, refellens hic divinus vir deteſtabilem ejuſmodi hæreſis doctrinam, & oſtendens quod directe Apoſtolicæ traditioni adverſetur; quod & jam dictum eſt affirmavit, nam & ſuæ Eccleſiæ, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit &c.*

Septimo, Græci recentiores adeo adhibent azymum panem pro materia Euchariſtiæ, ut fermentatum omnino execrentur; & de hoc Græcorum errore paulo inferius, & fuſiori etiam calamo, pertractabimus.

Octavo, Lutherus lib. 1. contra Regem Angliæ ſcripſit, melius eſſe ſi aqua vino non miſceatur; *quia*, ait, *& mixtio eſt merum figmentum humanum, & ſiniſtram atque peſſimam habet ſignificationem.*

Pro Scholaſticis vero, omnes quidem conveniunt, panem triticeum eſſe neceſſariam Euchariſtiæ materiam; attamen Cajetanus putat, valere panis conſecrationem, ex cujuſcumque frumenti granis confectus fuerit. Ad hanc opinionem trahere conantur aliqui Angelicum Doctorem; ſed de hoc mox latius loquemur.

Dicimus I. panem eſſe materiam neceſſariam Sacramenti Euchariſtiæ; & hunc debere eſſe triticeum.

I. Concluſionis pars probatur I. ex Scripturis Matthæi 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt Corpus meum.* Marc. 14. *Et manducantibus illis accepit Jeſum panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: ſumite, hoc eſt Corpus meum.* Lucæ 22. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Prima ad Corinth. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate; hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Hilarius, qui refertur diſt. 2. *de Conſecratione.* „ Corpus Chriſti, quod ſu- „ mitur de altari, figura eſt, dum panis „ & vinum extra videtur: veritas au- „ tem, dum Corpus & Sanguis Chriſti „ in veritate interius creditur. „ Innocent. III. lib. 4. *Myſterior. Miſſæ* cap. 17. „ Si ad prolationem iſtorum verborum: „ *Hoc eſt Corpus meum*, panis mutatur in „ Corpus; & ad prolationem iſtorum „ verborum: *Hic eſt Sanguis meus*, vi- „ num mutatur in Sanguinem; prius „ proferantur iſta verba, quam illa; Prius „ ergo mutatur panis in Corpus, quam „ vi-

Digitized by Google

„ vinum in Sanguinem . „ Gregorius IX. lib. 1. *Decretalium* cap. 1. „ Cujus Cor-
„ pus & Sanguis in Sacramento altaris
„ sub speciebus panis & vini veraciter
„ continetur, transubstantiatis pane
„ in Corpus, & vino in Sanguinem, po-
„ testate divina &c. „

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Apostolorum quod vocatur a Fraſſen; Natalis vero Alexander vocat canones, qui dicuntur Apostolici, can. 3. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat super Altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra Constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Concilium Braccharense cap. 54. *Non oportet aliud in Sacramento offerri præter panem, vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur : quia cum in Cruce penderet, de Corpore ejus sanguis fluxit & aqua: Hæc tria unum sunt in Christo Jesu : hæc hostia & oblatio Dei in odorem suavitatis.* Similiter Concilium Carthaginense III. cap. 24. *In Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum, aquæ immixtum.* Idem ex Concilio Triburiensi cap. 19. *Confitemur & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini & aquæ sacra mysteria conficiat; sed ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi.*

IV. Probatur ex Patribus. Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium: *Quanquam sciam Episcopos plurimos Ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos, Evangelicæ veritatis, ac Dominicæ Traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Christus Magister & præcepit, & gessit, humana, & novella institutione recedere; tamen quoniam quidam, vel ignoranter, vel simpliciter, in Calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, & Deus noster, sacrificii hujus auctor, & doctor, fecit, & docuit; religiosum pariter, ac necessarium duxi ad vos litteras facere, ut si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta ad radicem, atque originem Traditionis Dominicæ revertatur.* Et infra. *Sacerdote Melchisedech Sacrificii Domici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, & dicit:* „ & Melchisedech Rex
„ Salem, protulit panem, & vinum. Fuit
„ autem Sacerdos Dei Summi, & bene-
„ dixit Abraham. „ *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens:* „ Ante
„ Luciferum genui te; tu es Sacerdos in
„ æternum secundum ordinem Melchi-
„ sedech. „ *Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens; quod Melchisedech Sacerdos Dei Summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei Summi, quam Dominus noster Jesus Christus? Qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, ideſt panem, & vinum scilicet Corpus & Sanguinem.* Et infra: *Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Christi in pane, & vino scilicet constituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.* Augustinus serm. 227. alias 73. de diversis, qui sermo ad Infantes inscribitur, habet: *Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet Calix, sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare Corpus, & Sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, vos estis, quod accepistis. Apostolus enim dicit:* „ Unus Panis, unum Cor-
„ pus multi sumus. „ *Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis. Nunquid enim panis ille, de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed ante quam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quandam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem, & Exorcismi Sacramento quasi molebamini. Accessit Baptismus, & aqua quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo signi-*

Digitized by Google

gnificat ignis, hoc est Chrisma? Oleum etenim ignis nostri, Spiritus Sancti est Sacramentum. Et sermone 229. *Quomodo unum videtis esse, quod factum est, sic unum estote vos diligendo, vos tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt: quia illi quærunt divisionem, cum Panis iste indicet unitatem. Sic & vinum in multis racemis fuit, & modo in unum est. Unum est in suavitate Calicis, post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem, & contritionem, jam in nomine Christi tamquam ad Calicem Domini venistis: & ibi vos estis in Mensa, & ibi vos estis in Calice. Nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus.* Hieronymus ad Psalm. 145. „ Esuriamus Christum, & ipse nobis dat „ cœlestem panem. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc qui dicunt, esuriunt. Qui panem desiderant, „ esuriunt. Qui dicit: *Panem nostrum* „ *quotidianum da nobis hodie,* utique esu„ riens loquitur. Dat escam esurientibus. Putat aliquis quod panem cœlestem de mysteriis dicat. Et hoc quidem accipimus: quia vera caro Christi est. „ Eucherius Lugdunensis 450. „ Sicut autem quicumque, qui ad fidem „ veniens, ante verba baptismi adhuc in „ vinculo est veteris debiti: his vero „ commemoratis, mox exuitur omne „ fœce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris „ altaribus imponuntur, antequam in„ novatione summi numinis consecren„ tur, substantia illic est panis & vini: „ post verba autem Christi, Corpus & „ Sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea, quæ verbo creare po„ tuit, possit creator convertere? Imo „ jam minoris videtur esse miraculi, si „ id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat „ commutare: „ Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. Mystogogica: „ Panis Eucharistiæ post Spiritus Sancti „ invocationem non amplius est panis „ communis, sed est Corpus Christi. „

Pro secunda vero Conclusionis parte præmittimus, non sufficere ad Eucharistiæ materiam determinandam, si dicatur quod ipsa debeat esse panis; siquidem panis ex diversitate fructuum, ex quibus conficitur, diversus quoque & multiplex ipse exurgit. Est panis, qui fit ex castaneis, ex ficubus, ex amigdalis, ex nucibus, & ex aliis. Insuper est panis, qui fit ex radicibus, & in usu habetur apud insulas Americæ, & vulgo dicitur *Casave*. Est etiam panis, qui conficitur ex leguminibus ut fabis, lupinis &c. Est quoque panis, qui fit ex granis, quæ dicuntur frumenta, & nomine frumenti veniunt omnia semina, quæ habent culmum, & spicas, & quæ falce metuntur; unde nomen frumenti est genericum ad triticum, hordeum, siliginem, avenam &c. Quod igitur in Conclusione asserimus, est, quod panis pro Eucharistiæ materia debeat esse triticeus, & insuper debeat esse aqua naturali compactus, & igne decoctus. Igitur.

II. Conclusionis pars: I. probatur ex Scripturis. Ille panis debet esse materia hujus Sacramenti, quo hoc Sacramentum fuit a Christo institutum atque confectum; sed hic fuit panis triticeus: ergo &c. Hujus argumenti veritas desumitur ex Osee 14. *vivent tritico*, & ex Psalm. 147. *adipe frumenti satiat te*; quæ verba Patres & Doctores de Sacræ Eucharistiæ communione intelligunt.

II. probatur ex Concilio Florentino pluribus in locis; & præcipue sess. ultima, in qua Græci responderunt Pontifici, qui interrogabat eos de Eucharistiæ materia, & dixerunt: *de pane sive, azymus sive fermentatus fuerit, Græci non curant; dummodo ex tritico constet.* Insuper in literis Unionis hæc habentur: *in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter conficitur.* Denique in Decreto unionis pro instructione Armenorum hæc reperiuntur verba: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.*

III. probatur Rationibus. I. quando dicitur panis absque addito, intelligitur panis triticeus; sed Evangelistæ omnes, loquentes de pane, in quo Christus Eucharistiam instituit, dicunt fuisse panem simpliciter, & absque addito: ergo fuit panis triticeus. Major patet, quia alii panes, qui non sunt triticei, exprimuntur cum addito, hoc est hordeaceus &c. Ut legitur etiam in Evangelio. II. Christus voluit panem illum esse materiam necessariam hujus Sacramenti, in quo ipse primum hoc Sacra-

cramentum instituit; dixit enim ibi Sacerdotibus & præsentibus, & subsequentibus: *hoc facite in meam commemorationem*: ergo panis triticeus est materia & materia necessaria hujus Sacramenti. III. Christi temporibus apud Judæos in usu erat solus panis triticeus; saltem apud homines, qui civiliter, & honeste vivebant: ergo in hoc solo pane Christus Dominus Eucharistiam instituit.

IV. probatur, quod panis iste debeat esse cum aqua naturali confectus; & quia sic est panis usualis, quo scilicet homines communiter utuntur: & quia etiam, si farina misceatur cum butyro, vel oleo, vel melle, non est amplius panis, sed placenta, vel torta.

V. probatur pariter, quod panis iste debeat esse igne decoctus; & quia hunc panem adhibuit Christus, quando Eucharistiam instituit; & quia, si panis non est igne decoctus, non est panis, sed pasta, adeoque non est hominum cibus, nec alimentum. Denique nec massa frixa, neque elixa, est materia sufficiens consecrationi, quia non est sufficiens panis communis, & usualis.

Objiciunt I. contra primam Conclusionis partem. Materia Sacramenti Eucharistiæ repræsentat spiritualem alimoniam; sed quicumque cibus, sive ex carne, sive ex pisce, sive ex fructibus, repræsentat spiritualem alimoniam: ergo quicumque cibus est materia Eucharistiæ. II. Dantur Loci, in quibus panis non invenitur: ergo saltem in his locis quicumque cibus potest esse materia Eucharistiæ. III. Illa erat materia Eucharistiæ, quæ in altari ad Deum offerebatur; sed ad Deum offerebatur ultra panem, etiam caro, vel fructus: ergo etiam hæc potest esse materia Eucharistiæ. IV. Saltem panis siligineus est materia sufficiens si non necessaria Sacramenti Eucharistici; præcipue ubi alius panis non invenitur; quia tunc satius est Eucharistiam aliquo modo conficere, quam nullo modo.

Respondemus ad I. dicendo, quod materia Eucharistiæ est cibus, qui repræsentat spiritualem alimoniam ex institutione Christi; ex Christi vero institutione solus panis fuit, non autem quicunque cibus; proinde solus panis est materia Eucharistiæ, non autem quicunque cibus.

Ad II. dicitur, quod si quis erit locus, in quo panis non inveniatur, potest tamen in illum aliunde asportari, ut ex eo Eucharistia conficiatur; proinde nulla erit ratio, ut ex alia materia, a Christo non instituta, Eucharistia conficiatur.

Ad III. dicitur, quod aliæ res comestibiles non offerebantur ad Consecrationem, sed vel in gratiarum actionem, vel ad religionis exercitium, vel ad Clericorum sustentationem. Unde dicitur in Concil. Cartag. III. cap. 24. *Primitiæ vero, seu mel, seu lac, seu alia, quæ solent offerri, quamvis in altari, tamen habent propriam benedictionem, & a divinis Sacramentis distinctam.* Et in Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, can. 4. dicitur: *Offerre non licet aliquid ad Altare præter novas spicas & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, idest, incensum, tempore, quo Sancta celebrantur.* Et can. 5. *Reliqua poma omnia ad domum Primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari.* Concilium Vvormatiense cap. 4. ubi ait: „ Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro „ delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim, quosdam „ schismatica ambitione detentos, contra divinos Ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare. Alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento Communionis porrigere. „ Quosdam etiam expressum vinum in „ Sacramento Dominici calicis offerre: alios vero pannum lineum musto „ intinctum per totum annum reservare, & in tempore sacrificii partem „ ejus aqua lavare, & sic offerre: Quod „ quam sit Evangelicæ & Apostolicæ „ doctrinæ contrarium, & consuetudini „ Ecclesiasticæ adversum, non difficile „ ab ipso fonte veritatis probabitur, a „ quo ordinata ipsa Sacramentorum „ mysteria processerunt. Cum enim Magister veritatis verum salutis nostræ „ sacrificium suis commendaret Discipulis, non illis lac, sed panem tantum, „ & calicem sub hoc Sacramento cognovimus dedisse. Legitur enim in Evangelica veritate. Accepit Jesus panem, „ & calicem, & benedicens dedit Discipulis suis. Cesset ergo lac sacrificando „ of-

Digitized by Google

„ offerri, quia manifestum, & evidens „ Evangelicæ veritatis exemplum illu- „ xit, quod præter panem & vinum, „ aliud offerri non licet. „ Concilium „ Braccharense III. cap. 10. *Audivimus quosdam schismatica ambitione detentos contra divinas & Apostolicas institutiones, mel & lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare. . . . Quod quam sit Evangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur, a quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt; ait enim Evangelista: Accepit Jesus panem, & calicem, &c. Cesset ergo lac in Sacrificio offerri, quia per evidens exemplum ad Altare, mel & lac offerre non licet.* Et ex Altissiodorensi can. 8. *Non licet in Altari in Sacrificio divino mellitum (quod mustum appellatur) vel ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum; quia ad grandem reatum, & peccatum pertinent Presbyteri illi, quicunque aliud poculum extra vinum in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumpserit.* Ex Matisconensi II. can. 4. *Statuimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini.* Ex Lateranensi IV. cap. firmiter: *Christi Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem.* Idem habent posteriora Concilia supra a nobis laudata.

Ad IV. responsio patebit ex mox dicendis.

Opponunt I. contra secundam Conclusionis partem. Concilium Florentinum loquitur de necessitate præcepti, non vero de necessitate Sacramenti, dum verba facit de pane triticeo: ergo saltem panis non triticeus non obstat validitati Sacramenti. II. Panis Eucharisticus debet esse panis usualis; sed apud aliquas regiones panis usualis est non triticeus: ergo saltem apud illas nationes panis non triticeus est materia sufficiens Sacramenti. III. Ex Patribus & Conciliis panis Eucharisticus debet esse panis ex frumento; sed frumentum est genus ad omnem speciem grani quod habet aristas: ergo &c. IV. S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 3. ad 2. docet, panem siligineum satis esse ad consecrationem: ergo panis triticeus non est materia necessaria.

Respondemus ad I. negando, quod dicitur de Concilio Florentino; & ratio est quia hoc Concilium eodem modo loquitur de materia baptismi, quæ est aqua, ac de materia Eucharistiæ, quæ est panis; sed pro illa intelligitur de necessitate Sacramenti: ergo etiam pro hac. Insuper eodem modo loquitur de vino ac de pane; sed de vino intelligitur de necessitate Sacramenti: ergo pariter de pane. Denique quia traditio Apostolica docet, constans semper in Ecclesia fuisse panem esse Sacramenti Eucharistiæ materiam; & hoc testatur præcipue Catechismus Romanus num. 19. in quo legitur. „ Primum „ enim panis & vini symbola Christum „ nobis significant, ut vera est hominum „ vita; ipse enim Dominus ait: *Caro mea „ vere est Cibus, & Sanguis meus vere est „ potus.* Cum igitur Corpus Christi Domini vitæ æternæ alimentum illis præ- „ beat, qui ejus Sacramentum pure & „ sancte suscipiunt: recte iis potissimum „ rebus conficitur, quibus hæc vita continetur, ut fideles facile possint intelligere, pretiosi Corporis & Sanguinis „ Christi communione mentem, animumque saturari. Nonnihil etiam „ hæc ipsa elementa ad id valent, ut eam „ cognitionem accipiant homines esse „ in Sacramento Corporis & Sanguinis „ Domini veritatem. Nam cum panem „ & vinum in humanam carnem & sanguinem vi naturæ quotidie immutari „ animadvertamus; facilius adduci possumus hac similitudine, ut credamus „ panis & vini substantiam in veram „ Christi carnem, verumque ejus sanguinem cœlesti benedictione converti. Affert etiam aliquid adjumenti hæc „ elementorum mutatio ad adumbrandum quod fit in anima. Ut enim, etsi „ nulla extrinsecus panis, & vini mutatio apparet; tamen eorum substantia „ in carnem, & sanguinem Christi vere „ transit: ita etiam tametsi in nobis nihil immutatum videatur, interius tamen ad vitam Eucharistiæ Sacramenta accipimus. Accedit ad hæc, quod „ cum unum Ecclesiæ corpus ex multis „ membris compositum sit, nulla re „ magis elucet ea conjunctio, quam ex „ panis vinique elementis. Panis enim „ ex multis granis conficitur, & vinum „ ex multitudine racemorum exsistit; atque ita nos, cum multi simus, hujus „ di-

„ divini mysterii vinculo arctissime col-
„ ligari, & tanquam unum corpus effici,
„ declarant. „

Ad II. dicitur, quod panis usualis apud omnes locos ex se est triticeus, quanvis in aliquo loco per accidens non sit hujusmodi; potest tamen in illum locum aliunde asportari, ut dictum est.

Ad III. Minor propositio vera est de Scriptoribus profanis; videlicet Plinio lib. 18: hist. cap. 7. & Varrone de re rustica cap. 48. non tamen sic apud Sacram Scripturam, scilicet Deuteronomii 7. Jerem. 41. Ezechiel. 4. Joel. 1. ubi frumētum ab hordeo, millio, & aliis granis distinguitur. Hoc ipsum evidēter constat ex verbis Genes. 46. *Joseph jussit ministris, ut implerent saccos eorum tritico, & illi portantes frumenta in Asinis suis profecti sunt.*

Ad IV. S. Thomas supposuit, siliginem a tritico secundum speciem non differre; & hæc sunt ejus verba citato loco: *Ad secundum dicendum, quod generans generat sibi simile in specie, sit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ; & ideo si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt: sicut ex grano tritici seminato in malis terris, nascitur siligo, ex tali frumento panis confectus potest esse materia hujus Sacramenti: quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in spleta, neque in farre, quod inter omnia est grano tritici similius: similitudo autem figuræ in talibus magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei, sicut ex similitudine figuræ manifestatur quod canis, & lupus sunt propinquæ speciei, non autem ejusdem.*

Devenientes modo ad quantitatem, & qualitates panis consecrandi, qui est materia partialis Sacramenti Eucharistici; circa quantitatem, examinanda se offerunt hæc tria; scilicet primum, quæ quantitas panis valide consecretur? Secundum, quæ quantitas, ut licite consecretur? tertium, quæ præsentia sit necessaria materiæ, quando forma profertur?

Dicimus II. Quamlibet panis quantitatem posse valide consecrari, licite autem eam tantum, quam Sacerdos judicat prudenter posse sumi a Fidelibus, antequam species putrescant; & præsentiam requiri, quando forma profertur. Tres habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars probatur. Quantitas panis, quæ designari potest per pronomen *hoc*, valide consecrari potest; sed per pronomen *hoc* quælibet panis quantitas designari potest: ergo quælibet panis quantitas valide consecrari potest. Minor patet. Quia pronomen *hoc* non restringitur ad majorem sive minorem panis quantitatem, sed complectitur quantitatem illam omnem, quæ consecranti est præsens.

II. Probatur. Fideles, qui ad communicandum accedunt, non determinantur numero aliquo, sed sunt aliquando in majori, aliquando in minori numero: ergo nec pariter determinanda est panis quantitas consecrati, quam suscipere habent: ergo valida est consecratio illius panis quantitatis, quam possunt Fideles sumere. Argumentum fundatur in doctrina S. Thomæ citato loco articulo 2., ubi sic habet: *Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod Sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis aut vini; puta totum, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed quod non videtur esse verum, quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia Serræ est ferrum, ut sit apta sectioni: finis autem hujus Sacramenti est usus Fidelium, qui nunc occurrunt, alioquin Sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias; Unde relinquitur, quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum Fidelium absolute; numerus autem Fidelium est indeterminatus: unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti sit determinata.*

II. Conclusionis pars probatur I. Non licet Sacerdoti consecranti exponere species panis consecrati periculo imminenti putrefactionis; sed hoc ageret Sacerdos, qui consecraret, non secundum illud, quod in conclusione posuimus: ergo illicite ageret. Probatur major: Sacerdos ubi advertit, panis consecrati species esse proxime corrumpendas, debet illas sumere, sub sacrilegii pœna, si eas opportune non sumit: ergo non licet &c. II. probatur. Antiquitus apud Ecclesias, & Orientalem, & Occidentalem hic mos vi-

Digitized by Google

vigebat, quod reliquiæ panis conſecrati diſtribuebantur in templo pueris jejunis ad id advocatis; & hoc probatur, tum miraculo, quod refert Evagrius de puero judæo lib. 4. hiſt. cap. 35. tum probatur etiam teſtimonio Nicephori quod adduximus ſupra, pro Eccleſia Orientali; & pro Eccleſia Occidentali facit quod ordinavit Concilium Matiſconenſe habitum Anno 588. can. 6. ubi hæc leguntur: *Quæcunque Sacrificiorum reliquiæ poſt peractam Miſſam in Sacrario ſuperfuerint, quarta vel ſexta feria innocentes pueri ab illo, cujus intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.* Accedit quod ſtatuit Concilium Aurelianenſe part. 2. can. 59. apud Yvonem; ſcilicet quod panes, qui incipiunt computreſcere, comburantur, & cineres ad altare ſepeliantur; & hoc ipſum tradit obſervatum fuiſſe ſeculo II. Algerus.

III. Concluſionis pars probatur. I. Falſa eſt conſecratio, quando non habetur præſens materia, quæ deſignatur per pronomen *hoc*, vel *hic*: ergo eſt invalida. Antecedens probatur: quia pronomen *hoc* vel *hic* eſt demonſtrativum rei præſentis: ergo ſi res non eſt præſens, falſa eſt illius prolatio.

II. probatur. Si materia panis, vel vini ſit inſenſibilis, nulla eſt conſecratio; ſed hoc non per aliud, niſi quia nulla eſt præſentia materiæ, ergo &c. Probatur antecedens a Juvenino quæſt. 2. de materia Euchariſtiæ cap. 1. art. 2. his verbis: „ In particula panis, aut „ vini guttula, ſi ſenſus fugiat, non po„ teſt Sacramenti ratio reperiri, cum „ ſit de eſſentia Sacramenti, quod ſit ſi„ gnum ſenſibile, ut ſuo loco dictum eſt; „ ergo exiguarum partium conſecratio „ irrita eſt, cum fieri non poſſit abſque „ quod Sacramentum conficiatur. Ob„ ſervatum tamen velim non requiri in „ materia ſenſibilitatem in actu ſecun„ do, valet nempe conſecratio hoſtiæ, „ quæ ſub Corporali latitat; ſatis igitur „ eſt ſenſibilitas in actu primo, ita ut „ materia percipi poſſit, ſi ſenſibus non „ impeditis objiciatur. „

Arguunt I. particulæ panis conſecrati, ſi dividantur, retinent Corpus Chriſti: ergo ſi ſint diviſæ, ſunt capaces, ut conſecrentur, & retineant etiam Corpus Chriſti. Antecedens eſt doctrina Concilii Trident. ſeſſ. 13. can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* II. pronomen *hoc* etſi aliquando non demonſtret rem, quæ ſit præſens ſenſui, demonſtrat tamen ſemper rem, quæ eſt præſens intellectui: ergo nihil refert ſi materia conſecranda non ſit ſenſibilis, dummodo ſit intelligibilis. III. panis, qui per alium panem occultatur, valide conſecratur, quando forma conſecrationis ſuper utrunque panem profertur: ergo non eſt neceſſe, ut valide conſecretur materia, quod ſit præſens ſenſui, quãdo verba conſecrationis proferuntur. IV. ad tollendam hanc præſentiam deberet aſſignari diſtantia, quæ intercederet inter ipſam, & Conſecrantem; ſed hæc diſtantia aſſignari non poteſt: ergo nec pariter eſt aſſignabilis præſentia.

Reſpondemus ad I. Concilium Tridentinum loqui de particulis quidem minimis, ſed ſenſibilibus; & hæ certe ſunt capaces, & retinendi, & recipiendi Corpus Chriſti: nos autem loquimur de particulis inſenſibilibus, quæ ſenſibus ſcilicet non ſubſunt, & quæ proinde dici poſſunt corruptæ per ſeparationem; & hæ non ſunt capaces recipiendi, & retinendi Corpus Chriſti.

Ad II. dicitur, quod pronomen *hoc* eſt demonſtrativum rei, quæ ſubjacet ſenſui, non rei, quæ ſubjacet intellectui; aliter quæcunque res, quæ eſt in mundo, & quæ intellectui ſubeſſe poſſit, poſſet etiam indicari & demonſtrari per pronomen *hoc*; quod eſt omnino falſum.

Ad III. dicitur, quod hoſtia, quæ latitat, eſt præſens, ſi non immediate, ſaltem autem mediate. Præterquamquod tota illa multitudo hoſtiarum eſt vere præſens per modum unius; unde præſentia, quæ de ſingulis hoſtiis, proprie etiam verificatur.

Ad IV. dicitur, quod diſtantia requiſita eſt illa, extra quam res aliqua humano, & conſueto modo loquendi non dicitur præſens. Hoc pacto homo aliquis, qui non eſt cum Titio in Conclavi, in quo Titius reperitur, ſed eſt in Cubiculo proximo & ſubſequenti, non dicitur præſens Titio, quando aliquam in Conclave illo exercet actionem.

Digitized by Google

nem. Hoc pacto communiter affirmatur, quod hostia, quæ est in pixide, seu vasculo inclusa, valide consecratur; non autem hostia, quæ est inclusa pixide, seu vasculo, quod non est super Altare, verum in Tabernaculo, vel Sacrario reposita.

Pro III. Dissertationis parte, quæ respicit qualitates panis consecrandi, hæc examinanda supersunt, nimirum, qui panis esse debeat? quam præparationem habere? & quam figuram?

Dicimus III. Panem consecrandum olim fuisse a fidelibus oblatum; secundum temporum diversitatem fuisse diversimode præparatum; & variis quoque temporibus diversam habuisse figuram.

I. Conclusionis pars I. probatur. Cyprianus hæc loquebatur mulieri cuidam. *Locuples es, dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem ex sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*: ergo ex Cypriano qui ad sacrificium accedebant, panem & vinum offerebant, & ex ipsis oblationibus Eucharistia conficiebatur.

II. Probatur Ordo Romanus seculo VII. præcipit Subdiaconis offerre Archidiacono panes a fidelibus oblatos, & ex iis Archidiaconum eligere, quos Altari imponebant, ut consecrarent.

II. Conclusionis pars probatur I. Sevente Ecclesiæ persecutione quemcunque panem primis temporibus consecrabant Apostoli, & eorum Successores, quando in Antris celebrabant, & alium panem non habebant. Insuper persecutione jam finita habemus ex Concilio Toletano XVI. celebrato Anno 693. ut non *aliter panis in altari sanctificandus præponeretur, nisi mundus, & nitidus, & qui studio præparatus fuisset*; & hæc quidem de præparatione remota intelliguntur,

II. Probatur de proxima præparatione, de qua hæc scribit Juveninus cit. loco „ „ Nomine præparationis proximæ ea „ intelligitur, quæ fit cum instat sacrifi- „ cii celebratio. In Ecclesia Latina sine „ ullo peculiari ritu ea pręparatio pera- „ gitur: nam quoad panem spectat, in „ sacrario cum brevioribus hostiis, quæ „ fideli populo post consecrationem dis- „ pensantur, patenæ imponitur. Vinum „ & aqua cum oratione, & data a Sacer- „ dotum manibus benedictione, ante „ offertorium Calici infunduntur: Excipiendi sunt tamen nonnulli Monachi, „ qui vinum ante Missæ introitum in altari aqua diluunt. Apud Græcos in „ proxima materiæ consecrandæ præparatione is ritus observatur. I. Sacerdos Græcus lotis manibus, sese confert ad minus altare, quod ad majoris „ levam erectum est. II. Diaconus discum altiorem parat, quem collocat „ in sinistra minoris illius altaris parte, calicem ad dextram posito: III. „ Sacerdos manu læva panem accipit; „ dextera vero gladiolum, qui in brevioris lanceæ figuram desinit: Panem „ gladiolo divisum in partes, reponit in „ disco. IV. Diaconus vinum, & aquam „ in Calicem infundit, multæque interim orationes recitantur, quas in Chrysostomi liturgia legere est. V. Facta „ majoris hostiæ oblatione, plures particulæ, quas *Meridas* vocant, sigillatim offerunt; Iis scilicet particulis „ Græci varios sacrificii fines designant: „ prima in honorem Christi offertur, altera ad Mariæ cultum; tertia in honorem S. Joannis Baptistæ, Sanctorum „ Apostolorum, aliorumque, quorum „ nomina recensentur: quartam offerunt „ pro salute viventium, quos nominatim appellant: denique pro defunctis, „ eorum pariter recitatis nominibus. „

III. Conclusionis pars probatur I. Primis Ecclesiæ temporibus, quando persecutio sęviebat, panes offerebantur sani, & in frusta comminuti post consecrationem fidelibus distribuebantur in quacunque figura. Post persecutionem vero panes consecrandi erant in figura orbicolari; ut colligitur ex Historicis Ecclesiæ, & præcipue ex Epiphanio in Ancorato num. 57. & ex Cęsario, qui erat Gregorii Nazianzeni frater Dialog. 3. de fide.

II. Probatur XI. Seculo in Ecclesia Occidentali consecrabatur panis ingentis magnitudinis, & fidelibus distribuebatur; ut colligitur ex Epistola, quam scripsit Humbertus Cardinalis contra Michaelem Cęrularium, Constantinopolitanum Patriarcham, Anno 1056., in qua hæc habet: *Sicut Sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem integrum benedixit* (Christus) *& frustum singulis particulatim distribuit dicens: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.*

III. Probatur. In fine seculi XI. panis

Eu-

Digitized by Google

Eucharisticus redactus fuit ad breviorem illam formam, qua nunc Occidentales utuntur. Testantur Bernardus, Presbyter Costantiensis, qui circa annum 1089. Ordinem Romanum notis illustravit; Ernulphus Episcopus Roffensis Anno 1124. in Epistol. ad Lambertum: illi „(*Apostoli*) panes quotidianos comederunt, nos in forma nummi panem accipimus.„

DISSERTATIO CCCCV.

De materia Eucharistiæ. An Christus in Azymo Consecraverit? An valeat Consecratio in Azymo, sive Fermentato? An liceat?

ULtra ea, quæ diximus tom. 4. Diss. 239. in qua de Christo ultimam cænam celebrante agebatur; ad rem, quam modo suscipimus tractandam, hæc sunt quoque prænotanda. Et quidem primo quod quanvis Græci aliquot concedant, Christum usum fuisse azymis quando Pascha Mosaycum comedit, deinde tamen adhibuit fermentatum, quando comedit Christianum Pascha, & Eucharistiam instituit; & hujus opinionis fuit circa medium seculi undecimi Michael Cærularius, Patriarcha Constantinopolitanus, in Epist. quam scripsit ad Joannem Episcopum Tranensem, ubi de esu Paschalis Agni loquens, hæc habet: *Hucusque universa legalis Paschæ sunt: deinde, quæ mystici, & nostri sunt, addidit Evangelista, edentibus illis, accepit Jesus panem &c.* quem quidem panem Cærularius intelligit de fermentato, quia, ait, opponitur pani illi, quem adhibuit in Paschate Mosayco, qui utique Azymus fuit. At vero Latini contrarium semper docuerunt, & etiamnum docent; ut clare constat ex his, quæ scripsit Leo Papa IX. contra eundem Cærularium, & hæc sunt: *Illud autem quis non stupescat, quod post tot Sanctos, & Orthodoxos Patres per mille, & viginti a Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex azymis? quam præsumptionem tuam, & fama nobis obtulit, & litterarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus, manifestavit: quæ violenter adstruere conantur fermentatum fuisse, quo Dominus Apostolis suis corporis sui mysterium in cœna commendavit.*

Secundo prænotamus ex Chrysostomo hom. 82. in Matth. quod Judæi die illo, quo suum celebrabant Pascha, duplicem cænam faciebant; primam scil. quæ erat legalis, secundam vero, quæ erat communis. Prima erat illa a lege prescripta in memoriam transitus Israelitarum ab Egypto, & hanc faciebant stantes, & comedentes azymum panem, & Agnum cum cæteris cæremoniis, quæ describuntur. Secunda vero fiebat ab iisdem pro corporali refectione totius familiæ, quæ si numerosa esset, compleri non poterat uno Agno anniculo cum azymis panibus, & modicis lactucis agrestibus. Photius in sua Bibliotheca num. 115. affert Authorem incertum, qui vult Christum eo anno, quo mortuus est, celebrasse solam cœnam vulgarem, non autem legalem. Marcus Antonius de Dominis lib. 5. de Republica Christiana cap. 6. num. 275. in hanc propendet sententiam; quam quoque docuit Villagagnonus ut refert Sanctesius repet. 1. de Eucharistia cap. 7. & primitus docuerunt alii, ut testis est Theophilactus cap. 26. hist.

Ter-

Tertio prænotamus, hanc controversiam inter Græcos, & Latinos secundū quosdā sumpsisse exordium a Photio anno 660. qui inter multos errores, quorum immerito Latinos accusavit, hic fuit unus, quod scil. Latini in azymo consecrarent, quando Christus Eucharistiam instituens, in fermentato consecravit. Secundū alios postmodum, ut diximus, circa medium seculi undecimi an. scil. 1053. Michael Cærularius, Patriarcha Constantinop. & Leo, Archiepiscopus Acridanus, scripserunt Epistolam ad Episcopum Ilaurensem, in qua Latinam Ecclesiam accusabant, quod Sabbata in Quadragesima custodiret, hoc est iisdem diebus jejunaret; quod suffocatis vesceretur; quod Alleluja in Quadragesima non psalleret, & quod Eucharistiam in azymis conficeret. De hoc ultimo hanc rationem addit Frassen. *Ultimum autem morem inde ibi reprehendunt, quod vox ἄζυμος, quæ in Evangelio habetur, significat panem elevatum, sic dictum a fermento, & sale, a quibus calorem habet, & elevationem; azymus autem est similis luto, nihil saporis habens vel elevationis.* Deniq; subdit hanc Epistolam inveniri tom. 4. Biblioth. Patrum, quam Humbertus Cardinal. Episc. Silvæ Candidæ in latinum vertit, & ad Leonem IX. Pontificem Maximum misit. Historiam denique rei hujus completam quidem iisdem verbis citat Frassen hic subnectimus. „

„ Scripsit etiam ad Michaelem Patriarcham, Leonem Archi-Episcopum Leo „ Papa cujus Epistola ordine prima in „ voluminibus Conciliorum legitur. „ Ad Summum Pontificem rescripsit „ Patriarcha, Ecclesiæ unitatis, & pacis cupidus, vel certe simulator: cui „ Leo Papa epist. 6. in Domino congratulatus est. Anno sequenti 1054. „ Humbertum, & Fridericum Cardinales Legatos suos Constantinopolim „ misit Papa, per quos ad Imperatorem „ Constantinum Monomachum scripsit, „ laudans ejus pacis zelum, & Michaelis damnans audaciam, qui aperta „ persecutione in latinam exardescens „ Ecclesiam, anathematizare non timuerat omnes qui Sacramenta attrectant „ ex azymis. Scripsit etiam idem Papa „ ad Patriarcham, quem novum Ecclesiæ Latinorum calumniatorem, & publicum persecutorem appellat. Præsentibus Imperatore, Proceribus, „ & Legatis, Nicetas Monachus Pectoratus, librum de azymo adversus Latinos sub ipsius nomine editum reprobavit, qui liber insistentibus Legatis „ jussu Imperatoris in ignem projectus „ est. Sequenti vero die Nicetas Legatos adivit, & anathemate in suos errores iterum a se lato, in Legatorum „ gratiam, & familiarem amicitiam receptus est. Ita refertur in Actis brevioribus, quæ extant tom. 4. *Bibliothecæ Patrum*: Michael vero in errore „ pertinax, colloquium, & præsentiam „ Legatorum vitavit. Hinc Græci Schismatici Latinos azymatos palam vocitare cæperunt, necnon eorum in „ azymis consecrationem nedum irritam, sed & omnino profanam non „ minus erronee, quam impie dixerunt. „

Denique de nostrorum temporum Hæreticis, nimirum Lutheranis, & Calvinistis, Jueninus in Institut. Theologicis part. 8. dist. 4. cap. 2. art. 1. §. 2. hæc dicit: Lutherani, & Calvinistæ docent, *liberum esse cuique uti, aut azymo, aut fermentato pane.*

Dicimus I. Christum panem azymum consecrasse, quando Eucharistiam instituit.

I. Probatur ex Scripturis. Matthæi 26. *Prima die azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit; Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei; Magister dicit: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis, Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis..... Cænantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Marci 14. *Primo die azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et mittit duos ex Discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum. Et quocumque introjerit, dicite Domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cænaculum grande stratum, & illic parate nobis.* Lucæ 22. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse*

Digitized by Google

cesse erat occidi pascha. Et misit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat; Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi Pascho cum Discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. Quæ quidem omnia testimonia intelligi nequeunt de pane fermentato, sed tantum de pane azymo; & ratio est, quia diebus illis non solum non licebat Judæis panem fermentatum edere, sed nec etiam in domibus suis retinere: ergo Christus panem fermentatum non adhibuit, sed tantum azymum: ergo Christus in pane fermentato non consecravit, sed tantum in azymo.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus, & præcipue ex Leone IX. his verbis præfatam rationem explicante, & contra Michaelem Cærularium arguente: *Qui non venerat solvere legem, sed adimplere, juxta ipsius legis præceptum ex azymis, & vino vetus Pascha adimplevit, & protinus ex azymis, & vino novum* (sicut aperte Lucas narrat) *Discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel; & apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo. Quod si in Cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipse, aut Discipuli ejus quoquo modo gustassent, juste sicut prævaricatores perirent: nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec esset opus, falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur juste.*

III. Probatur. Si Christus non celebrasset Pascha in azymo, sed in fermentato, fuisset destructor, non conservator legis; sed hoc est contra ipsiusmet Christi testimonium, & confessionem, ubi dixit: *Non veni solvere legem, sed adimplere*: Et pariter: *Jota unum, aut unus apex, non præteribit a lege, donec omnia fiant*: ergo Christus in celebratione Paschæ mosaycam legem servavit; sed mosayca lex præcipiebat, ut Pascha in azymo, & non infermentato celebraretur: ergo Christus non in fermentato, sed in azymo Pascha celebravit.

Objiciunt I. Christus eo anno, quo mortuus est, celebravit Pascha ante diem solitum, quo a Judæis celebrabatur: ergo non tenebatur in azymo celebrare Pascha. Probatur antecedens; Joan. 13. ubi agitur de lotione pedum, qua peracta, pascha celebravit, dicitur: *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus &c.* II. Veneris die, quæ Pascha præcedebat, Judæi nondum agnum paschalem comederant; dicitur enim Joannis 18. *Erat mane, & ipsi non introjerunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*: ergo Christus diem lunæ 14. præoccupavit, ut comederet Pascha: ergo non in azymo, sed in fermentato celebravit. III. Eadem Veneris dies, qua Christus crucifixus est, vocatur parasceve Paschæ, hoc est præparatio ad Pascha; dicitur enim: *Erat autem parasceve Paschæ*: ergo non erat tempus Paschæ, quo Christus debebat azymum comedere. IV. Christus dixit ad Judam. *Quod facis, fac citius*; sed Apostoli interpretati sunt hæc verba de præparatione ad Pascha, scilicet de cibis, qui emendi erant per Judam, & consumari debebant in Paschæ peractione: ergo Christus quando Eucharistiam instituit non celebavit Pascha Judæorum: ergo non in azymo, sed in fermentato celebravit. V. Christus eo die Pascha celebravit, quo paschalem agnum comedit; sed quando instituit Eucharistiam paschalem agnum non comedit: ergo illo die Pascha legale non celebravit: ergo azymum non comedit. Probatur antecedens. Paschalem agnum ex præscripto legis debebant comedere stantes, cum baculis, accincti ad iter agendum &c. sed Christus cum Apostolis, quando Eucharistiam instituit, non erat stans, sed sedens, immo procumbens: ergo Christus, quando Eucharistiam instituit, paschalem agnum non comedit: ergo Pascha mosaycum non celebravit: ergo azymum non comedit. VI. Pascha mosaycum anno illo, quo Christus mortuus est, traslatum fuit in diem Sabbati; sed Christus cœnam fecit, & Eucharistiam instituit ante hunc diem: ergo non in eo tempore, quo mosaycum Pascha ce-

Digitized by Google

lebrabatur. Probatur minor; quia dies illa Sabbati a Joanne 19. vocatur dies magnus; dicitur namque: *erat enim magnus dies ille Sabbati*; sed non ob aliam rationem dictus est magnus, nisi quia die illo Mosaycum Pascha celebrandum erat: &c.

Respondemus ad I. Quod Evangelium expresse dicit, Apostolos accessisse ad Jesum prima die azymorum, quæ incipiebat sub vesperam lunæ 14. ac ab eodem petiisse, ubi vellet Pascha sibi parari: igitur præparatio Paschæ fuit ante ipsum diem Paschæ, non autem fuit ipsum Pascha; sicque ex illis verbis non arguitur: quod anno illo, quo Christus mortuus est, ante diem solitum Pascha mosaycum celebrasset.

Ad II. dicitur, quod ad comedendum Paschalem Agnum multa erant necessaria, ut a Judæis præpararentur; & hæc apud illum patremfamilias, ad quem Jesus Discipulos misit, in promptu non erant; inde fuit quod Jesus Discipulis dixit, quod admonerent patremfamilias, ut antecedenter, quæ ad agnum paschalem comedendum necessaria erant, præpararet.

Ad III. Hæc reponit Jueninus in commentario differt. 4. quæst. 2. art. 4. §. 1. „ Si (ut volunt nonnulli) Christus „ Eucharistiam instituit ante diem 14. „ lunæ; validum inde, & palmare argu„ mentum adversus Quartodecimanos „ Ecclesia desumpsisset; contendebant „ illi hæretici, ideo Christianos teneri „ celebrare Pascha luna 14. mensis Mar„ tii, in quamcumque hebdomadæ diem „ incideret, quod suum ea die Christus „ celebrasset. Atqui Patres, tũ Græci, tũ „ Latini illo argumento nusquã usi sunt; „ nusquã Victor Papa contra Asiaticos „ agens, nec Concilium Nicænum pri„ mum, a quo Quartodecimani proscri„ pti sunt, dixere hæreticos falsum sup„ posuisse, cum asserebant Christum „ agnum paschalem manducasse, ac in„ stituisse Eucharistiam luna 14. mensis „ Martii 4. Nihil causæ fuit cur Christus „ diem lege determinatam præoccu„ paret; Nec contrarium evincitur ex „ iis, quæ ex Joanne objecta sunt. Primo „ enim cum asserit, pedum lotionem fa„ ctam fuisse, *ante diem festum Paschæ*, „ non legali, sed more communi loqui„ tur, secundum quem diem crastinum „ non dicimus, nisi cum, quem transa„ cta nocte Sol Oriens adducit: nihil „ ergo impedit, quin diem Jovis dixerit „ præcessisse Pascha, quamvis secundum „ legem, festum Paschatis ipsa Jovis die „ sub vesperam inciperet. Nec vero a „ Scripturarum usu aliena est ea loquen„ di consuetudo: Lucas enim cap. 23. „ hæc ait: *Dies erat parasceve, & Sab„ batum illucescebat &c.* cum tamen ex „ legali institutione parasceve desiisset „ præcedenti die sub vesperam, hora „ nimirum nona, & tunc dies Sabbati „ incæpisset. Eadem loquendi ratione „ Matthæus cap. 28. loquitur, *Vespere „ autem Sabbati, quæ lucescit in prima „ Sabbati*; cum tamen vespera præce„ dentis diei non esset revera Sabbati, „ sed prima Sabbati, quam ipse ab illu„ cescente die denominat. Marcus eun„ dem loquendi modum adhibet, *Et cum „ sero esset factum (qui erat parasceve „ quod est ante Sabbatum) venit Joseph.* „ Certe (inquit Baronius in hunc locum) „ proprie loquendo, illud *Sero* non erat „ *parasceve*, sed principium Sabbati. „ Sic itaque eodem modo (verba sunt „ laudati Cardinalis) Joannes vespere „ illud decimæ quartæ lunæ, quando fa„ cta est cœna, nominat ante diem fe„ stum Paschæ, cum tamen esset princi„ pium Paschæ. „

Ad IV. Dicitur, incertum esse, an per ea verba Christus dixerit Judæ ut præpararet, quæ ad Paschæ celebrationem necessaria erant; an potius, ut exequtioni mandaret, quæ de proditione Judas cogitaverat, ut per eam humanæ redemptionis opus compleretur; quod multi Authores etiam ex veteribus afferunt. At dato quod Christus loquutus fuisset de præparatione ad celebrandum Pascha; non inde sequitur, quod Adversarii intendunt, propter rationes, quas idem Jueninus affert.

Ad V. Subditur responsio Frassen, qua Paschatis nomen sub diversis significationibus explicat, & quæcunque contraria apparent, conciliare optimo jure prosequitur. Sunt ejus verba. „ „ Nomen Paschatis variis, sed maxime „ quatuor modis in Scriptura usurpari, „ ut observat Innocentius III. lib. 4. de „ celebratione Missarum cap. 2. *Primo*, „ pro eo solo die, in quo immolabatur „ Agnus Paschalis; sic Lucæ 22. *Appro„ pinquabat dies festus Judæorum, qui di„ citur Pascha*. Secundo, pro ipso Agno „ Pas-

Digitized by Google

„ Paſchali, ſic ibidem: *Venit autem dies* „ *azymorum, in quo neceſſe erat occidere* „ *Paſcha*: Tertio, pro cibis Paſchali„ bus, ſeu victimis, quæ diebus illis „ azymorum offerri ſolebant, & quibus „ per ſeptem dies veſci licebat: anima„ lia enim ſic a populo oblata dicebantur *Phaſe*, juxta illud 2. Paralipome„ non cap. 25. ubi legimus: *Dedit Ioſias* „ *omni populo, qui ibi fuerat inventus in* „ *ſolemnitate Phaſe, agnos, & hædos, de* „ *gregibus, & reliqui pecoris triginta mil*„ *lia, Boum quoque tria millia ..... ad* „ *faciendum phaſe*. Quarto denique pro„ vero Agno Paſchali; ſic 1. ad Cor. 5. „ *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: „ Alterutro ex quatuor prædictis modis „ intelligi, ac diſſolvi poſſunt præfatæ „ Scripturæ authoritates; ſed ut facilius „ diluantur, placet eam ſigillatim ex„ pendere & explicare. „

Ad VI. dicitur, quod illo anno in die Sabbati concurrebant ſimul duo Feſta, Sabbatum ſcil. & dies ſecunda azymorum; & proinde dies magnus Sabbati appellatus fuit. Probatur hæc reſponſio a Juenino citato loco verbis hiſce. „ Confirmatur ea reſponſio I. „ ex Joanne cap. 7. ubi ultimus dies Sce„ nopegiæ, *Magnus* appellatur; *In no*„ *viſſimo autem* DIE MAGNO *feſtivita*„ *tis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens ſi* „ *quis ſitit &c.* Quemadmodum igi„ tur ille dies *Magnus* ideo dicitur, quod „ pari cum primo ſolennitate celebrari „ deberet: Ita & Sabbatum, quod ſub„ ſecutum eſt Chriſti mortem, *Magnus* „ *dies* appellatus eſt, quod duo feſta „ complecteretur. „

Dicimus II. Validam eſſe conſecrationem ſive in pane azymo, ſive in fermentato fiat.

I. Concluſionis pars I. Probatur. Valet conſecratio, ſi fiat in illo pane, quem Chriſtus conſecravit; ſed Chriſtus conſecravit in pane azymo, ut in præcedenti concluſione probatum eſt: ergo valet conſecratio, ſi fiat in pane azymo.

II. Probatur. Panis azymus, & panis fermẽtatus non differunt in ſubſtantia, ſed tantum in accidentalibus qualitatibus: ergo in utroque conſecratio valet. Argumentum eſt S. Thomæ 3. part. quæſt. 75. art. 4. ubi habet: *Reſpondeo dicendum; quod circa materiam hujus Sacramenti, duo poſſunt conſiderari, ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conveniens: neceſſarium quidem eſt, ut ſit panis triticeus, ſine quo non perficitur Sacramentum: non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azymus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici poteſt.*

II. Concluſionis pars I. probatur ex Concilio Florentino, in quo Eugenius Papa IV. hoc definivit: *Definimus in azymo ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici*. Pariter in Concilio Lugdunenſi II. ſub Gregorio Papa X., in quo adfuerunt & Latini, & Græci; & Græci conſecrabant in fermentato, & Latini nihil oppoſuerunt.

II. Probatur ex Leone Papa IX. qui in alias citata Epiſtola hæc ſcribit contra Michaelem Cærularium; „ *Vos alloqui*„ *mur, qui clauditis regnum cœlorum ante* „ *homines, nec ipſi intraſtis, nec alios in*„ *trare permittitis; ſed potius prohibetis,* „ *matris venerandam faciem conſpuere* „ *quæritis ..... Ut enim fertur, omnes* „ *Latinorum Baſilicas penes vos clauſiſtis,* „ *Monachis monaſteria, & Abbatibus tu*„ *liſtis, donec veſtris viverent inſtitutis*: „ Et deinde „ *Ecce in hac parte Romana* „ *Eccleſia quanto diſcretior, & clementior* „ *vobis eſt? Siquidem cum intra, & extra* „ *Romam plurima Græcorum reperiantur* „ *monaſteria, ſive Eccleſiæ, nullum eorum* „ *adhuc perturbatur, vel prohibetur a pa*„ *terna traditione, ſive conſuetudine; quin* „ *potius ſuadetur, & admonetur eam ob*„ *ſervare*. „ Et denique: *Nec enim animoſitatem impie hæreſeos habet; quæ ſemper diviſione gaudet, dicens per parricidam meretricem, nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur: ſed pietate vere matris ſic Salomonem deprecatur: Obſecro Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum; ſcit namque, quia nihil obſunt ſaluti Credentium diverſæ pro loco, & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionẽ operans bona, quæ poteſt, uni Deo commendat omnes.*

Obſtant I. Panis, qui debet eſſe valida Sacramenti Euchariſtici materia, græce dicitur *Artos*; ſed *Artos* ſignificat panem fermentatum, non azymum: ergo materia valida Sacramenti Euchariſtici eſt panis fermentatus, & non azymus. II. Melchiſedech non obtulit panem azymum, ſed fermentatum; ſed ſacrificium Melchiſedech fuit figura Sacramenti Euchariſtici: ergo hoc debet confici in pane fer-

Digitized by Google

mentato, & non azymo. III. Panis azymus est insipidus, quasi mortuus, & non vivificans; sed Sacramentum Eucharistiæ vivificat animam; ergo panis azymus non est materia apta Sacramenti Eucharistici. IV. Azyma conveniunt Judæis; ergo adhiberi non debent a Christianis. V. Azyma apud Judæos significabant tristitiam; sed Sacramentum Eucharistiæ significat lætitiam; ergo azyma non sunt propria Sacramenti Eucharistici materia. VI. In Concilio Trullano prohibitum fuit Christianis comedere azyma; dicitur enim Canon. II. *Ne Clerici aut Laici comedant azyma Judæorum*: ergo in Ecclesia adhiberi non debet pro materia Sacramenti Eucharistici panis azymus.

Respondemus ad I. Verbis Humberti Cardinalis in Dialogo contra Cærularium: *Illud quoque, quod azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est artos, conamini nos vincere. Sciatis omnino vanum, & puerile, quia & a linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine secundum humanum placitum magis, quam secundum naturam rerum.*

Ad II. Dicitur, convenire Sacramentum Eucharisticum cum sacrificio Melchisedech quod utrunque fuerit in pane & vino; non autem est necesse, quod in omnibus conveniant, quæ ipsorum respiciunt qualitates accidentales.

Ad III. Dicitur, sufficere pro convenientia inter panem azymum, & Sacramentum Eucharisticum, quod panis azymus corpus alat, ac nutriat; in cæteris vero superflua est convenientia.

Ad IV. Dicimus, quod scripsit Humbertus contra eandem obiectionem: *Vos vero si non judaizatis, dicite, cur Judæis in simili observantia Sabbati communicatis? Sabbatum ipsi certe celebrant, & vos celebratis: epulantur ipsi, & solvunt semper in Sabbato jejunium. Illi in sua quadragesima solvunt a jejunio omne Sabbatum, præter unum. Illis duplex est causa Sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysis, & quod contristatis Discipulis, ipsi fuere de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gavisi. Unde, quia cum Judæis Sabbatum, & nobiscum celebratis diem dominicum, videmini in tali observatione imitari Sectam Nazaeorum, qui si c recipiunt Christianismum, ut non dimittant Iudaismum.*

Ad V. Azyma apud Judæos significabant simul tristitiam, & lætitiam; tristitiam, propter mansionem in deserto; lætitiam, propter libertatem ab Ægyptiorum servitute.

Ad VI. Cardinalis Humbertus asseruit canones Trullanos nullius esse momenti. Hæc enim scribebat contra Nicetam Pectoratum, qui hos canones objiciebat: *Nos scientes sextam Synodam ad destruendam hæresim Græcorum Monthelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam, capitula, quæ nobis sub ejus authoritate opponitis, omnino refutamus: quia prima, & apostolica sedes, nec aliquando ea accepit, nec conservat hactenus.*

Dicimus III. Latinis non licere consecrare in fermentato; nec Græcis consecrare in azymo.

Conclusio hæc est communis inter Catholicos; quanvis illam irrideant Lutherani, & Calviniani; Calvinus enim putat, idem esse consecrare in azymo, vel fermentato, ac consecrare vinum rubrum, vel album; Lutherani vero in fermentato juxta ipsorum morem consecrant.

I. Probatur Conclusio ex Concilio Florentino, in quo dicitur: *Sacerdotes in Altari ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem.*

II. Probatur. Quisque tenetur, sub præcepto, consuetudinem legitime introductam, ac probatam suæ Ecclesiæ servare; sed pro Ecclesia Græca viget consuetudo consecrandi in fermentato, & pro Ecclesia Latina viget consuetudo consecrandi in azymo: ergo non licet Græcis consecrare in azymo, nec licet Latinis consecrare in fermentato.

Arguunt I. Consecrare in azymo, vel fermentato spectat ad ritum Ecclesiæ; sed in his, quæ sunt ritus, unicuique licet sequi opinionem, quam mavult: ergo &c. Minor est Augustini in Epist. 118. ad Januarium cap. 2. in qua scribit. *Alia vero sunt, quæ per loca terrarum, Regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant Sabbato: alii vero non; alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Dominico: alii certis diebus*

Digitized by Google

bus accipiunt: alibi nullus intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantum & Dominico: alibi tantum Dominico: & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in eis melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est. II. Sicut indifferens est in utraque Ecclesia consecrare vinum rubrum, vel album, ita etiam indifferens esse debet in utraque Ecclesia consecrare, sive in azymo, sive infermentato.

Respondemus ad I. Augustinum loquutum fuisse de his ritibus, qui non sunt præcepti ab Ecclesia, vel per legem expressam, vel per probatam consuetudinem; consecrare autem, vel in azymo, vel in fermentato, non sunt hujusmodi; ut dictum est.

Ad II. Non eadem est differentia inter panem azymum, & fermentatum, ac est inter vinum rubrum, & album; quandoquidem inter rubrum, albumque vinum differentia est sola accidentalis, & nihil significans; at vero inter panem azymum, & fermentatum, quanvis etiam differentia sit accidentalis, significatio tamen est varia, atque diversa. Cæterum Mysteria, quæ exhibet usus azymi, commemorat Jueninus in Commentario Diss. 4. quæst. 2. §. 3. a quo trascribimus hic tantum verba Cardin. Humberti, alias citati: *Romana quippe & Occidentalis Ecclesia a ministris sacri Altaris in Secretario confectum offert azimum, quod ex grano frumenti, & limpida limpha per ignem fuerit præparatum, significans se in una mediatoris Dei, & hominis, Jesu Christi, personæ, tres perfectas credere, & venerari substantias, humanam scil. carnem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum, & granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex gremio matris terræ, sola virtute cœlesti, non autem aliqua commixtione virili factam, omnipotens divinitas animavit; puriorem substantiam, ideſt, animam, quasi aquam præclaram, & mobilem ei infundens: quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio Verbum Dei rite suscepit, & mediante suæ Divinitatis calore, tanquam igne, sibi constrinxit, & consolidavit . . . . . Hinc jam quæ apud vos habeatur disciplina, & cautela super tanto mysterio animadvertite. Vos panem . . . . . ad mensam dominicam transfertis; qui sane, juxta vestram narrationem, quinque substantiarum particeps est, ideſt fermenti, farinæ, salis, aquæ, & ignis, quarum omnium significationes congruas in illa simplici, & sincera carne Salvatoris, si habetis, date nobis . . . . . Quod vero fermentum in divinis, & humanis litteris in malum ponatur, Dominus ipse in Evangelio testatur; cavete, inquiens, a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis: Et Paulus, expurgate vetus fermentum.*

DIS-

DISSERTATIO CCCCVI.

De Materia Eucharistiæ. An in Ecclesia Orientali fuerit semper peracta Consecratio in fermentato? An in Latina fuerit semper facta in azymo? An propter aliquorum Hæreticorum hæresim fuerit aliquando omissa in utraque Ecclesia Consecratio, sive in azymo, sive in fermentato?

Ntequam ad proposita quęsita respondeamus, congruum ducimus, Catholicorũ Scriptorum opiniones referre; ex quibus deinde seligemus illas, quę magis nobis arridebunt.

I. Non pauci Scholastici, inter quos sunt Alexander de Ales part. 4. de Sacrament. Eucharist. quæst. 10. memb. 4. artic. 1. §. 3. & S. Thom. in 4. sentent. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. & S. Bonavent. ibidem art. 2. quæst. 1. & Scotus ibidem quæst. 6. & Durandus quæst. 4. & Richardus ibidem, aliique plures, asserunt, post Eucharistiæ institutionem, a Christo factam, utranque Ecclesiam, Latinam, scil. & Græcam, pane azymo in Eucharistiæ consecratione fuisse usam. At deinde adveniente Ebionitarum hæresi, qui dicebant præcepta legalia simul cum evangelicis observanda esse, adeoque azymorum usum, quæ ad præcepta legalia pertinebant, esse manutenendum in Ecclesia: Catholici in hujusce hæresis execratiooem, azyma omnino de medio abstulerunt, & eorundem usum in Ecclesia prohibuerunt; & in hoc fuerunt concordes duæ Ecclesiæ, Latina Scil., & Græca. At postmodum hæresi illa jam profligata & confossa, Latini redierunt ad azymorum usum, & Græci, ea recepta occasione, fermentati consuetudinem retinuerunt. Verum pluribus hæc narratio non probatur, & præcipue Cardinali Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23. qui scribit: *At unde prodierit hæc historia, qui eam primo scripserit, quis Pontifex, aut quæ Synodus hanc mutationem sancivit; nemo dicit.*

Secundo, alii tribuunt Leoni Papa, vel saltem temporibus Leonis Papæ, introductam esse in Ecclesia diversitatem hanc consecrandi, sive in azymo, sive in fermentato: at Authores isti non exprimunt, sub quonam num. fuerit iste Leo Pontifex; alii de eo silent; & Suarez ingenue fatetur, se non invenisse, quinam fuerit, vel cujus nominis, iste Leo. Insulsius agunt, qui recurrunt ad Tatiani hæresim, quum hæc fuerit tantum de aqua, & non de pane; & hi præcipue confutantur a laudato Cardinali Bona cit. loc. num. 5.

Tertio, sunt, qui putant Alexandrum I. Romanum Pontificem, anno Christi 132. statuisse, ut oblatio fieret ex azymo, & in modica quantitate. Hujus opinionis fuit Martinus Polonus; & Joannes Baptista Platina in vita Alexandri retulit: *Oblationem ex azymo, non autem ex fermento, ut antea, fieri mandavit, quia hoc modo purior, ac potior haberetur, & Ebionitis hæreticis calumniandi occasio auferretur.* Ejusdem sententiæ fuit Barlaamus, Calaber, antea Monachus Basilianus, & deinde Episcopus Hieracensis, in prima ad Græcos Epistola pro unione, ubi habet: *Romana Ecclesia, ante inchoatum Schisma plusquam septingentis annis per azyma conficiebat Sacratissimam Theleten. Alexander enim, Romanus Pontifex, qui sub Adriano vitam glorioso martirio finivit, hostiam Romanæ Ecclesiæ de azymo statuit.* De hoc

alia

Digitized by Google

alia profert citatus Bona, num. 6.

Quarto, Joannes Mabillonius, cap. 3. suæ dissertationis, putat ab ipsis Ecclesiæ incunabulis cæpisse Græcos fermento uti, & eam semper consuetudinem retinuisse. Huic sententiæ accedere videtur Sirmondus, disquisitione de azymo.

Dicimus I. Omnes Orientales Ecclesias per sex secula panem fermentatum consecrasse; & nunc etiam consecrare, si excipiantur Armeni, & Maronitæ, qui azymos panes consecrant.

I. Conclusionis pars I. probatur ex Patribus Græcis, qui panem consecrandum vocabant vulgarem, communem, & usitatum; sic Justinus Martyr in fine Apologiæ secundæ, *non ita sumimus, ut communem panem*. Sic Grægorius Nyssenus in oratione in baptismum Christi: *panis item panis est initio communis; sed ubi eum mysterium sanctificaverit, Corpus Christi fit, & dicitur*.

II. probatur ex iisdem Patribus, qui reprehendebant eos, qui in azymo consecrabant; ita Epiphanius hæresi 30. contra Ebionitas: *Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est, non fermentatos panes*. Ita Philipponus in fine seculi 6. in sua disputatione de Paschate, in qua probat, quod Christus non consecravit in fermentato, quia ejus Ecclesia pro illo tempore in azymo consecrabat.

III. probatur ex Græcorum Liturgiis, a quibus præscribitur, ut panis consecrandus sit integer, turgidus, & justæ magnitudinis; nihil autem addunt de azymo, vel fermentato, quia hoc supponunt.

II. Conclusionis pars I. probarur authoritate Demetrii Ciziceni, qui in tract. de hæres. Jacobitarum, hæc habet: *oblationem faciunt azymam, quia quem Christus panem Discipulis tribuit in cœna mystica, azymus erat*. Nicephorus Callistus hoc ipsum asserit lib. 8. hist. cap. 53. azymo pane utuntur.

III. pars probatur. Morinus in præfatione ad Maronitarum ordinationes, fuse probat Maronitas azymum consecrare; & præcipue probat ex Villelmo, Archiepiscopo Tyri, qui lib. 22. cap. 8. hist. suæ hoc idem refert.

Arguunt I. Panis Eucharisticus dictus est communis, non quia esset fermentatus, sed quia esset prophanus, antequã consecraretur, & qui postea per consecrationem fiebat sanctificatus, & sacer. II. S. Thomas, aliique Scholastici citati, docuerunt, utranque Ecclesiam ante Ebionitas usam fuisse azymo in consecratione, quod duravit usque ad annum septuagesimum quartum, quo exorta est Ebionitarum hæresis, ut asserit Baronius. III. Idem Scholastici docent, post hanc hæresim, utranque Ecclesiam consecrasse in fermentato. IV. Ipsimet pariter asserunt, post estinctam hæresim illam, Latinos consecrasse in azymo, & Græcos perseverasse in consecratione fermentati. V. Epiphanius, hæresi 30. narrat, quod Ebionitæ celebrabant divina mysteria ad imitationem Sanctorum in Ecclesia; ergo Sancti in Ecclesia Græca in fine seculi 4. quo scribebat Epiphanius in azymo consecrabant. VI. Cardinalis Humbertus asserit, quod Ecclesia Hierosolymitana, seculo II., consecrabat in azymo. VII. Michael Cærularius pariter dicit, quod Ecclesia Alexandrina consecrabat in azymo.

Respondemus ad I. Quod Justinus panem communem intellexit, eo modo, quo ipsum intelligere poterat Imperator Antoninus, ad quem Apologiam suam dirigebat. Antoninus autem solum fermentatum intelligebat, & quia panis azymus ei ignotus erat, & quia panis azymus ei panis verus non videbatur.

Ad II. Natalis Alexander ex his verbis responsionem suam concinnat: *Verum hanc historiam, summo veterum silentio falsitatis convictam, & absque ulla probatione ab authoribus laudatis assertam, eruditi omnes rejiciunt*.

Ad III. Componitur pariter responsio ex iis, quæ scribit Cardinalis Bona citato loco; & hæc sunt ejus verba: *Unde prodierit hæc historia, quis eam primo scripserit, quis Pontifex, aut quæ Synodus hanc mutationem sanciverit, nemo dicit*.

Ad IV. Subdere possumus, quæ scribit Jueninus in Commentario citat. loc. §. 4. „ Præterea quis in animum in-
„ ducet suum, totam Ecclesiam Catho-
„ licam discessisse a more consecrandi
„ panes azymos, quem, iis etiam Scho-
„ lasticis fatentibus, ab Apostolis acce-
„ ptum ubique gentium observaret,
„ disse-

Digitized by Google

„ discessisse (inquam) quod ea praxi non-
„ nulli hæresiarchæ abuterentur?

Ad V. Epiphanius loquitur de Sacrificio sumpto secundum substantiam, non vero secundum modum; hoc est secundum ejus materiam; quod sic explicat Jueninus, Epiphanium innuere voluisse quod Ebionitæ consueverant afferre sacrificium, sicuti Catholici offerebant; quod autem non adhibuerint eandem materiam, ex eodem Epiphanio probat ipsemet Jueninus.

Ad VI. Cardinalis Humbertus non loquebatur de azymo pane, sed de pane integro, ut consecrabant Romani, quando Græci prius panem in frusta dividebant, & postea consecrabant; & hæc sunt verba Humberti: *Neque enim, ipse Dominus panem in Calice immisit (sicut Græci solent;) & sic Apostolis dedit dicens, Accipite, & cum cochleari comedite, hoc est enim Corpus meum; sed sicut Sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem integrum benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit..... quam reverendam Angelis institutionem.... etiam Sancta Sion retinuit..... Ex ipsa Sancta Civitate Hierusalem exiit fides Christiana; in ipso sancto loco adimpletur divina, & immaculata oblatio Domini nostri Jesu Christi, sicut decet per ordinem, puta quia bene faciunt ibi quod nonnisi integras, & sanas ponunt ipsas oblationes in Sanctas patinas, nec, quomodo Græci habent, lanceam ferream, qua scindant in modum crucis ipsam oblationem; idest pro sancto Missæ.... Lanceam ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Jesu aperuit.*

Ad VII. dicitur, quod Cærularius id non refert ex visu, sed ex auditu tantum; insuper non dicit, quod semper Patriarchæ, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, in azymo consecraverint, sed aliquando; quod tunc fuisse putatur, quando Latini, devotionis, & peregrinationis causa, erga Hierosolymam abibant; & tunc ne Latinis scandali occasionem darent: Et quod etiam putarent, vel in azymo, vel in fermentato consecrare, esset res potius ad ritum, quam ad dogma spectans.

Pro II. Dissertationis parte, nec pariter conveniunt Scriptores nostri; siquidem Sirmondus in disquisitione de azymo docet, utranque Ecclesiam, Latinam, & Græcam, solum fermentatum panem consecrasse per novem priora secula; & azymorum usum in Ecclesiam Latinam irrepsisse eo tempore, quod effluxit a Photiano Schismate usque ad Cærularium: scil. ab anno 886. ad annum 1053.; alii vero Scriptores volunt, Ecclesiam Latinam quovis seculo in azymo consecrasse, & fermentatum nunquam adhibuisse. Alii ex adverso tenent, Latinos per sex priora secula utrunque panem indiscriminatim usurpasse; & azymum solum sensim sine sensu post septimum seculum remansisse.

Dicimus II. Ecclesiam Latinam per sex priora secula adhibuisse in sacrificis, & azymum, & fermentatum indiscriminatim; solum azymum panem in quibusdam Ecclesiis circa seculum septimum adhibitum fuisse; & ante Photii tempora fermentatum panem ab omnibus Occidentalibus Ecclesiis fuisse exclusum. Tres habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars I. probatur: Christus Dominus, azymo pane, ut ex Evangelio constat, bis usus est, quando scil. Eucharistiam instituit, & quando in Emmaus cum Discipulis manducavit. Apostoli vero non ita in promptu habebant panem azymum, ut habebant fermentatum; & proinde credendum est, quod modo in uno, modo in altero consecraverint. Præterea panis consecratus conservabatur a Fidelibus; si autem in azymo fuisset, eum facile Gentiles cognovissent, & proculcassent. Denique consecrationes fiebant ex pane, & vino, quæ offerebant fideles; fideles vero non offerebant panem azymum, qui in usu communi non erat, sed fermentatum, quo in suis mensis utebantur.

II. probatur ex Romanis Pontificibus, qui in suis Decretalibus loquuntur de fermento, per quod intelligitur fermentatus panis; & omissis Epistolis, quæ tribuuntur, vel Damaso, vel Melchiadi, vel Siricio, afferimus illam, quæ absque dubio est Innocentii I. ad Decentium, Episcopum Eugubinum, in qua cap. 5. hæc habet: *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, id-*

circo

Digitized by Google

circa fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt Sacramenta: nec nos per Cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.

Verum inter rerum ecclesiasticarum Eruditos quæstio emergit; an per fermentum Eucharistia intelligatur? Sunt etenim & qui negant, & sunt qui affirmant. Baronius negat ad annum 313. & vult per fermentum intelligi Eulogias. Alii vero affirmant, inter quos est Tournely de Sacramento Eucharistiæ artic. 5. concl. 3. in qua hæc habet: „ Negat Baronius ad annum Christi 313. contenditque simplices intelligi debere Eulogias, quæ, „ in signum mutuæ communionis & „ charitatis ad absentes mittebantur. „ Verum opposita sententia probabilior „ nobis videtur 1. quia vox ipsa *Consecrationis*, qua utuntur laudati SS. Pontifices, verisimiliter Eucharistiam designat. 2. id quoque innuere videtur „ ratio, quam subjicit Innocentius I. „ *Quia*, inquit, *Sacramenta non sunt „ langius portanda.* Verisimile autem est, „ ibi Sacramenti nomen in propria, & „ stricta significatione usurpari, quo „ sensu cap. 8. ejusdem Epistolæ appellat unctionem extremam, *Sacramentum*. 3. Quia etiam ante Innocentium „ I. obtinuisse consuetudinem mittendi „ ad absentes, & exteros, Eucharistiam, „ antea probavimus, ubi de asservatione Eucharistiæ, ex Litteris S. Irenæi „ ad Victorem Romanum, apud Eusebium L. 5. Hist. cap. 24. „ Propter quas rationes nos citato Tournely adhæremus. Hic idem aliam quæstionem proponit, videlicet: An Presbyteri, ad quos die Dominica mittebatur Eucharistia, ex illa Missam celebraverint; An vero ipsi propriam consecraverint? Et ejusdem resolutionem apud eundem videndam remittimus.

Objiciunt I. S. Thomas affert verba Gregorii Magni 3. part. quæst. 79. art. 4. quæ sunt: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed certæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ;* Sed Gregorius Magnus seculo 6. florebat: ergo ante seculum 6. panis azymi usus in Ecclesia Romana erat. II. Leo IX. in Epist. ad Cærularium supponit, etiam ante seculum 7. fuisse in Ecclesia Latina azymi panis usum, his verbis: *Ecce jam post mille, ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis ejusdem sit recolenda; quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutia, qua clarificavit Deum mors pretiosa illius venerabilis Senis, cui specialiter Christus filius Dei vivi dixit: Beatus es Simon Barjona &c. Non ergo perpenditis quanta impudentia dicatur Patri, qui est in Cœlis, abscondisse a Principe Apostolorum Petro cultum, sive ritum, visibilis Sacrificii &c.* III. Photius inter multa, quæ objecit Latinæ Ecclesiæ, altum silentium observavit de panis azymi usu: etgo signum est, quod ejus tempore panis azymi usus in Ecclesia Latina non invaluerat. IV. Primus, qui objecit Ecclesiæ Latinæ panis azymi usum, fuit Michael Cærularius; sed hic multo tempore fuit post Photium: ergo ante Photii tempora panis azymi usus in Latina Ecclesia non vigebat.

Respondemus ad I. allata Gregorii Magni verba referri quidem a S. Thoma, tanquam Doctoris hujusce verba, sed re vera illius verba non esse, at esse verba Gregorii VII., qui seculo XI. florebat. Unde Jueninus ait. „ Sanctum Thomam referre „ quidem textum, de quo est quæstio, „ perinde ac si in Gregorii Magni registro legeretur; sed tanti Doctoris „ pace dixerim, ipsum tantum reperiri „ apud Gregorium VII., qui seculo XI. „ Ecclesiæ Romanæ præerat. „

Ad II. Idem Jueninus hæc reponit; „ „ Cærularium duo circa azyma objecisse, primum quod Judaismo faverent, „ secundum quod irrita esset eorum „ consecratio: Utrunque Leo Papa IX. „ confutat, supponens Petrum azymo „ inter sacrificandum usum fuisse; quod „ quidem non inficiamur, cum apud „ nos certum sit, prioribus seculis Ecclesiam modo fermentatum, modo „ vero azyma adhibuisse. „

Ad III. dicitur, quod Photius cognovit rationabilem usum panis azymi, quem Ecclesia Latina faciebat, & ipsi igno-

ta non erant rationum momenta, quibus eadem Ecclesia innitebatur ; ac proinde ritum illum nobis Latinis non objecit.

Ad IV. Michael Cærularius non fuit doctus, & eruditus, ut Photius erat, quanvis Photio fuerit audacior, & impudentior ; & proinde audaciam, temeritatemque habuit objiciendi Latinis, quod Photius non objecerat.

Pro III. tandem Dissertationis parte, Frassen putat, id non videri probabile propter multas rationes, quas ipse affert, & nos in probationibus recitabimus ; unde.

Dicimus III. Nunquam universalem Ecclesiam intermisisse Eucharistiæ celebrationem propter hæresim Ebionitarum, & Quartodecimanorum.

I. Probatur de Ebionitis, ratione silentii omnium Patrum, & Scriptorum antiquorum hac de re ; & hoc solum constare, quod cessaverint celebrare in azymo, & celebraverint nihilominus in fermentato, ut dictum est nuper.

II. probatur : quia non erat ratio illa sufficiens, ut a celebratione Eucharistiæ abstinerent ; aliter enim abstinuissent quoque a Sacramentis illis, in quibus aqua, & oleum adhibebantur, quia etiam Judæi in quibusdam Cæremoniis suis aquam, & oleum adhibebant.

III. probatur: quia Ebionitæ adhibebant solam aquam ; & nihilominus Ecclesia ab admixtione aquæ cum vino nunquam abstinuit.

IV. probatur ex verbis Innocentii III. lib. 4. de mysteriis missæ cap. 4. *Sciendum ergo, quod non omnes antiquæ legis consuetudines abjecit Ecclesia, sed quasdam provida consideratione retinuit, dicente sponsa ad sponsum in Canticis: Omnia poma nova, & vetera, dilecte mi, servavi tibi. Adhuc enim conficit oleum unctionis, & thus suavitatis incendit ; adhuc solvit decimas, & primitias, adhuc habet candelabrum, & lucernas, & vestes, & vasa, & Pontifices, & Levitas. Nam si propterea repudiandum est azymum, quia lex illud admisit, pari ratione repudietur fermentum, quia lex statuit in Levitico, offerunt panes fermentatos cum hostia gratiarum. Non solum enim de constitutionibus legalibus ; verum etiam de scriptis Gentilium libenter assumit Ecclesia, si quid in eis probe dictum, vel factum agnoscit ; & tanquam mulieris captivæ resecat ungues, pilosque superfluos, ut ab alienigena falsitate mundata, thalamum veritatis digna sit introire.*„ Postpauca subdit. *Cæterum id solum Latinis sufficere contra Græcos, quod Constantinopolitanam Ecclesiam multarum hæresũ corruptio fermentavit, ut non solum hæreticos, verum etiam hæresiarchas produceret : Romanam autem Ecclesiam, super apostolicæ fidei petram stabili soliditate fundatam, nulla prorsus hæreticæ pravitatis procella potuit conquassare, sed illud semper integra fide servavit, quod ab ipsis accepit Apostolis . . . . Ab ergo B. Apost. Petro, & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit.* Græci vero, postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, *ut perpetue divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temere mutavere ; quos Leo IX. per epistolam ad Imperatorem Constantinopolitanum directam super variis confutavit erroribus.*

I. probatur Conclusio de Quartodecimanorũ errore. Quæstio non fuit de azymis, sed tantum de Paschate, quo scilicet die Pascha celebrari deberet : ergo de azymo, & fermentato, erroris hujusmodi occasione, disputatum non fuit ; ergo propter Quartodecimanorum hæresim nunquam fuit intermissa Eucharistiæ celebratio ; cætera apud citatum Frassen legenda remittimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCVII.

De altera Eucharistiæ materia, quæ est Vinum. Qui circa hoc fuerint errores, & quæ sit Ecclesiæ fides? An debeat esse aqua temperatum? Quo Jure sit hujusmodi temperatio? Et quomodo aqua in Christi sanguinem transmutetur.

IN Dissertatione cccciv. loquentes de erroribus Hæreticorum contra alteram inadequatam Sacramenti Eucharistiæ materiam, quæ est panis, loquuti pariter fuimus de erroribus Hæteticorum contra hanc aliam inadæquatam ejusdem Sacramenti materiam, quæ est Vinum. Modo in hac Dissertatione de iisdem erroribus iterum fusiori calamo scribentes, eos, & eorundem Authores enumeramus.

Primo describuntur Hæretici, qui aquam omnino rejiciebant in sacrificio. Hunc errorem Patres Concilii Trullani anno 692. Armenis tribuebant can. 32. in quo declarant, quod Armeni vinum purum sine aqua offerebant in sacra mensa, & quod ipsorum usum, & consuetudinem præsumebant exemplo, & authoritate Sancti Joannis Chrysostomi confirmare. Nicephorus lib. 18. hist. cap. 53. asserit, quod hic error ex alio errore initium ducebat, scil. quod crederent, in Christo non esse duas naturas, divinam scil., & humanam, & propterea vinum cum aqua in Calice non miscebant. Non fuit extinctus tunc temporis hic error, sed quod diù etiam perseveraverit indicium habemus ab eo, quod Eugenius IV. in suo Decreto, seu instructione anno 1439. in Concilio Florentino aliquo modo ipsum memorare videtur, quando decernit, *ut Armeni se cum universo Orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululũ aquæ admisceant vino*. Et denique Cassander in Liturgicis cap. 12. refert, quod iidem Armeni, adhuc ad præsens, in pristino errore perseverant.

Secundo, hunc eundem errorem Scriptores aliqui tribuunt Græcis; & sunt Innocentius III. lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 32. Guido Carmelita in hæresum Catalago, Alphonsus a Castro adversus hæreses, verbo Eucharistia, hæresi 7. At Scriptores alii Græcos ab hoc errore defendunt, & hanc suam opinionem probant ex Liturgia S. Chrysostomi, & ex notis Goarii ad illam; pariter ex Theodoreto, dialogo I. ex Theophilacto in Joann. ex Zonara ad can. 32. Concilii Trullani, ac demum ex decreto Eugenii IV. *In quo legitur Sanctam Romanam Ecclesiam, & antiquas omnes, tum Latinorum, tum Græcorum Ecclesias, semper in sacrificio obtulisse vinum aqua temperatum*.

Tertio, Lutherani, & Calviniani antiqui voluerunt, mixtionem aquæ cum vino in Sacrificio Missæ esse figmentum humanum contra Christi institutionem, & pessimam importare significationem. Habetur ex primo scripto Lutheri contra Henricum VIII. Angliæ Regem, & in formula Missæ pro Ecclesia Wictembergensi, & ex Petro Richero Calviniano, qui asserit, hunc errorem se a Calvino didicisse. At recen-

recentiores ipsorum sequaces ipsum emolliunt, docentes, aquæ mixtionem cum vino rem esse liberam, & indifferentem, quæ nec præcipi debeat, nec prohiberi, quod asserit Chemnitius in examine Concilii Tridentini, part. 2. sess. 22. cap. 7. & can. 9.

Quarto, fuerunt alii, qui dicebant, tantæ necessitatis esse aquam in Eucharistiæ Sacramento, ut sine ipsa confici Sacramentum non possit. De his loquitur S. Bernardus epist. 69. ad Guidonem Abbatem; & eadem sententia tribuitur, ut testatur Tournely, Armacano lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9.

Venientes modo ad Scholasticorum opiniones, sunt ex iis, qui docent, præceptum miscendi aquam cum vino non tantum esse ecclesiasticum, sed pariter divinum; tribuitur hæc sententia Alexandro de Ales, quarta parte, quæst. 10. memb. 4. articul. 1. Hosio in Confessione Catholica, cap. 14. & Alphonso a Castro adversus hæreses hæres. 7.

Secundo, Thomas Valdensis, tom. 3. de Sacramentis titul. 4. cap. 31. num. 10. vult, de aquæ mixtione nullum esse divinum præceptum, nullum præcessisse Christi exemplum, sed Ecclesiam illum induxisse usum propter aquam, quæ a latere Christi emanavit. Durandus in 4. dist. 9. quæst. 5. scribit, incertum esse, an Christus aquam vino miscuerit.

Tertio, alii Scholastici docent, aquam nō esse necessariam ad Sacramenti substantiam; esse tamen adhibendam ex præcepto ecclesiastico, & non divino; quod quidem præceptum ecclesiasticum habet fundamentum in facto, & exemplo Christi.

Dicimus I. de fide esse, Vinum esse inadæquatam Sacramenti Eucharistiæ materiam.

I. probatur Conclusio ex Scripturis veteris testamenti; & signanter ex figuris, quæ in veteri testamento præcesserunt ad significandum sacrificium Eucharisticum, tanquam dominicæ, passionis commemorativum. Et hoc argumentum late prosequitur Cyprianus in Epistola ad Cæcilium, cujus verba exscribimus. Loquitur Sanctus Martyr de facto Noe „ Invenimus & in Genesi Sacramentum „ circa Noe hoc idem præcurrisse, & „ figuram dominicæ passionis illic extitisse, quod vinum bibit, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudis, & patentibus femoribus; „ quod nuditas illa Patris a medio filio „ denotata est, & foras nunciata; a duobus vero, majore, & minore contecta; & cætera, quæ necesse non est „ exequi, cum satis sit hoc complecti, „ quod Noe typum veritatis ostendens, „ non aquam, sed vinum biberit, & sic „ imaginem dominicæ passionis expressserit. „ Prosequitur S. Martyr hoc ipsum probans ex figura Sacrificii Sacerdotis Melchisedech: „ In Sacerdote Melchisedech Sacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, & dicit, Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum ... quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus Sanctus in psalmis ex persona Patris ad filium dicens, ante Luciferum genui te, juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech .... Ut in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii, in pane, & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens, & implens Dominus panem, & Calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. „ Pergit S. Pater, idem probans ex illo, quod legitur Proverb. 9. „ Sed per Salomonem Spiritus Sanctus typum dominici sacrificii præmonstrat, immolatæ hostiæ panis, & vini, sed & Altaris, & Apostolorum faciens mentionem, sapientia, inquit, mactavit „ suas hostias, miscuit in cratere vinum „ suum, & paravit mensam suam; & „ misit servos suos convocans tum excelsa prædicatione ad craterem, dicens. Qui est insipiens declinet ad „ me; & indigentibus sensu dixit, venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis. „ Quæ verba sic exponit Cyprianus; „ *Vinum mixtum declarat, ideſt Calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce denuncians*, ut appareat, in „ passione dominica id esse gestum, quod „ fuerat prædictum. Benedictionem a „ Jacobo Judæ filio datam, deinde sub-

„ jun-

Digitized by Google

„ jungit, & ait: In benedictione quo-
„ que Judæ hoc idem significatur .....
„ Lavabit in vino stolam suam, & in
„ sanguine uvæ amictum suum. Quan-
„ do autem sanguis uvæ dicitur, quid
„ aliud, quam vinum Calicis Domini
„ sanguis ostenditur? „ Denique ex si-
militudine baptismatis sic S. Doctor
prosequitur: „ Nec argumentis plu-
„ rimis opus est, ut probemus, appella-
„ tione aquæ, baptisma semper signifi-
„ catum esse, & sic nos intelligere de-
„ bere, cum Dominus adveniens bap-
„ tismi, & Calicis manifestaverit veri-
„ tatem, qui aquam illam fidelem præ-
„ ceperit in baptismo dari, calicem ve-
„ ro docuerit exemplo magisterii sui
„ vini, & aquæ conjunctione misceri. „

II. probatur ex Scripturis novi Testa-
menti, secundum eundem S. Martyrem Cyprianum; prout eum adducit, & ait Jueninus citato loco. „ Quod
„ si, inquit, nec minima de mandatis
„ Dominicis licet solvere; quanto ma-
„ gis tam magna, tam grandia, tam ad
„ ipsum Dominicæ passionis, & nostræ
„ redemptionis Sacramentum pertinen-
„ tia, fas non est infringere, aut in aliud,
„ quam quod divinitus institutum sit,
„ humana traditione mutare. Nam si
„ Jesus Christus Dominus, & Deus no-
„ ster ipse est Summus Sacerdos Dei
„ Patris, & sacrificium Deo Patri ipse
„ primus obtulit, & hoc fieri in sui com-
„ memorationem præcepit; utique ille
„ Sacerdos vice Christi vere fungitur,
„ qui id, quod Christus fecit, imitatur.
„ Et sactificium verum, & plenum tunc
„ offert in Ecclesia Deo Patri, si sic in-
„ cipiat offerre, secundum quod ipsum
„ Christum, videat, obtulisse. Quibus
„ verbis hæc addit Jueninus: „ S. Do-
„ ctor confutat omnia argumenta, qui-
„ bus meticulosi Sacerdotes, quos exa-
„ gitat, suæ praxi quærebant præsidium.
„ Contendebant se, cum vitæ periculo,
„ non teneri vinum ad Eucharistiam ad-
„ hibere. Ignaviæ vero tribuit illam ex-
„ cusationem, aitque, periculoso esse
„ fidelibus exemplo, *sic ergo incipit, &*
„ *a passione Christi in persecutionibus fra-*
„ *ternitas retardari, dum in oblationibus*
„ *discit, se sanguine ejus, & cruore con-*
„ *fundi*. Opponit, quas Christus, in
„ Evangelio, ignaris minas intendat,
„ *Porro autem Dominus in Evangelio suo*
“ *dicit, qui confusus me fuerit, confundet*
„ *eum filius hominis*. Definit, iis qui sic
„ agunt, periculum imminere perne-
„ gandi fidem, si postea coram Tyran-
„ nis evocentur. „ *Quomodo autem possu-*
mus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?

III. probatur ex Concilis. Concilium Cartaginense III. Habitum 397. cap. 24. *Ut in Sacramento, inquit, corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum.* Concilium Trullanum celebratum 992. can. 32. *Si quis ergo Episcopus, vel Presbyter, non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, & aquam vino miscens, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, ut imperfecte mysterium enuntians, & quæ tradita sunt innovans*. Concilium Bracharense IV. anno 675. cap. 2. Concilium Aurelianense IV. anno 541. can. 4. Concilium Triburiense anno 895. can. 19.

IV. probatur ex Patribus Græcis. Justinus Apologia 2. *Precibus finitis, munus nos osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini*. Iræenus lib. 4. adversus hæres. cap. 33. alias 57. *Accipiens Dominus panem, suum corpus esse confitebatur, & temperamentum Calicis suum sanguinem confirmavit*. Chrysostomus in Liturgia, quæ illius nominie inscribitur. *Deinde facit commixtionem in Calicem, mittens vinum, & aquam &c.*

V. probatur ex Patribus Latinis. Augustinus hæres. 64. loquens de Hæreticis, qui dicti sunt Aquarii hæc scribit: *Aquarii ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia*. Eucherius Lugdunensis hom. 5. de Pascha. „
„ Quando benedicendæ verbis cælesti-
„ bus creaturæ sacris Altaribus impo-
„ nuntur, antequam invocatione sum-
„ mi numinis consecrentur, substantia
„ illic est panis, & vini: post verba au-
„ tem Christi, Corpus, & Sanguis est
„ Christi. Quid mirum autem est, si ea,
„ quæ verbo creare potuit, possit crea-
„ ta convertere? Imo jam minoris vi-
„ detur esse miraculi, si id, quod ex
„ nihilo agnoscitur condidisse, jam con-
„ ditum in melius valeat commutare. „
Eligius hom. 8. „ Et nos, qui vere
„ sub mysterio carnem, & Sanguinem
„ corporis ejus sumimus, per ea natu-

rali-

Digitized by Google

„ raliter unum cum eo efficimur : in „ quibus manet post consecrationem similitudo panis, & vini, ne sit cuidam „ horror cruoris, sed manet in eis gratia redemptionis. De naturali enim „ in nobis Christi veritate ipse ait : *Caro „ mea vere est esca, & sanguis meus vere „ est potus &c.* De veritate carnis, & „ sanguinis ejus nullus relictus est ambigendi locus. „ Beda ad cap. 22. Lucæ. „ Finitis Paschæ veteris so„ lemniis, quæ in commemoratione „ antiquæ de Ægypto liberationis age„ bantur, transiit ad novum, quod in „ suæ redemptionis memoriam Ecclesia „ frequentare desiderat, ut videlicet „ pro agni carne, vel sanguine, suæ car„ nis, sanguinisque Sacramentum in pa„ nis, vinique figura substituens, ipsum „ se esse monstraret, *cui juravit Domi„ nus, & non pœnitebit eum : Tu es Sa„ cerdos in æternum secundum ordinem „ Melchisedech.* „

Dicimus II. Aquam miscendam esse cum vino in Sacrificio Missæ, non ex necessitate Sacramenti, nec ex necessitate præcepti divini, sed ex necessitate tantum præcepti ecclesiastici.

I. probatur ex Pontificibus Romanis. Honorius III. & refertur in capite *Perniciosus* de Celebratione Missarum: *Perniciosus inolevit abusus : videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino ; cum secundum rationalem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.* Eugenius IV. in instructione Armenorum : *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet.*

II. probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum in decreto pro Armenis docet, quod antiquæ omnes Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ semper in Sacrificio obtulerunt vinum aqua mixtum ; & rationes adducens, ait : I. *Quia juxta SS. Patrum testimonia creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentum instituisse.* II. *quia convenit dominicæ Passionis repræsentationi.* III. *quia utrumque de latere Christi fluxisse legitur.* IV. *denique quia convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum, aqua enim populum significat.* Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. *Monet Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent : tum quod Christum Dominum ita feciisse credatur ; tum quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur : & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* & can. 9. *Si quis dixerit .... aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quod sit contra Christi Institutionem ; anathema sit.*

III. probatur ex Patribus. Chrysostomus in Liturgia, quæ sub ejus nomine circumfertur : *deinde facit commixtionem in Calicem mittens vinum, & aquam..* Cyprianus in citata Epistola ad Cæcilium explicans illud Proverbiorum 9. *Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis,* hæc scribit : *Vinum mixtum declarat, idest Calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce denuntiat.* Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Vinum cum aqua in Calice mixtum fit sanguis Consecratione verbi cælestis.* Hieronymus in cap. 14. Marci : *Format sanguinem suum in Calice vino, & aqua mixtis.* Bernardus Epist. 69. *nec nego panem, & vinum aqua quidem mixtum simul deberi appone.*

II. Conclusionis pars I. probatur. Consecratio vini non permixti aqua est valida : ergo mixtio hæc non est de necessitate Sacramenti. Antecedens probatur. Cyprianus in citata Epistola ad Cæcilium expresse asserit : *Sanguinem Christi esse in Calice, quando in Calice est vinum non temperatum prius aqua, his verbis : nam si vinum tantum quis offerat, Sanguinis Christi incipit esse nobis.* Subdit Jueninus, quasi dixisset. „ Sub sola vini specie conti„ neri quidem naturale Corpus Christi, „ non autem mijsticum, quod est Ec„ clesia. „

II. probatur. Concilia, & patres dum æquuntur de materia Eucharistiæ necessaria, tantum memorant panem, & vinum, non autem aquam : ergo sine aqua consecratio est valida. Probatur antecedens. Chrysostomus explicans illud Christi *de gemimine vitis,* subdit ; *quæ certe vinum, non aquam producit.*

III. probatur. Sub specie panis, & vini continetur Christi Corpus, & Sanguis;

sed

sed hoc sufficit ad validam Eucharistiæ consecrationem : ergo &c. Major est doctrina Concilii Tridentini sess. 13. cap. 3. docentis : *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie .... existere.*

IV. probatur, quod hæc mixtio non sit de præcepto divino ; tum quia nec in Scripturis, nec in Patribus hoc præceptum a Christo datum legitur ; tum etiam, quia legitur tantum tanquam ab Ecclesia impositum ; unde Tridentinum, ut supra retulimus, habet : *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Saeerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant.*

Objiciunt I. Nullæ rationes adducuntur, quæ efficaciter probent necessitatem aquæ in sacrificio : ergo aqua non est necessaria. II. Non habemus exemplum Christi, quod in Eucharistiæ institutione aquam cum vino miscuerit: ergo non est de fide tenendum, quod aqua sit necessaria ad Sacrificii perfectionem. III. Non est de fide, quod sit præceptum ecclesiasticum, ut aqua vino misceatur : ergo mixtio hæc nec etiam est de necessitate præcepti ecclesiastici. IV. Isaiæ I. prohibetur aquæ mixtio cum vino ; dicitur enim vers. 22. *Vinum tuum mixtum est aqua*; quod damnatur. V. Chrysostomus hom. 83. in Matth. docet : *Christus Dominus, non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit, ut radicitus evelleret pernicioſam quandam hæresim eorum, qui aqua in mysteriis utuntur.* VI. Cyprianus in Epist. ad Cæcilium docet eodem modo esse necessariam aquam, quo necessarium est vinum ; sed vinum est necessarium necessitate Sacramenti : ergo pariter aqua. Probatur major ex verbis ejusdem, dicentis : *Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non posset, quomodo nec vinum solum potest.* VII. Idem Cyprianus docet, ita esse necessariam commixtionem aquæ cum vino, quomodo est necessaria commixtio aquæ cum farina, ut fiat panis; hæc sunt ejus verba : *Sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum.* VIII. Idem Cyprianus 1. docuit Christum miscuisse aquam cum vino ; 2. Calicem non esse solam aquam, aut vinum solum ; 3. Comparat Calicem cum vino & aqua pani ex multis granis confecto. Quæ omnia denotant, mixtionem hanc esse necessariam de necessitate Sacramenti. IX. Bernardus Epistol. 69. liberum, asserit, esse, aquam cum vino miscere, vel non miscere, his verbis : *Ajunt, nescio quem alium aliud sensisse Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est pane, vino, & aqua, hoc sacrificium esse ; ita ut si quodlibet horum deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de hujusmodi unusquisque in in suo sensu abundet.* X. Multa Concilia docent, aquæ mixtionem esse necessariam ex præcepto divino ; & probatur. Concilium enim Carthagin. III. cap. 24. ait, *id offerendum, quod Dominus tradidit.* Concilium Aurelianense IV. can. 4. ait : *Vinum esse offerendum aqua mixtum, quia Sacrilegum judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Concil. Trull. ait, hunc ordinem esse *ab Apostolis traditum.* Hic igitur maxime locum habet effatum S. Augustini lib. 2. de Baptismo cap. 7. & lib. 4. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec in Concilio institutum, sed semper retentum est ; nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Apostoli autem*, ut loquitur Tertullianus, *a Christo acceperunt, sicut Christus a Deo.*

Respondemus ad I. negando antecedens; & negationis hujusce rationes afferuntur plures ; quarum prima est, quia est traditio apostolica, quod Christus sic fecerit ; secunda, quia exprimuntur sanguis, & aqua, quæ ex Christi latere effluxerunt; tertia, quia exprimitur unio populi fidelis cum Christo capite ; ut docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. *Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant, tum quod Christum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit ; quod Sacramentum hac mixtione recolitur : & cum aquæ in Apocalypsi Joannis populi dicantur ; ipsius populi fidelis cum ca-*

Digitized by Google

capite Christo unio representatur.

Ad II. negatur pariter antecedens; & ratio est, quia exemplum Christi habemus, si non ex Scripturis, saltem ex traditione; unde Cyprianus in citata Epist. ad Cæcilium dicit; *Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest.*

Ad III. dicimus, ad fidem non pertinere, nec necessitatem aquæ, nec ejusdem mixtionem cum vino. Ad fidem tantum spectat, quod definitur in Concilio Tridentino can. 9. scil. anathema dicitur iis, qui negant aquam vino in Calice offerendo esse miscendam, eo quod sit contra Christi institutionem. Ad quæ subdit Tournely citato loco. „ Neque obstat quod „ idem Concilium eadem sess. cap. 7. „ dicat *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam misceant, atque credi Christum Dominum ita feciſſe.* Namque 1. ea tantum pro definitis de fide „ a Concilio Tridentino habenda sunt, „ quæ sunt canonibus expressa, & sancita, non quæ in capitibus præmittuntur ad Canonum subsequentium intelligentiam, & probationem. 2. „ Quia dicere quis posset, Concilium „ ita præceptum Ecclesiæ designasse, „ ut tamen divinum noluerit excludere; imo ecclesiasticum expressisse, „ tanquam executionem divini. 3. Quia „ solemne fuit Patribus Tridentinis, „ nullam Scholæ Catholicæ opinionem „ configere; at non desunt, qui mixtionem aquæ jure, & præcepto divino, „ necessariam esse, contendunt; Verbum enim *creditur*, quo utitur Concilium, non pro fide supernaturali, „ & theologica hic usurpatur, quasi „ vellet esse de fide, Christum vino „ aquam miscuisse, sed propria tantum „ credulitate, quæ, inquit Isambertus, „ de Sacramento Eucharistiæ loquens, „ ad quæst. 74. disp. 4. art. 7. *in gradu „ certitudinis est inferior fide catholica*, „ Unde S. Thom. hic quæst. 74. art. 6. „ ait *probabiliter credi &c.* Etsi igitur „ temeritatis notam non effugeret, qui „ diceret, Christum non miscuisse „ aquam vino in Calice Eucharistico, „ non idcirco tamen hæreticus esset: „ erraret quidem ille, sed non errore „ contra veritatem revelatam, ac fide „ supernaturali certam, & definitam.„

Ad IV. dicitur quod Isaias exprobrabat Judæis admixtionem aquæ; quam faciebant in fraudem mentium vinum; sicque Isaiæ verba in alium tendunt scopum, quam in nostrum.

Ad V. Chrysostomus damnat Aquarios hæreticos, qui solam adhibebant aquã, non autem Catholicos, qui aquam cum vino mixtam offerebant; sicque eum Concilium Trullanum can. 32. interpretatur: *Ipse enim suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet.*

Ad VI. Cyprianus dicit, esse necessariam aquam, ejusque admixtionem cum vino, sed non dicit esse necessariam eodem modo, & eadem necessitate, qua necessarium est vinum; unde stat, quod vinum sit necessarium necessitate præcepti divini, & necessitate Sacramenti, aqua vero sit necessaria tantum necessitate præcepti ecclesiastici.

Ad VII. Hæc reponit Jueninus in Commentario art. 3. §. 1. „ Calix Domi„ ni, tum secundum id, quod significat, „ non est autem vinum solum, aut aqua „ sola; quemadmodum enim corpus „ mysticum per farinam, quæ aqua de„ libuta non sit, non exhibetur, ita nec „ per solum vinum. Ut corpus mysti„ cum per farinam repræsentetur, ne„ cesse est, ut frumenti grana sub una „ superficie contineantur, ac sibi invi„ cem coadunentur, quod sane sine „ aqua fieri non potest: ita etiam nisi „ sub una Calicis superficie, Christus, „ & Ecclesia contineantur, Calix non „ erit perfectus perfectione significatio„ nis, quamvis perfectus sit ratione rei, „ quam realiter continet. Audiendus „ est ipse Cyprianus, quæ enim verbis, „ de quibus agitur, subjicit, mentem „ illius non obscure aperiunt, *Quo ipso „ Sacramento* (granorum nempe per „ aquam sub una superficie conjunctio„ ne) *populus noster ostenditur adunatus, „ ut quemadmodum grana multa in unum „ conjuncta, & commolita, & commixta, „ panem unum faciunt, sic in Christo, qui „ est panis cœlestis, unum sciamus esse „ corpus, cui conjunctus sit noster nume„ rus, & adunatus.*

Ad VIII. dicitur, quod Cyprianus intelligendus est de præcepto, quod refertur ad vinum, non vero de præcepto, quod referatur ad aquam; & hoc patet

Digitized by Google

tet manifeste, quia institutum suum hoc erat, ut probaret necessitatem vini, non vero ut probaret necessitatem aquæ. Insuper idem Cyprianus in comparatione illa attendebat ad significationem mysticæ unionis populi cum Christo, non vero ad significationem validæ consecrationis. Denique significatio illa mystica non est essentialis Eucharistiæ; adeoque quando Cyprianus dicit, Sacramentum perfici, verum & plenum esse, si adsit talis significatio, intelligendus est de perfectione accidentali, & integrali, non vero essentiali.

Ad IX. Apud S. Bernardum quæstio agitabatur de Sacerdote, qui omiserat fundere vinum in Calice, & ut suam negligentiam suppleret, fuderat deinde vinum super particulam hostiæ consecratæ, absque ulla peculiari vini consecratione; circa quam quæstionem aliqui dicebant, nec panem in eo casu esse consecratum, quod refutabat Bernardus; & ratio ipsius erat, quia panis consecratur prius quam vinum, adeoque consecratio unius ab alterius consecratione pendere non debet. En ejus verba: *Non nego panem, & vinum, aqua quidem mixtum, simul debere apponi; quin potius assero, haud aliter debere fieri: sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud inquam, est, quod causatur non bene quidpiam fieri, & aliud, quod mentimur nec fieri.*

Ad X. dicitur, quod Concilium Carthaginense non intelligit præceptum per verbum illud *tradidit*, sed traditionem; hoc est, oblationem. Concilium Aurelianense verbum *mandatum* refert ad panem, & vinum, non vero ad eorundem mixtionem. Concilium Trullanum intelligi debet de Apostolorum traditione, non vero de Christi mandato. Denique ad Augustinum dicimus, quod ipse in hoc sensu dicit, mixtionem aquæ in Calice esse juris, seu institutionis divinæ, quia Christus hoc ipsum exemplo suo docuit, non vero expressa lege præcepit.

Pro ultima tandem Dissertationis parte, in qua quæritur, quomodo aqua in Christi sanguinem transmutetur?

Primo supponimus, circa finem seculi 12. Theologos circa hoc fuisse in Galliis divisos; quibusdam quidem sentientibus, aquam revera mutari in Christi sanguinem; aliis vero censentibus, aquam transubstantiari in liquorem illum, qui ex aperto Christi mortui latere demanavit; aliis tandem, & non paucis, contendentibus, aquam in propria specie ac natura remanere, etiam consecratione peracta. At anno 1188. Gaufredus, Monachus S. Bernardi, hac de re Epistolam scripsit Episcopo Cardinali Albanensi, qui erat tunc temporis Papæ Vicarius, & in ea, his verbis quæstionem describit, & opinantium Theologorum sententias affert: *Ad partes Galliæ reversus cum vestra benedictione, novam, & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem de substantia aquæ, quæ vino mixta in Calice similiter offertur, & an ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur.... Nec mediocris est inter modernos Theologos super eadem quæstione dissensio, negantibus aliis, aliis affirmantibus, totius liquoris mixti, sicut panis, qui ex similia, & aqua similiter conficitur, unam fieri transubstantiationem.* Quam responsionem Cardinalis Albanensis Monacho Gaufredo dederit, nullus ex illius ævi Scriptoribus refert; Baronius tamen ad annum 1188. rescripsisse putat, tenendum esse, quod semper credidit, & custodivit S. Romana Ecclesia; nimirum, aquam simul & vinum transubstantiari in sanguinem Christi.

At altera insurrexit postmodum difficultas; an scilicet aqua vino in Calice mixta immediate transubstantietur in Christi sanguinem, an vero mediate; quod scilicet prius aqua convertatur in vinum, & postea vinum in sanguinem? Hæc secunda opinio tribuitur a Thomistis S. Thomæ 3. part. quæst. 75. art. 8. Attamen cæteri fere omnes Theologi volunt, aquam immediate transubstantiari in Christi sanguinem; proinde.

Dicimus III. aquam in Calice vino mixtam transubstantiari in Christi sanguinem; modum autem, quo transubstantietur, non esse de fide; probabilius vero habendum, quod aqua immediate in Christi sanguinem convertatur. Tres habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars probatur ex Patribus illis, quos Gaufredus in Epistola

Digitized by Google

ad Cardinalem Albanensem laudavit. Cyprianus Epist. 63. *Calix Domini non est aqua solum, vel vinum solum, nisi utrumque misceatur . . . non potest vero nobis ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut Calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Hieronymus in cap. 14. Marc. *Formatsanguinem suum in Calice, vino, & aqua mixtis, ut alio purgemur a vitiis, & culpis, alio redimamur a pœnis.* Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. *Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit Corpus Christi, & vinum cum aqua in Calice mixtum fit sanguis, consecratione verbi cœlestis.* Hoc ex Augustino effatum idem Gaufredus recitat; *Unde & aqua mittitur in Calicem, & fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Paschasius lib. de Corpore, & Sanguine Domini, hæc habet: *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem.* Hildebertus Cenomanensis in Bibliotheca Patrum tom. 6. *Aqua in sanguinem vertitur, ut populus, qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat.* Algerius, qui xi. Seculo scripsit, sic loquitur: *Sed licet in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo, per quæ sacrificatur; est aqua mixta prius vino, sed quando sacratur, nonnisi sanguis erit; quo anima intus alatur.* S. Thomas, qui xiii. Seculo floruit, hæc habet; *Quidam dixerunt, quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem: sed hæc opinio stare non potest,*

II. Conclusionis pars probatur etiam testimonio Innocentii III. testificantis, hanc controversiam esse inter Theologos; attamen Ecclesiam neutram reprobasse, nec approbasse, sicut nec ipse approbabat, nec reprobabat; & refertur in cap. cum *Martha*, de Celebratione Missarum. Verba ipsius sunt: *Quæsivisti, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur: aliquibus enim videtur, quod cum de de latere Christi duo præcipue fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in Calice, divina virtute mutantur: alii vero tenent, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa*: Cæterum post Innocentii III. tempora nulla legitur de hoc definitio, nec Concilii, neq; Romani Pontificis: Si ergo nec Romanus Pontifex, nec Concilium aliquod definivit, restat, ut de fide esse nemo arbitretur.

III. Conclusionis pars I. probatur. Patres asserunt, aquam converti in Christi sanguinem; sed hujusce assertionis tutior, & propria intelligentia est, quod convertatur immediate; aliter dixissent, quod converteretur in vinum, & vinum deinde in sanguinem: ergo vere, ex intelligentia Patrum, aqua vino in Calice mixta, immediate transubstantiatur in Christi sanguinem.

II. probatur. Si Scholasticis xiii. Seculi notum fuisset, quod aqua prius verteretur in vinum, nullus ex iis negasset, quod verteretur in sanguinem Christi; omnes enim conveniebant, quod vinum in sanguinem Christi mutaretur; ergo si aliqui ex illis negabant, aquam converti in sanguinem, intelligebant de conversione immediata, non vero de mediata.

III. probatur. Multa experimenta recentiores Philosophi adducunt, quibus ad oculum ostenditur, quod aqua vino permixta a vino separetur: ergo signum est, quod aqua in vinum non convertitur: ergo si in vinum non convertitur, & transubstantiatur in sanguinem Christi, transubstantiari non potest, nisi immediate.

Obstant I. Eucharistiæ materia est tantum vinum de vite, & non est aqua: ergo aqua per consecrationem in Christi sanguinem non convertitur. Antecedens est doctrina Eugenii IV. in decreto pro Armenis. II. Illa materia transubstantiatur, cujus species remanent post consecrationem; sed remanent tantum species panis, & vini: ergo vinū, & non aqua est, materia Eucharistiæ: ergo tantum panis, & vinum, & non aqua, in Christi Corpus, & sanguinem convertuntur; minor est doctrina Concilii Tridentini dicentis sess. 13. can. 2. *Manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini.* III. Concilium Florentinum jubet, quod aqua in modicissima quantitate in Calice ponatur; sed hoc non aliunde, quā quia supponit aquā non immediate converti in vinum: ergo &c. IV. Innocentius III. refert fundamentum illo-

Digitized by Google

illorum, qui dicebant, aquam converti in Chriſti ſanguinem, & dicit eſſe illud, quod aqua in vinum tranſiret mixta vino, & hanc opinionem aſſerit eſſe probabiliorem: ergo ex Innocentio III. aqua prius convertitur in vinum, & deinde in Chriſti ſanguinem. V. Ex aqua mixta vino in Calice conſecrato, vel extrhai poteſt aqua vel non poteſt? Si non poteſt: ergo ſignum eſt; quod aqua jam verſa eſt in vinum. Si poteſt: ergo aqua illa non eſt conſecrata. VI. Dominicani, & Carmelitę, ante quam Miſſam exordiantur, miſcent aquam cum vino; ſed hoc non ob aliam rationem, niſi quia, ut dent tempus, quo aqua convertatur in vinum: ergo vere ex mente horum aqua prius vertitur in vinum, & deinde in ſanguinem Chriſti.

Reſpondemus ad I. Nos non dicere, quod aqua ſola ſit Calicis materia, ut ſupponit argumentum, ſed tantum aſſerere, quod aqua ſit materia ex *qua*, ſi vino admiſceatur; unde nihil contra nos ex Eugenii decreto inferri poteſt.

Ad II. Mentem Concilii Tridentini fuiſſe contra Lutheranos definire, quod non remaneat, nec panis, nec vinum, poſt conſecrationem; & nomine vini intelligit etiam aquam vino mixtam.

Ad III. dicitur, myſterium eſſe, quod vinum ſuperet aquam, quia exhibet, & ſignificat Chriſtum caput noſtrum, cui nos tanquam membra in ſacrificio copulamur.

Ad IV. Innocentius III. refert fundamentum illorum non aſſertive, ſed hiſtorice; ac proinde nullum robur contrariæ ſententiæ addit.

Ad V. dicitur, quod ſub illis ſpeciebus aquæ extractæ remanet Chriſti ſanguis; ſed ex hoc deduci minime poteſt, quod aqua ſola, vino ſcilicet non mixta, conſecrari valeat; & ratio eſt, quia aqua ſola non eſt materia Euchariſtiæ ex Chriſti inſtitutione.

Ad VI. hæc reponit Jueninus in Commentario Diſſ. 4. de Euchariſtiæ Sac. quæſt. 3. §. 3. „ Dominicanorum praxim non niti eo phyſicorum principio, quod Adverſarii ſupponunt; „ ſed nonnullis Liturgiis, quibus præ„ ſcribitur, quod id totum, quod in Sacri„ ficio debet offerri, ante ipſummet „ ſacrificium præparetur. Illud philo„ ſophicum dogma, quod Calici aqua „ permiſceri debeat, multo ante quam „ conſacretur, ut vinum interea illam „ in ſeipſum mutare poſſit, nunquam „ venit in mentem Græcorum, qui ju„ xta Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgias, „ oblata præparant, & aquam Calici „ infundunt, ante quam miſſa incipiat. „ Addendum eſt, miſſalis Romani Ru„ bricis injungi Sacerdotibus, ut im„ mediate ante conſecrationem vinum „ aqua temperent, ſi ſtatuto tempore, „ ideſt ante offertorium, temperatum „ non fuiſſe animadverterint; velim „ Adverſarii dicant, an eo tempore, „ veluti puncto, ſatis ſit, ut vinum per „ vim ſibi intrinſecam aquam in ſub„ ſtantiam ſuam immutet?

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCVIII.

De inadæquata Eucharistiæ materia, quæ est vinum. An vinum debeat esse vitigineum? An valeat Consecratio, si fiat in agresta, vel in botro? An sit valida, si fiat in musto, vel in aceto?

Dicimus I. Materiam inadęquatã Eucharistiæ debere esse vinum vitigineum.

I. Probatur ex Script. Matthei 26. *Non bibam amodo ex genimine vitis*: Marci 14. *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei*. Lucæ 22. *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

II. probatur. Solum vinum de vite proprie, & simpliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de oliva proprie & & simpliciter vocatur oleum: ergo si de fide est, quod Christus consecravit vinum, de fide pariter debet esse, quod Christus consecravit vinum vitigineum: ergo si Christus consecravit vinum vitigineum, materia inadæquata Eucharistiæ est solum vinum vitigineum. Unde Bernardus, ad hoc exprimendum, in Sermone de Cœna Domini scripsit: „ Etenim ne humana infirmitas esum carnis, & potum „ sanguinis, in sumptione horreret, „ Christus velari, & palliari illa duo voluit speciebus panis, & vini, quæ inter humani generis victualia quodammodo tenent principatum. „

III. probatur, quia ita definitum legitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III., & refertur in capite *firmiter*, de summa Trinitate fide Catholica; in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in literis unionis; in Concilio Altisiodorensi IV. cap. 4. & in aliis.

IV. probatur ex antiquo, & perpetuo Ecclesiæ usu, quæ semper adhibuit vinum vitigineum in sacrificio Missæ; qui quidem mos ubique gentium in omnibus Catholicis Ecclesiis invaluit.

Dicimus II. nullam esse consecrationem, si fiat in agresta, vel in botro.

I. Conclusionis pars I. probatur. Agresta distat specie a vino, non minus quam sanguis a carne: ergo non est materia apta consecrationis. Probatur antecedens; quia agresta diversas habet a vino qualitates; hoc enim est digestum, illa vero indigesta; hoc odoriferum continet liquorem, illa penitus nullum; hoc habet virtutem calefaciendi, illa vero refrigerandi.

II. probatur. Agresta nondum habet vini speciem, sed tantum est in via ad illud: unde sicut confici non potest Corpus Christi ex pasta, vel ex massa, ita nec sanguis Christi ex agresta. Et ita docet S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 5. quem sequuntur, post Suarez disput. 45. sect. 1. & Cardinalem de Lugo disput. 4. num. 8. omnes Theologi.

II. Conclusionis pars de botro, probatur I. quia botrum non est aptum, ut bibatur, sed ut manducetur; nos enim dicimus, manducare uvam, & non bibere; liquor autem, qui est materia inadæquata Eucharistiæ, debet esse aptus, ut bibatur; Unde sicut materia conficiendi corpus est simpliciter res manducabilis, ita materia conficiendi sanguinem debet esse simpliciter res potabilis.

II. probatur, quia mustum, quod continetur in uva, non potest sufficienter designari per pronomen *hic*, quando di-

Digitized by Google

dicitur *hic est sanguis &c.* ergo non est materia sufficiens consecrationis, quæ requirit rem præsentem, & designabilem per pronomen *Hoc*, vel *Hic*; & ita docet S. Tomas citato loco art. 5. ad 3.

Ex his colligimus I. omne vinum vitis, sive album, sive nigrum, esse sufficientem materiam consecrationis sanguinis; & ratio est, quia quodlibet ex his est simpliciter, & absque addito vinum. II. quod nec urgente necessitate potest fieri consecratio in alio vino, quam vitis; scilicet pomorum, granatorum, morornm &c. ratio est, quia Christus dixit absolute de genimine vitis; sic pariter tenet S. Thomas art. 5. ad. 2. III. neque vinum coctum esse materiam aptam consecrationis sanguinis; & ratio est, quia non est vere vinum; per coctionem enim in aliam transivit materiam; quicquid alii dixerint, quos refert Glossa in capite *sicut 2. de consecratione, dist. 2. verbo Calix*.

Dicimus III. Consecrationem esse validam, si fiat in musto; esse vero invalidam, si fiat in aceto.

I. Conclusionis pars I. probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius III. lib. 4. de sacrificio Missæ cap. 30. *Licet diligenti studio optimum vinum sit quærendum, ut sacrificium offeratur, vitium tamen vini non maculat munditiam Sacramenti; quocirca sive vinum novum, quod dicitur mustum, sive vinum acidum, quod appellatur acetum, in sacrificium offeratur; Sacramentum conficitur, & divinitus consecratur.* Julius Papa epist. ad Episcopos Ægypti hoc ipsum decrevit, prout refert Concilium Bracharense III. quod mox afferemus.

II. probatur ex Conciliis: Concilium Bracharense III. cap. 1. *Nam quod de expresso botro, idest, de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in Calice comprimatur, & aqua misceatur, quia juxta canonem, calix dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri &c.*

III. probatur: quia mustum est vinum substantialiter; habet enim rationem potus, est præsens consecranti, & a multis bibitur ut vinum; unde Actorum 2. pro vino accipitur; dicitur enim: *musto pleni sunt isti*. Denique apud Leandrum de Sanctissimo Sacramento tract. 7. de Sacramento Eucharistiæ quæst. 32. refertur, quod in quibusdam Ecclesiis sit consuetudo, ut in die transfigurationis Domini, 6. Augusti, consecretur mustum ex uvis recenter expressum.

II. Conclusionis pars I. probatur rationibus hisce I. quia non habet rationem potus. II. quia specie differt a vino, ut constat ex diversis utriusque qualitatibus. III. quia non est vere vinum, sed potius vinum corruptum; unde Aristotiles 8. metaphysices cap. 5. vinum, & acetum corpori vivo, & mortuo comparavit.

Ex his colligimus I. quod aqua infusa in acinis seu in racemis expressis, quæ dicitur *vinaccia*, non est materia sufficiens consecrationis: ratio est, quia proprie non est vinum, sed aqua; secus tamen esset, si magnæ copiæ meri vini parva quantitas aquę admisceretur, ut fieret perfecta concoctio; quia tunc illud vinum non amitteret suam speciē, sed potius illa aqua transmutaretur vulgo in vinum. II. quod vinum inclusum in pane non est materia sufficiens consecrationis; tum quia non est materia potabilis; tum quia non potest designari per pronomen *hic*. III. quod vinum congelatum valide consecratur, at illicite; tum quia vinum congelatum est essentialiter vinum, sicut oleum congelatum est essentialiter oleum. Consuetudo autem Ecclesiæ facit, ut non debeat consecrari vinum congelatnm, & si quis consecraret, peccaret; ita Suarez apud Leandrum citatum; at si congelatio solvatur, licite etiam consecrabitur; huic enim doctrinæ consuetudo Ecclesiæ non obstat, & qualitas contraria congelationis jam tollitur.

Objiciunt I. Ut probetur, solum vinum de vite esse materiam inadæquatam Eucharistiæ, desumitur ratio ab effectu ejus, qui est lætitia; Unde psalm. 103. dicitur: *vinum lætificat cor hominis*; sed hoc convenit cuicunque vino, etiam ex vite non expresso: ergo &c. Minor probatur. Convenit cuicunque vino, quod inebriare potest; ebrietas enim principium ducit a lætitia. II. Vinum rubrum videtur convenientius ratione coloris, quem similiorem habet cum sanguine: ergo vinum rubrum est aptior materia ina-

dæ-

Digitized by Google

dæquata, quam vinunm album. III. In aliquibus regionibus frigidioribus mustum debet esse necessario coctum, ut vinum fiat: ergo vinum coctum est materia sufficiens consecrationis sanguinis. IV. Multi sunt Theologi, qui docent, vinum acidum esse materiam sufficientem consecrationis sanguinis: ergo pariter hoc dicendum est de aceto. V. Aqua congelata non est materia sufficiens ad Sacramentum Baptismi: ergo neque vinum congelatum est materia sufficiens ad Sacramentum Eucharistiæ. VI. Vinum congelatum non est potabile; sed vinum, quod est materia sufficiens Eucharistiæ, debet esse potabile: ergo vinum congelatum non est materia sufficiens Eucharistiæ.

Respondemus ad I. quod quanvis vinum expressum ex alia materia possit lætificare, & inebriare hominem, nos tamen non ex hac sola ratione deducimus, & probamus, vinum ex vite esse materiam sufficientem consecrationis sanguinis; sed ob alias rationes, quas in præcedentibus adduximus; aliter si valeret hic arguendi modus, etiam dici posset; quod hæc materia debet esse potabilis, & etiam lac, & alii liquores sunt potabiles; & nihilominus nemo dixit, nec bene dicere potest, quod sint materia sufficiens hujus Sacramenti. Convenientia enim in uno non inducit convenientiam in omnibus, quæ sane verificari debet, ut paritas habeat locum.

Ad II. dato, quod sit convenientius, propter rationem adductam, ut etiam putavit Vasquez, non tamen est convenientius in omnibus; quia ratione munditiei convenientius est vinum album, ut voluerunt Joannes de Dicastillo, & Bartholomæus ab Angelo. Cæterum aliud est esse convenientius, aliud esse sufficiens, & solũ sufficiens.

Ad III. dicitur, quod nos non loquimur de vino illo cocto, quod fit in aliquibus regionibus frigidioribus, sed de illo, quod per coctionem in aliam transit materiam, & quod proinde non dicitur vinum; sicuti dicitur illud, quod in frigidioribus regionibus igni admovetur, ut perfectum vinum fiat.

Ad IV. Theologi illi loquuntur de illo vino, quod incipit acescere, & nondum vini formam substantialem amisit; & nihilominus omnes docent, quod peccaret, qui absque necessitate in illo consecraret; & aliquando etiam mortaliter, ratione dubii, vel irreverentiæ; ita S. Thomas quæst. 74. artic. 5. ad 2. cujusmodi sane non est acetum, quod jam vini formam amisit.

Ad V. negatur paritas; & disparitas est, quod aqua in Baptismo debet abluere, quod non verificatur de aqua congelata; vinum vero congelatum, quod incipit liquefieri, ut nos diximus, est potabile, quod sufficit ad materiam sufficientem Sacramenti eucharistici.

Ad VI. dicitur, quod vinum congelatum, quod non incipit liquefieri, secundum suam naturam est in statu potabili, licet difficilius potetur, lambendo scil. vel suggendo, ut asserunt Palaus tract. 21. punct. 4. num. 8. & alii. Attamen putamus, in vino congelato consecrare esse peccatum; & quidem grave, propter consuetudinem Ecclesiæ, quæ congelatum vinum nunquam consecravit; ut testantur Suarez, & alii Theologi contra Vasquez, & Hurtado.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCIX.

De forma Sacramenti Eucharistiæ. An Christus instituerit formam pro Eucharistiæ consecratione? An hæc forma consistat in verbis? Et in quibus verbis?

ANtequam ad quæsita, quæ in Dissertationis titulo proponuntur, deveniamus, congrum ducimus, Hæreticorum errores contra Eucharistiæ formã afferre; & deinde Scholasticorum opiniones enarrare, ut nostræ consuetæ methodo respondeamus.

Primo, Manichæi vinum non consecrabant, quod in Sacramento non adhiberent, ut suo loco dictum est; panem verum eucharisticum nec pariter consecrabant, quia putabant hunc apud seipsos nasci, ac proinde consecrari non oportere. Refert S. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 13.

Secundo, Græci Schysmatici, inter quos est Marcus Ephesinus in lib. de verbis consecrationis; est & pariter Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiæ, cap. 29. & 30. est pariter Jeremias, Patriarcha Constantinopolitanus, in censura ad Augustanam Confessionem, capit. 10. sunt & alii, quos nominat Arçudius lib. 3. concordiæ cap. 26. qui volunt, primo, quod eadem numero Christi verba *Hoc est &c. Hic est &c.* Semel ab ipso prolata, virtute nihilominus perseverent, ac vere operentur; secundo, quod Sacerdotes, quando consecrant, ea verba tantum narrative recitent, & historice, non vero significative, & effective; tertio, quod verba, quibus Christus Dominus consecravit, vim suam tantum consequantur, quando Sacerdos preces fundit, & verbis hisce conficit Sacramentum. Refert Bellarminus lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 13.

Tertio, Novatores posteriorum temporum verba consecrationis, tanquam quid magicum, omnino rejiciunt; ut est Bucerus, qui in cap. 26. Matthei scribit; *non esse necessarium, ut recitentur verba, & quod nulla Scriptura id doceat, & Dominus jusserit panem frangere, & manducare, non vero quod super panem diceretur; Hoc est corpus meum &c.* Calvinus vero fatetur, consecrationis verba proferri debere a Sacerdote, sed per modum concionis, & instructionis; scilicet ad excitandam populi fidem, non vero ad consecrationem peragendam. Lutherus denique vult, non modo evangelicis verbis, sed etiam tota & integra Liturgia opus esse ad dona consecranda; quod scribit in libro de abroganda missa privata, & in formula missæ pro Ecclesia Wittembergensi. Hoc idẽ docet Kemnitius, ut asserit Bellarminus; Carnieriũ vero, Albertinum, & Dallæum in hoc fuisse incertos, & inconstantes, narrat Tournely.

Ad Scholasticos modo devenientes, Primo scribimus illos, qui arbitrati sunt, Christum, interna, & occulta benedictione, sine ullis verbis, per potestatem excellentiæ, verbis non alligatam, consecrasse; nihilominus formam præscripsisse, qua posteri consecrare deberent. Hæc opinio tribuitur Innocentio III. scribenti, antequam Pontifex esset, lib. 4. mysteriorum Missæ cap. 6. ubi ait: *Dici potest, quod Christus virtute divina consecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Durandus

Mi-

Mimatensis lib. 4. de divinis officiis cap. 41. num. 15. hoc ipsum asseruit.

Secundo, Catharinus voluit, Christum non verbis, sed arcana benedictione consecrasse; formam tamen nobis præscripsisse, qua consecrare deberemus; & verba illa, in quibus forma consistit, quanvis a Sacerdotibus historice tantum, ac narrative proferantur, non significative, & effective, necessaria tamen esse propter mandatum Christi; & denique consecrationem non tantum verbis perfici, sed etiam precibus, quæ antecedunt apud Latinos, & sequuntur apud Græcos, verba Christi. Hanc Catharini opinionem sequutus est Salmeron tom. 9. tract. 13. qui simul cum Catharino hujusce opinionis antesignanos laudant Franciscum Mayronis, Gabrielem Biel, Godefridum Pictaviensem, Titelmannum, & antehos Rupertum, Anselmum, Odonem Cameracensem, ad quos tempore Berengarii accessit Abbaulus lib. de fractione Corporis Christi, ut refert Mabillonius tom. 3. Analectorum.

Tertio, Christophorus a Capite fontium, Ordinis Minorum Generalis, & Archiepiscopus Cæsarienſis, eandem Catharini opinionem docuit, sed hac sola diversitate, quod hic voluit, quod Christus consecravit, non tantum interna, sed etiam externa benedictione, seu sacerdotali ministerio; Catharinus vero sola potestate excellentiæ, & occulta benedictione.

Quarto, aliqui voluerunt, Christum verbis quidem consecrasse, non sola interna benedictione; sed verba illa esse nobis incognita, & occulta.

Quinto, S. Thomæ tempore fuerunt aliqui dicentes, Christum bis pronunciasse verba illa: *Hoc est corpus meum*; primo quidem secrete ad consecrandum; secundo manifeste ad instruendum. Et hoc testatur S. Doctor 3. part. quæst. 68. art. 1. ad 1. *Sed hoc stare non potest, quia Sacerdos consecrat proferens hæc verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Et ideo alii dixerunt*, addit Angelicus Doctor, *quod Evangelistæ non semper eandem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ; unde intelligendum est, ordinem rei gestæ sic exprimi posse.* „ Accipiens panem „ benedixit, dicens, *Hoc est corpus meum*, & inde fregit, & dedit Discipulis „ suis. „ *Sed idem sensus haberi potest etiam verbis Evangelii non mutatis: nam hoc participium, dicens, co comitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt ..... ut sit sensus.* „ Dum benediceret, fran- „ geret, & daret Discipulis suis, hæc „ verba dixit, *Accipite &c.* „

Sexto, discordant pariter Theologi circa verba singula, quæ ad substantiam consecrationis, & præcipue Calicis, necessaria sunt: Etenim S. Thomas 3. part. quæst. 68. art. docet, ad formam consecrationis Calicis pertinere omnia hæc verba: *Hic est Calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Scotus vero in 4. dist. 8. quæst. 2. vult, absolute necessaria esse ad consecrationem panis omnia verba illa, quæ incipiunt; *Qui pridie quam pateretur &c.*

Septimo, narrat Tournely aliam opinionem, nuper in Galliis excitatam, de qua dicit: „ Præsens controversia „ jamdiu fere sopita, nostris his diebus „ excitata de novo fuit ab eruditoTheo- „ logo P. le Brun Oratorio, in Opere, „ cui titulus est gallicè, *Explication lit- „ terale, historique, & dogmatique des „ pries, & des ceremonies de la Messe.* „ Tom. 3. pag. 212. & sequent. ubi mul- „ tis, tum ex Liturgiis Orientalibus, „ tum ex Ss. Patribus, congestis testi- „ moniis, efficere conatur, formam „ Eucharistiæ non tantum verbis Christi „ perfici, sed etiam precibus, quæ præ- „ cedunt apud Latinos, & sequuntur „ apud Græcos, solemnia ista Christi „ verba. *Hoc est corpus meum*, Hic est „ *sanguis meus*; itaut ex duplici illa for- „ ma partiali, & inadæquata, verbis „ scilicet, & precibus, moraliter con- „ junctis, coalescat forma totalis, & „ essentialis Eucharistiæ. Nihil ille pro „ sua exquisita eruditione omisit, ut „ veri speciem huic sententiæ appinge- „ ret. In eam tamen insurrexit unus e „ Societate Jesu doctus ac politus „ Theologus, quam scripto publice ag- „ ressus est. Communis Scholæ sententia „ est, Christum iisdem verbis conse- „ crasse, quibus jam consecramus; at- „ que benedictione usum illum fuisse, „ non tanquam forma ad consecran- „ dum, sed oratione, seu divinæ virtutis „ in

Digitized by Google

„ invocatione ad consecrationem præ-
„ parandam, & obtinendam; ideoque
„ preces, quas Ecclesia in canone Missæ
„ ad Deum fundit, necessarias quidem
„ esse ex præcepto, non ex necessita-
„ te Sacramenti.„

Dicimus I. Christum in Eucharistiæ institutione adhibuisse verba, non solam interiorem & occultam benedictionem: Eucharistiam vero consegrasse potestate ministeriali primaria, non potestate excellentiæ.

I. Conclusionis pars I. propbatur ex Scripturis. Si sola interiori & occulta benedictione, & non verbis, Christus Eucharistiã instituisset, Evangelistæ non retulissent verba, quibus Christus Eucharistiam instituens, usus est; sed Evangelistæ distincte & nominatim referunt hæc verba, quibus Christus consecravit: ergo Christus Eucharistiam instituens verbis usus est. Minor clare patet ex verbis Christi, quæ alibi retulimus, & mox iterum referemus.

II. probatur ex Romanis Pontificibus. Eugenius IV. in decreto, seu instructione pro Armenis, inquit: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentũ. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc cõficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corporis Christi substantiam, & substantia vini in sanguinem convertuntur.*

III. probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum sess. 25. approbat confessionem Græcorum, dicentium, per verba Christum Eucharistiam instituisse; & hæc sunt verba Græcorum: *Fateri nos diximus, per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri Corpus Christi: sed postea, quemadmodum, & ipsi (Latini) dicitis, Jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime Altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi tui; & quod in Calice isto est pretiosum sanguinem Christi tui, trasmutetque ipsa Spiritu Sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, non fiant in judicium, aut condemnationem nostram.* In hujus veritatis confirmationem referuntur a Mabillonio tom. 1. Musei Italici pag. 243. verba, quæ Archiepiscopus Nicænus, Bessarion, postmodum S. R. Ecclesiæ Cardinalis, in eodem Concilio Florentino habuit, & sunt hæc: *Die dominica quinta Julii anno 1438. in generali Congregatione, præsidente in eadem Sanctissimo Domino nostro Eugenio, divina providentia Papa Quarto..... Reverendus Pater Dominus Archiepiscopus Nicænus, suo & aliorum Patrum Ecclesiam Orientalem repræsentantium nomine, publice, alta, & intelligibili voce exposuit in hæc verba, vel eis in affectu similia. Beatissime Pater, vosque Reverendissimi Patres, & Domini, hic præsentes. Quoniam in præcedentibus Congregationibus nostris inter alias differentias nostras ortum est dubium de consecratione Sacramenti Eucharistiæ; & aliqui suspicati sunt, nos & Ecclesiam nostram non credere illud pretiosissimum Sacramentum per verba Salvatoris Domini nostri Jesu Christi confici; propter hanc causam adsumus coram vestra beatitudine, omnibusque aliis hic adstantibus, qui pro parte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt, ad certificandum vestram beatitudinem, & alios Patres & Dominos hic præsentes, de hac dubitatione, & dicimus breviter; Nos usos fuisse Scripturis, & Sententiis SS. Patrum, cognoscentes, & animadvertentes fragilitati humani sensus, volumus adhærere sententiis Sanctorum Patrum, & rationibus, spretis humanis inventis; qua quidem de re, Pater Beatissime, cum in omnibus aliis auctoritatibus Patrum Sanctorum usi sumus, etiam his in præsenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus Sanctis Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus verba dominica esse illa, quæ mutant, & transubstantiant panem, & vinum in corpus veram Christi, & Sanguinem; & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent, vos ipsum Sanctissimam Doctorem, & illius sententiam sequimur de necessitate. De hac quæstione breviter diximus, & sufficienter, & vestram beatitudinem de nostra intentione certam reddimus.* Subscriptum, Arnoldus Notarius. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3. *Corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis concomitantiæ.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Justinus Martyr Apolog. 2. *Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum: eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratiis actis, dixisse: Hic est sanguis meus.* Iræneus lib. 4. adversus hæreses cap. 18. *Panem, dum percepit invocationem Dei, non esse panem communem, sed Eucharistiam*, & lib. 5. cap. 12. *Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi.* Chrysostomus homilia 1. de proditione Judæ num. 6. *Hoc verbum* (nempe, Hoc est corpus meum) *transformat ea, quæ proposita sunt: ac quemadmodum vox illa, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem prolata est, omni vero tempore naturæ nostræ vim præbet ad filiorum procreationem; ita & vox hæc semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus, & usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit*, Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13. *In principio dixit* (Deus,) *producat terra herbam virentem; & ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa, & roborata, fœtus suos profert. Dixit perinde Deus*, Hoc est corpus meum; & Hic sanguis meus; &, Hoc facite in meam commemorationem: *idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur.*

V. probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. *Acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus illud suum fecit, dicendo: Hoc est corpus meum.* S. Ambrosius lib. de initiandis cap. 9. num. 54. *Clamat Dominus Jesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen; hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat.* Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4. num. 14. *Quomodo potest, qui panis est, esse Corpus Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, à Sacerdote dicuntur. Laudes Deo deferuntur. .... Ubi veniunt, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis Sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur Christi Sermonibus. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.*

Dicimus II. Verba essentialia, quæ sunt forma Eucharistiæ, quibus Christus consecravit, & nos consecrare debemus, esse hæc: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus: vel calix sanguinis mei*: Preces vero, quæ apud Latinos præcedunt, & apud Græcos sequuntur formam, esse tantum de necessitate præcepti, non vero de necessitate Sacramenti.

I. probatur. Illa sunt verba essentialia consecrationis, quæ determinate efficiunt in instanti, quo proferuntur, & efficiunt virtute, quam Christus illis contulit; sed sic sunt verba, quæ in Conclusione exposuimus: ergo verba in Conclusione exposita sunt essentialia consecrationi; ac proinde sunt illa, quibus Christus consecravit, & quibus nos consecrare debemus. Minor probatur. Per verba in Conclusione exposita determinatur per affirmationem explicitam, quod ibi sit corpus, & sanguis Christi, non vero rogatur, ut veniat; est in instanti præsenti, non ut veniat in instanti futuro; & proferuntur nomine, & virtute Christi: ergo verba in Conclusione exposita determinate efficiunt, quod significant, perficiunt in instanti, quo proferuntur, & efficiunt virtute, quam Christus illis contulit.

II. probatur. Preces, quæ apud Latinos præcedunt, & apud Græcos subsequuntur consecrationem, hanc ipsam consecrationem, vel invocant faciendam, vel factam supponunt, & pro ea Deo gratias agunt: ergo in ipsis non consistit consecratio; ac proinde necessaria non sunt necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti.

III. probatur ex Rubricis Missalis Romani, in titulo *de defectu panis*, in quo legitur: *Si Celebrans ante consecrationem advertit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione, fatem*

mente

Digitized by Google

mente concepta, proſequatur ab eo loco, ubi deſivit ..... Si adverterit poſt conſecrationem, etiam poſt illius hoſtiæ ſumptionem, poſita alia, faciat oblationem ut ſupra, & a conſecratione incipiat, ſcilicet illis verbis, qui pridie quam pateretur ..... Quod ſi hoc contingat poſt ſumptionem ſanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut ſupra, Sacerdos, conſecret, incipiendo ab illis verbis, qui pridie &c. Ad quæ verba addit Tournely: „ His in caſibus „ non jubet Rubrica, ut Sacerdos repe„ tat orationem, *ut nobis corpus fiat &c.* „ & ab ea conſecrationem incipiat; ſed „ tantum ab his verbis, *qui pridem quam* „ *pateretur*. Ergo judicat Eccleſia La„ tina valide conſecrari Euchariſtiam „ ſine illa oratione. Neque dicas ora„ tionem illam, quæ a Sacerdote pro„ nuntiata jam fuerat, moraliter perſe„ verare. Namque in caſu propoſito „ non aderat materia ſufficiens, ac le„ gitima, ad quam oratio illa, tanquam „ forma referri poſſet; ergo nullo mo„ do poteſt eſſe forma neceſſaria. Ne„ que etiam dicas, Rubricas illas, quæ „ nullius ſunt auctoritatis, emendandas „ eſſe. Namque jam fere a 15. Seculo „ in uſu ſupt, atque ad privatos non„ pertinet eas emendare: quamdiu ergo „ ab Eccleſia non corrigentur (quod „ futurum aliquando vir cordatus ſibi „ facile non perſuadebit) diligenter „ obſervandæ ſunt.

Dicimus III. verba eſſentialia in conſecratione corporis Chriſti eſſe tantum hæc: *Hoc eſt corpus meum*; & in conſecratione ſanguinis eſſe tantum hæc: *Hic eſt ſanguis meus*; vel *Calix ſanguinis mei*.

I. probatur Concluſio. Illa tantum ſunt verba eſſentialia in conſecratione, quæ ſufficienter, & efficaciter ſignificant converſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem; ſed ita ſunt verba, quæ in concluſione poſuimus: ergo eadem verba ſunt in Conſecratione eſſentialia.

II. probatur. Verba eſſentialia in Conſecratione ſunt illa tantum, quæ pertinent ad formam conſecrationis; ſed verba poſita in Concluſione, & non alia, pertinent ad formam conſecrationis: ergo &c. Probatur minor. verba illa: *Qui pridie quam pateretur &c.* Non ſunt verba Chriſti, ſed ſunt verba Evangeliſtæ, & reſpiciunt hiſtoriæ narrationem, quam Chriſtus geſſit; adeoque non ſignificant conſecrationem. Inſuper verba illa: *Accipite, & manducate*, ſignificant uſum euchariſtiæ, non conſecrationem; denique particula *enim*, quæ habet locum conjunctionis, non refertur ab Evangeliſtis omnibus, ſed tantum a Mattheo in conſecratione Calicis: unde tanquam cauſalis fuit addita ab Eccleſia, & debet a Sacerdotibus pronunciari propter uſum, & præceptum Eccleſiæ; & qui eam non pronuntiaret, peccaret mortaliter; conſecratio nihilominus eſſet valida.

III. probatur. Forma conſecrationis eſſentialiter debet conſiſtere in illis verbis, quæ proferuntur Chriſti nomine, & quæ eadem Chriſtus protulit, ut ſignificaret, & efficeret converſionē de qua loquimur; ſed hæc tantum ſunt verba illa, quæ in concluſione ſcripſimus: ergo verba illa ſunt in conſecratione eſſentialia. Prob. minor. Quod verba illa proferantur Chriſti nomine, ex Textu ipſo patet, & ex Patribus explicantibus illum: quod vero illa tantum ſignificent, & operentur conſecrationem, obvium quoque eſt omnibus intelligentibus illa; & hoc eo magis, quia, alia verba a Chriſto prolata, & a Sacerdotibus recitata, ad alium finem, quam ad conſecrationem peragendam, fuerunt a Chriſto prolata, & a Sacerdotibus recitantur.

Arguunt I. Evangeliſtæ narrant, quod Chriſtus accepto pane, *benedixit*; Quæritur, vel iſta benedictio fuit efficax, ſcilicet operativa conſecrationis, vel inefficax: non ſecundum, quia fuiſſet indigna Chriſto, qui infinitam habebat poteſtatem: Si efficax: ergo jam ante verba, quæ dicuntur conſecrationis, conſecrationem operata eſt: ergo Chriſtus per ſolam benedictionem, & non per verba, conſecravit. II. Benedictio facit, ut res profanæ per ipſam in ſacras & ſanctificatas evadant: ſed hoc ipſum importat conſecratio: ergo per benedictionem Chriſti ſatis intelligitur facta conſecratio; abſque eo quod ad alia verba recurratur. III. Non ſemel Patres, & Eccleſia declararunt, conſecrationem fieri precibus, & oratione; & ex multis proferuntur Hieronymus epiſt. 101. alias 85. ad Evan-

gelum : *Ad quorum* (Sacerdotum) *preces Christi corpus, sanguisque conficitur* ; & in Concilio Romano sub Gregorio VII. anno 1079. Berengarius hanc fidei formulam, jussu, & authoritate Concilii, sua subscriptione firmavit : *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificatricem carnem, & sanguinem Jesu Christi; & post consecrationem essa verum Christi corpus &c.* IV. In Liturgiis Græcocorum post prolata verba, quæ dicimus esse essentialia consecrationi, subnectuntur preces, quibus oratur Deus, ut conversionem panis in corpus, & vini in sanguinem, efficiat: ergo supponitur, consecrationem per verba illa non esse factam ; V. Verba consecrationis, quæ nos posuimus in conclusione, si proferantur historice, non faciunt, quod significant; si proferuntur significative, significant potius corpus Sacerdotis, quam Christi: ergo nihil sine precibus pro consecratione operantur, VI. Gregorius Magnus lib. 9. regiſtri epist. 12. alias 64. ait, morem Apostolorum fuisse, orationem dominicam in Missa recitari, *ut ad ipsam solam orationem oblationis hostiam consecrarent* : ergo per Gregorium Magnum consecratio in oratione consistebat.

Respondemus ad I. Christum utique potuisse per solam benedictionem consecrationem perficere, absque eo quod postmodum ad benedictionem verba superadderet; sed hoc noluit facere, volens per verba exprimentia consecratioem, efficere illam. Benedictionem autem præmisit, ut dispositionem ad consecrationem, non ut consecrationem ipsam.

Ad II. dicitur, quod non immediate per solam benedictionem fiunt de pane, & vino Corpus, & Sanguis Christi, sed mediate; hoc est per verba: quæ vel fiunt præparatorie, & dispositive per benedictionem, effective autem per verba.

Ad III. Per preces illas & orationes Patres, & Concilia intelligunt verba Christi, quæ involvunt tacitam orationem in ipsa verborum prolatione; non vero intelligunt preces illas, quas Græci post consecrationem, & Latini ante consecrationem, Deo fundunt.

Ad IV. Sunt qui respondent, immutatum esse Liturgiarum ordinem; sunt qui dicunt, orationibus illis non naturale Christi corpus, sed mysticum postulari; & denique sunt, qui cum Bellarmino asserunt, non peti simpliciter, & absolutè, ut fiat corpus, & sanguis Christi, sed ut fiat suscipientibus per effectum nutritionis. Quod idem est, ac dicere, quod non postulant physicam, & realem donorum in corpus, & sanguinem conversionem, quam factam supponunt, sed moralem dumtaxat respectu sumentium; quod clare exprimitur in Liturgia nostra Latina : *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur.*

Ad V. dicitur, quod verba consecrationis sunt verba Christi, & a Sacerdote proferuntur recitative simul, & significative : recitative, quod constat ex serie canonis : *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem &c.* significative pariter, quia Sacerdos per verba Christi in ejus persona loquens, intelligit facere, quod Christus fecit; nec verificari potest, quod loquatur de ipsomet Sacerdote, quia Sacerdos tunc induit personam Christi, ac proinde in persona Christi loquitur.

Ad VI. Gregorius Magnus non ponit orationem dominicam inter verba consecrationis, sed inter preces illas, quæ vel ante, vel post consecrationem Deo funduntur : & quam dicit fuisse ab Apostolis institutum, ut in Missa diceretur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCX.

De reali præsentia Christi in Eucharistia. Qui eam antiquis temporibus abnegarunt? Qui media ætate impugnarunt? Et qui postremo ævo Novatores ipsam inficiati sunt?

Dicimus I. illos, qui antiquis tẽporibus realẽ Christi prẽsentiam in Eucharistia abnegarunt, fuisse sequentes.

Primo, fuerunt Capharnaitæ, qui verbis eam inficias iverunt, ut legitur Joannis 6. num. 41. *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*: & num 53. & seqq. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Secundo, ponitur Judas Iscariotes, & deducunt ex verbis illis pariter Joannis 6. num. 61. *Multi ergo audientes ex Discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quæ verba, quanvis de pluribus intelligi possint, ut ea tamen principaliter de Juda intelligamus, movent nos verba alia, quæ dixit Jesus. num. 65. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.* Et num. 71. & 72. *Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.* Accedit testimonium S. Hieronymi, dicentis in Commentario super Mattheum: *Judas Iscariotes omnium hæreticorum Evangelicæ legis, & a fide Christiana recedentium, primus, ea infidelitate, qua Dominum tradidit, putabat signa, & prodigia, quæ viderat facta a Christo, magicis artibus fuisse perpatrata.* Ad quæ conformiter scripsit Malvasia hæresum Centuria I. „ Judas Iscariotes, „ Redemptoris nostri proditor, sacri- „ que Apostolici Collegii Apostata, at- „ que ideo primus totius Christianæ Re- „ ligionis hæreticus fuit: ita censuerunt „ Athanasius *Epist. ad Episc. Carthag. adver. art. lib.* 1. Historia *tripar. cap.* „ 13. Prateolus *ver. 6. Judas*. Et Ale- „ xander Patriarcha Alexandrinus; Et „ quia errores Judæ cum erroribus Lu- „ theranæ, atque Calvinianæ Scholæ „ manifeste coincidunt, propterea me- „ rito illorum Sectæ perfidus Architec- „ tus censendus est. „

Tertio, ponimus illos, qui indirecte præsentiam Domini realem in Eucharistia negarunt, eo quia impie asserebant, Christum non veram habuisse carnem; & sunt Simon Magus, qui a pluribus dicitur Sacramentariorum parens; & proinde nec Eucharistiam, nec oblationes admittebat, quia veram Christi carnem abjicerat. Testatur S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smyrnenses, cujus verba refert Theodoretus Dialog. 3. & sunt: *Ab Eucharistia, & oratione abstinent, eo quod non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ*

pro

pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit.

Quarto, Manichæi negantes Verbum divinum veram absumpsisse carnem, negabant pariter, veram Christi carnem in Eucharristia exstare; & hi fuerunt Manichæorum prima Soboles; cæterum de aliis Manichæis, qui ex Bulgaria in Gallias decimo seculo lambentes irrepserunt, Ducibus Lisojo, & Heriberto, asseritur, quod dixerint, non esse Sacramentum corporis, & sanguinis Christi in consecratione Sacerdotis; quod volunt relatum in actis Concilii Aurelianensis anno 117. a quo damnati fuerunt, & proscripti. Et quanvis Bornagius, Calvinianus minister, contra hoc Concilium Aurelianense multa evomat impia, & execranda; cuique tamen cordato, & erudito viro certius est credere, quæ Sectarii ipsi fatentur, & damnant, quam quæ alii posteriorum temporum nebulones involvunt, & pernegant.

Quinto, fuerunt Menandriani, & alii Simonis Magi discipuli, qui negantes veram Christi carnem, negarunt pariter Christi carnis veram, & realem præsentiam in Eucharistia; de quibus hæc asserit Bellarminus de Sacramento Eucharistiæ lib. 1. cap. 1. „ Ne „ autem glorientur Calvinistæ, sententiam suam valde antiquam esse, illud „ est observandum, antiquissimos illos „ hæreticos, non tam Sacramentum „ Eucharistiæ, quam mysterium Incar„ nationis oppugnasse. Idcirco enim „ (ut Ignatius ibidem indicat) nega„ bant Eucharistiam esse carnem Do„ mini, quia negabant, Dominum ha„ bere carnem. Quare nullus veterum, „ qui de hæresibus scripserit, hunc er„ rorem in Catalago posuit, ut patet „ ex Irenæo, Tertulliano, Philastrio, „ Epiphanio, Augustino, Theodoreto, „ Damasceno: neque ullus veterum dis„ putat contra hunc errorem primis „ sexcentis annis. „

Sexto, Eutichiani adnumerantur prædictis a quibusdam; eo quia effutiissent, carnem Christi fuisse per divinitatem absortam. Ita P. Boucat Differt. 3. de Eucharistiæ Sacramento art. 1. sect. 1.

Septimo, fuerunt quidam appellati Stercolaristæ, qui concedebant, Corpus Christi esse in Eucharistia: sed delirabant, dicentes, ibi esse corruptibile, sicuti est cibus cõmunis Contra hunc, qui floruit seculo 8. scripsit S. Joannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. Refert P. Boucat citato loco.

Octavo, Iconomachi dicuntur a pluribus, quod negaverint corporalem Christi præsentiam in Eucharistia; & hoc ex eo, quia in Conciliabulo, quod celebrarunt Constantinopoli anno 754. contra sacras Imagines, asseruerunt, quod Christus Imaginem, materiam præcipuam, idest panis substantiam, præcepit offerri. At ab hoc errore Iconomachi vindicantur a Juenino in Commentario Differt. 4. de Eucharistia quæst. 4. cap. 1. art. 1. his verbis: „ Sed illi authores im„ merito Iconomachis errorem illum „ affingunt. Fatebantur nimirum Eu„ charistiæ deberi latriæ cultum, quod „ esset Christi non falsa, sed vera ima„ go, seu quæ, non sicut pictæ imagi„ nes, humanitatem a divinitate sepa„ ratam exhiberet, sed & utramque „ complecteretur „ *Hoc enim* (inquiebant) *mercatus est, Dominus Iesus, ut sicut carnem, quam susceptit, propria secundum naturam sanctificatione, ex ipsa unitate deificavit; simpliciter & Eucharistiæ panem, non ut falsam imaginem nat uralis carnis, per Spiritus Sancti adventum sanctificandum, divinum corpus fieri voluit mediante Sacerdote, qui oblationem de communi separans ad sanctificationem pertingere facit. Itaque Christi caro secundum naturam animata, & intelligibili, juncta est Spiritu Sancto in divinitatem: similiter & divinitus tradita imago carnis ejus, divinus videlicet panis, repletus est Spiritu Sancto cum calice vitam ferentis sanguinis lateris ejus. Hæc ergo demonstrata est vera imago dispensationis, quæ in carne falsa est, scilicet Christi Dei nostri, quemadmodum supra dictum est, quam ipse nobis verus naturæ vivificator, & factor voce propria tradidit.* „ Eo ten„ dit ea Iconomachorum argumenta„ tio. Idololatriæ rei sunt, qui pictis „ Christi imaginibus latriæ cultum ex„ hibent, quod nempe falsæ sint illius „ imagines, cum Verbum divinum, cui „ soli debetur latria, in se non conti„ neant; sed illius sceleris rei non sunt, „ qui Eucharistiam adorant, quippe „ quæ non sit falsa Christi imago, sed „ vera, quæ nimirum humanitatem „ Verbo ea ratione conjunctam conti„ neat,

Digitized by Google

„ neat, qua ipsamet caro, quam assum-
„ psit, illi unita fuit. Sed (inquies)
„ cur Nicæni Concilii Patres, eam
„ Iconomachorum sententiam confu-
„ tarunt, si Eucharistiam, verum Chri-
„ sti Corpus substantialiter continere
„ crediderint? Rep. Nicænos Patres
„ non ipsam Iconomachorum de Eu-
„ charistia sententiam arguisse, sed eo-
„ rum dumtaxat loquendi modum 1.
„ Quod vix ejus seculi, ac præcedentium
„ Scriptores figuræ, aut imaginis no-
„ mine uterentur, cum de Eucharistia
„ disserebant. „ *Nullus enim aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis.*
„ 2. Cum ter, aut quater in sua Pseudo
„ Synodo Iconomachi Eucharistiam
„ dixissent imaginem Corporis Christi,
„ timuerunt Nicæni Patres, ne tunc
„ inusitatus ille loquendi modus, in
„ sensu realitatis exclusivo, ab incautis
„ aliquibus sumeretur. Confirmatur ex
„ eo quod mox laudati Patres contra
„ Iconomachos argumentati fuerint
„ ex suppositione, quod ipsimet Ico-
„ nomachi corporalem Christi in Eu-
„ charistia præsentiam crederent, sic
„ enim eos urgent. „ *Deinde demisso mendacio, tangunt pusillum quid veritatem, divinum corpus dicentes fieri: Et si imago corporis est, non potest esse hoc divinum corpus..... Id ipsum patiuntur, quod insanientes, alia scilicet pro aliis phantastice passi; aliquando quidem imaginem dicentes sancti Corporis Christi intelligibile sacrificium nostrum, aliquando vero positione corpus.*

Accedentes modo ad enumerandos Hæreticos illos, qui realem Christi præsentiam in Eucharistia, media ætate impugnarunt, sunt qui primo loco ponunt Joannem Scotum, Erigenam, qui legitur obisse anno 883. vel 884. de quo Ascelinus in epist. ad Berengarium hæc scribit: *Ioannem Scotum nec inconsiderate, nec impie, nec indigne, Sacerdotio meo hæreticum habeo, quem toto nisu, totaque intentione ad hoc solum tendere vides, ut mihi persuadeas, hoc videlicet, quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse: hoc autem astruere nititur ex sanctorum Patrum opusculis, quæ prave exponit, quorum illam S. Gregorii orationem hic annotari sufficit; Perficiant in nobis tua, Domine, Sacramenta, quod continent, ut qua nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus; Quam exponendo prædictus Ioannes inter cætera fidei nostræ contraria, specie (inquit) geruntur, non rei veritate.* Frassen art. 2. sess. 1. plures numerat Joannes Scotos, qui antiquis temporibus floruerunt, ut plane evincat, nullum ex iis fuisse subtilem illum Doctorem, qui Joannes Duns, Scotus, fuit appellatus, in Minorum ordine florens, & de Catholica Ecclesia optime meritus.

Secundo fuit Berengarius, Archidiaconus Andegavensis, qui floruit anno 1051. & quem S. Thomas hujus hæresis Architectum appellavit. Is Scoti Erigenæ venenum hausit, ac sparsit apertius, & luculentius; unde a pluribus ut primus Sacramentariorum parens traditur. Ejus error in eo consistebat, quod diceret, in Eucharistia non esse verum, ac substantiale corpus Christi, sed ejus solummodo imaginem, & figuram. Attamen quidam ejus Discipuli admiserunt præsentiam realem, sed transubstantiationem negarunt, asserentes, Christum contineri in pane latenter, & in eo impanari; quod referunt Guitmundus lib. 1. & Algerus in Prologo Librorum de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini. Berengarium multa Concilia damnarunt, & præcipue Romanum anno 1050. vel 1053.; Brionense eodem anno; Vercellense, Parisiense, Turonense anno 1055. Romanum alterum 1059. Rothomagense anno 1073. Pictavense anno 1075. duo alia Romana sub Gregor. VII. anno 1078. & 1079. ubi subscripsit formulæ fidei, quæ incipit: *Ego Berengarius &c.*

Tertio, Petrus de Bruis, qui vixit anno 1126. & a quo ejus sequaces dicti sunt Petrobusiani, concedebat, Christum in ultima cœna proprium suum corpus, & proprium sanguinem sub speciebus panis, & vini, Apostolis tradidisse; sed negabat Sacerdotes idem sanctum corpus nunc consecrare. Testatur Petrus Cluniacensis in epist. ad Archiepiscopum Ebrodunensem, scribens. *Quartum capitolum non solum veritatem corporis, & sanguinis Domini quotidie, & continue per Sacramentum*

tum in Ecclesiâ oblatum negat, sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere, decernit. Insuper contra Petrum de Bruis scripsit alius Petrus, dictus *Venerabilis*, tractatum integrum, quem dedicavit Archiepiscopis Arelatensi, & Ebrodunensi, & Episcopis Diensi, & Vapensensi.

Quarto, circa annum 1146. vixit Henricus, olim Monachus, postmodum Apostata, a quo Discipuli nominati sunt Henriciani, & ipse Petri de Bruis Discipulus fuit, ejusque hæresis Tolosanis assertor. Contra hunc Eugenius III. Legatum Apostolicum misit Albericum, Episcopum Hostiensem, qui Comitem sibi voluit S. Bernardum.

Quinto, Petrus Waldo, a quo descenderunt Waldenses, seu Pauperes de Lugduno, rigidam paupertatem profitentes, inter illos pariter adnumerantur, qui Christum in Eucharistia esse realiter præsentem, negarunt. Defenduntur a Juenino in Commentario Dissert. 4. quæst. 4. cap. 1. art. 1. Sed P. Boucat, eos damnatos asserit in pluribus Conciliis, & ejus verba sunt citato loco Dissert. 3. de Eucharistia art. 1. „ Damnati sunt Waldenses primo ab Alexandro III. Summo „ Pontifice in Concilio Turonensi; secundo, in Concilio Lumberiensi a „ Giraldo, Albigæ Episcopo, Judicibus „ ab utraque parte electis, Archiepiscopo Narbonensi, Episcopo Tolosano, „ anno 1174. habito. Quarto in Concilio Oecumenico Lateranensi tertio. „ Quinto in Concilio Senonensi anno „ 1198. celebrato: adhuc proscripti sunt „ in Concilio Lateranensi quarto ab Innocentio IV. contra eos calamum „ exercuerunt Elbertus Abbas, Ebrar„ dus de Retunia Flandrensis, libro „ cui titulus est, *Antihæresis*, Bernardus „ Abbas Pontiscalidi, & alii per multi, „ quorum opera edidit Jacobus Gretse„ rus, Societatis Jesu, memoratis au„ ctoritatibus sese adjunxit Sanctus An„ toninus. „

Sexto, fuerunt Albigenses, & Tolosani, sic dicti a locis, in quibus suos errores disseminabant, de quibus pariter P. Boucat citato loco scribit. „ *Albi„ genses* impugnavere Arnaldus, Cister„ cienſis Abbas, Petrus de Castronovo, „ & Radulphus, ejusdem Ordinis Pro„ fessores: sed inter cæteros refulsit San„ ctus Dominicus una cum sua percele„ bri familia. In nonnullis Conciliis il„ lorum hæreses eversæ, & contritæ „ sunt, sed præcipue in Avenionensi, „ Apamensi, Vaurensi, Montis Pessu„ lani. Præsertim vero in Lateranensi „ quarto, in quo fides de transubstan„ tiatione panis in Corpus Christi, & „ vini in sanguinem ita clare declara„ tur, ut nullus sit ambigendi locus de „ mente istorum Patrum circa illud „ Dogma; hæc sunt enim verba capitis „ primi: Idem ipse Sacerdos, & Sacri„ ficium Jesus Christus, cujus corpus, „ & sanguis in Sacramento Altaris sub „ speciebus panis, & vini veraciter con„ tinentur, transubstantiatis pane in „ corpus, & vino in sanguinem. „

Septimo, fuerunt Joannes Wiclefus, Anglus, & Joannes Hus, Bohemus, de quibus scribit Frassen citato loco. „ His accensendus est *Joannes Wiclefus*, „ Anglus, circa annum 1382. Nam ut „ in Concilio Constantiensi sess. 8. re„ fertur: substantiam panis, & vini in „ Sacramento Altaris permanere affir„ mavit; & accidentia panis non ma„ nere sine subjecto, sustinuit: & Chri„ stum in eodem Sacramento realiter „ adesse negavit; & Sacerdotem in pec„ cato mortali existentem non confice„ re, neque consecrare Eucharistiam, „ tradidit. Ejus errores secutus est *Jo„ annes Hus*, Bohemus, ut patet ex sess. „ 57. ejusdem Concilii, & ex procesli„ bus contra illum factis, ac per testes „ idoneos, & locupletes probatis. Ni„ hil tamen contra Eucharistiam scrip„ sit, nec illum errorem omnes ejus Di„ scipuli secuti sunt. „

Veniamus modo ad Novatores, qui realem Christi in Eucharistia præsentiam, vel aperte negarunt, vel erroribus aliis additis eam perverse, & ignoranter perverterunt. Et quidem.

Primo, Lutherus ab initio suæ prævaricationis negavit realem Christi præsentiam in Sacramento, ut asserit Gamacæus, & legitur pariter in Lutheri libro ad Waldenses. Insuper in libro de captivitate Babyloniæ asseruit Sacramenta novæ legis esse nuda signa. Tandem sæpe sæpius opinionem varians, in fine concluſit, Christum realiter esse in Sacramento, sed simul cum substantia panis, & vini; ut legitur in ejus epistola ad Arteginenses, in qua hæc scribit: *Vellem posset mihi*

ali-

Digitized by Google

aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia, præter panem, & vinum, magno illo beneficio me devinceret: jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi, & videbam me hoc modo plurimum posse Papatui incommodare: verum ego me captum vidi, nulla elabendi via relicta; textus Evangelii nimis est apertus. Igitur non esset inscribendus Lutherus inter illos, qui realem Christi præsentiam in Eucharistia negarunt, quia in fine eam confessus est; sed ponitur, quia a principio negavit; ut dictum est; & ponitur quoque, quia ejus Discipuli, nempe Carolostadius, Zuinglius, & Bucerus, illius exemplo, eam expresse inficiati sunt; ut mox dicemus.

Secundo, Andræas Carolostadius, Archidiaconus Witembergensis, anno 1525. realem Christi in Eucharistia præsentiam expresse impugnavit. Et hoc ex eo evenit, quod quum Lutherus fateretur, non posse se respondere Scripturæ locis, in quibus realis Christi præsentia in Eucharistia continebatur, ipse ab hoc onere se eximere putavit, dicens, quod continebatur tanquam in signo, vel in figura, vel in imagine; & sic Scripturæ loca interpetratus est.

Tertio, Hildericus Zuinglius in libro de vera & falsa religione, asseruit Christum in Eucharistiæ Sacramento non esse corporaliter præsentem, ac proinde Eucharistiam esse tantum signum, & Cæremoniam. Zuinglio adhæserunt Oecolampadius, Bullingerius, Ochinus, Petrus Martyr &c. & hoc fuit anno 1525.

Quarto, Martinus Bucerus, alter Romanæ fidei Apostata, Zuinglii errorem amplexus est, & eundem Argentoratensibus, apud quos erat minister, prædicavit; quanvis aliquibus adhibitis temperamentis eum moderare conatus esset: Et hoc fuit anno 1530.

Quinto, Joannes Calvinus, quum esset Buceri discipulus, ejusdem errorem amplexus fuit, sed illius temperamenta non adhibuit; expresse enim docuit, quod Eucharistia sit tantum signum realis Christi præsentiæ in illa, ut multis in locis fatetur; & præcipue lib. 4. institutionum cap. 17. §. 7. ubi ait: *Nihil restat, nisi ut in ejus mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par esse possit ..... Etsi autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum; meminerimus tamen, quantū supra sensus omnes nostros, emineat arcana Spiritus S. virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire quæ locis disjuncta sunt ..... Porro de modo* (ait §. 32.) *Si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat.* In quibus Conciliis damnata fuerit hæresis Calviniana, a quibus Scriptoribus impugnata, late scribit P. Boucat, dicens: „ *Demum* „ hæresis Calviniana anathematis telo „ primum confossa legitur in multis „ Conciliis Provincialibus Germaniæ, „ Galliæ, & Belgii, tum in Sacro Concilio Tridentino; scriptis vero eruditissimis eandem debellarunt inter cæteros Franciscus Balduinus, sui temporis Jurisconsultorum Princeps, Jacobus Cardinalis Sadoletus, Albertus Pighius, Campensis, Theologus Colonensis, Guillelmus Alanus, Anglus, Stephanus Gardinerus, Wintoniensis Episcopus, Angliæ Cancellarius, Nicolaus Sanderus, Claudius Espensis, Parisiensis Theologus, Joannes Tilius, Meldensis Episcopus, unus e Patribus Tridentinis, Andreas Vega, Ordinis Minorum Professor celeberimus. Eminentissimi Cardinales Bellarminus, & Perronius, Protestantium fulmina; Nicolaus Coeffeteavv, ex Episcopo Dardanensi Massilienſis Episcopus designatus, Cardinalis Richelius, & ætate nostra eruditissimus Dominus Bossuet, Meldensium Præsul. Ast non omittendus continuator perpetuitatis fidei de Eucharistia, Dominus Renaudotius. His præmissis sit. „

Sexto demum, adnumerantur Sociniani, de quibus Jueninus in Commentario, citato loco, hæc refert: „ Sociniani „ Lutheranam, & Calvinianam de Eucharistia doctrinam ex parte amplexi „ sunt, ex altera vero rejecerunt omnino; cum Bucero nempe, & Calvino „ docuere, Christum non esse Corporaliter in Eucharistia præsentem; unde verbum substantivum *est* metaphorice, seu pro *significat*, usuparunt: „ sed

„ sed negarunt 1. Eucharistiam esse gra-
„ tiæ sigillum, figuram efficacem, Chri-
„ stum realiter præsentem nobis ea suf-
„ fici, & alia hujusmodi, quæ maximo
„ cum apparatu Bucerus, & Calvinus
„ ipsis tribuunt; Id videre est in Voke-
„ lio Sociniano, qui sic de eorum do-
„ ctrina loquitur, *Cujus quidem opinio-*
„ *nis falsitas, vel hoc solo convincitur,*
„ *quod non solum Christi verbis nequa-*
„ *quam continetur, sed & cum sane men-*
„ *tis ratione pugnat*. Negarunt 2. pro-
„ nomen *Hoc* sumi pro pane, pugnat
„ enim cum ratione quod panis pro fi-
„ gura aut imagine corporis humani,
„ accipiatur; cum inter ipsum, & hu-
„ manum corpus nulla sit similitudo;
„ asseruerunt igitur illud pronomen
„ sumi pro tota actionum serie, quam
„ Christus, Eucharistiam instituens, &
„ egit, & præcepit; seu contenderunt
„ ipsum accipi debere pro panis fra-
„ ctione, distributione, manducatione;
„ hunc itaque verbis Evangelicis sen-
„ sum affinxerunt; Hoc (*ideſt fractio,*
„ *panis distributio, manducatio, est, seu*
„ *significat* Corpus meum, *non absolute*
„ *quidem sumptum, sed prout affigendum est*
„ *cruci*, Suam expositionem ex eo con-
„ firmant, quod Scriptura, (quam
„ unam docent esse fidei regulam) cum
„ agit de Eucharistia, non alterius finis
„ meminerit, quam commemorationis
„ mortis dominicæ, aut unionis fide-
„ lium inter se; *Hoc facite* (inquit Chri-
„ stus) *in meam commemorationem*; (seu
„ ut illi interpretantur) *eam ritum a me*
„ *institutum peragetis, præcipio, ut mor-*
„ *tem, quam passurus sum, ponatis vobis*
„ *ob oculos*, Idem (inquiunt) præcipit
„ Paulus, cum hæc ait; *Quotiescumque*
„ *enim manducabitis panem hunc, & Cá-*
„ *licem bibetis, mortem Domini annun-*
„ *tiabitis, donec veniat*.

DISSERTATIO CCCCXI.

De reali præsentia Christi in Eucharistia. Quomodo probetur ex Scripturis, & præcipue ex figuris in veteri testamento præcedentibus? Quomodo ex promissione Christi? Quomodo ex ejusdem Christi institutione?

PRobationes, quæ desumuntur ex Scripturis ad probandã realem Christi præsentiam in Eucharistia, ex triplici capite procedunt; quorũ primum continet figuras veteris testamenti, præsentiam realem Christi futuram in Altaris Sacramento designantes: secundum vero continet promissiones, a Christo Domino factas, daturum se corpus, & sanguinem realiter sub speciebus eucharisticis ad spiritualem alimoniam animarum: tertium vero complectitur verificationẽ prædictarũ figurarum, & promissionum, quas Christus per consecrationis verba demonstrative ostendit, se realiter præsentem esse in Sacramento Eucharistiæ,

Et quidem quantum ad primum caput, quod continet figuras, omnibus exploratum credimus, Judæos omnia futurorum dona, quæ ipsis per Prophetas promissa fuerant, per figuras a Deo indicata, & confirmata etiam, quodammodo accepisse. Multæ autem sunt figuræ, quæ in veteri testa-

mento

mento præcesserunt ad indicandum, & comprobandum Christi corpus, & sanguinem sub speciebus panis, & vini; quas, principaliores saltem, hoc in loco exponere, & recitare, nobis in animo est.

Prima enarratur oblatio Melchisedech, panis & vini ab eo facta, & quæ legitur Genesis 14. verbis hisce: *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit Cœlum, & terram: Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* Ad quæ Chrysostomus hom. 35. in Genes. scribit: *Et vide propter honorem in Patriarcham collatum, quomodo Sacramentum insinuatur, obtulit enim illi panem, & vinum; videns typum, cogita, oro, & veritatem.* Quod pariter docuerunt Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Arnobius in Psal. 109. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. Mystagogica, Damascenus lib. 4. cap. 14.

Secunda figura fuit in panibus propositionis, de quibus fit sermo in Exodo, & Hieronymus in caput 1. ad Titum sic loquitur: „ Tantum interest inter panes propositionis, & Corpus „ Christi, quantum inter umbram, & „ corpora, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & „ ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur. „ Pariter loquuntur Cyrillus, & Damascenus locis citatis.

Tertia figura fuit panis primitiarum, de quo legitur Levit 23. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis Segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem.* Quam ob causam Irenæus lib. 5. cap. 32. vocat Eucharistiam primitias divinorum munerum in novo testamento.

Quarta figura fuit in pane illo, quo confortatus Elias, ambulavit usque ad montem Dei, & de quo scribitur 3. Regum 19. *Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormivit. Reversusque est Angelus Domini secundo, & tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* Unde Patres, referente P. Boucat, inquiunt, quod nos divina exaginati Eucharistia, pertingimus usque ad montem Dei, in quo Deus videtur facie ad faciem, scilicet usque ad gloriam Dei.

Quinta figura est agnus paschalis, de quo hæc habentur Exodi 12. *Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis; Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hædum. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Sic docet Tertullianus lib. 4. in Marcionem, & Hesichius in caput 23. Levitici; Hieronymus in caput 26. Matthei; Chrysostomus Homilia de proditione Judæ; in primis vero Augustinus lib. 2. contra Literas Petiliani cap. 37. his verbis pag. 105. *Aliud est Pascha, quod adhuc illi (Judæi) de ove celebrant, aliud autem, quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus.* Ex quibus infert P. Bõucat: *Dubio procul, si sola adesset in Eucharistia figura, falsum foret Augustini effatum.*

Sexta figura est sanguis vitulæ, quo Sacerdos tabernaculum, & populum, aspergebat; & legitur Exodi 24. & de ea loquitur Apostolus ad Hebræos 9. scribens. *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Immo & Christus Lucæ 22. se executioni mandasse dicit: *Hic est Calix novum testamentum in sanguine meo.* Addit P. Boucat: „ Quæ verba non „ de passione, sed de Eucharistia dicuntur, cum tunc temporis tantum instituerat Sacramentum Christus Dominus, qui, sicut magnus veteris legis Sacerdos sanguine vitulæ totum „ aspergebat populum, sic etiam proprio quasi aspersit Apostolos, singulis „ eis distribuendo calicem. „

Ultima figura fuit manna: ut legitur Exodi 16. *Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? Ignorabant enim, quid esset: Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum*. Christus vero Joannes 6. explicavit. *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Subjungit autem P. Boucat: „ Quibus verbis Dominus Jesus „ præfert Eucharistiam Mannæ: quod „ dubio procul non fecisset, si Eucharistia solum esset sui Corporis, & sanguinis figura, quandoquidem manna „ erat cibus manibus Angelorum præparatus, ut habetur Psalmo 77. omnemque habebat saporem, itaut, non „ sine magno miraculo, unicuique saperet, quod erat in voto; è contra „ vero si corpus, & sanguinem ab Eucharistia detrahas, nihil ibi est præter „ panem usualem, & vinum commune. Cohærenter ad hæc scripsit Ambrosius, scripsit S. Thomas; quos idem P. Bouca refert. *Ambrosius* lib. de initiandis cap. 8. pag. 1235. istam sic explicat figuram: „ Revera mirabile „ est, quod manna Deus pluerit Patribus, & quotidiano cœli pascebantur „ alimento, unde dictum est; panem „ Angelorum manducavit homo; sed „ tamen panem illum, qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt. „ Ista autem esca, quam accipis, iste „ panis vivus, qui descendit de cœlo, „ vitæ æternæ substantiam subministrat; „ & quicumque hunc panem manducaverit, non morietur in æternum, & „ corpus est Christi. „ *S. Thomas* hic quæst. 73. art. 6. omnibus absolvit numeris istud argumentum his verbis. „ „ In hoc Sacramento tria considerare „ possumus; scilicet id, quod est Sacramentum tantum, quod est panis, & „ vinum; & id quod est res, & Sacramentum, scilicet corpus Christi verum; & id, quod est res tantum, nimirum effectus hujus Sacramenti: „ quantum igitur ad id, quod est Sacramentum tantum, potissima figura „ fuit hujus Sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum. „ Quantum autem ad ipsum Christum „ passum, qui continetur in hoc Sacramento, figuræ ejus fuerunt omnia sa„ grificia veteris testamenti; præcipue „ sacrificium expiationis, quod erat so„ lemnissimum. Quantum autem ad „ effectum, fuit præcipua ejus figura „ manna, quod habebat in se *omnis saporis suavitatem*, ut dicitur Sapientiæ „ 16. sicut & gratia hujus Sacramenti „ quantum ad omnia reficit mentem. „ Subdit vero Agnum Paschalem quantum ad hæc tria præfiguraſſe Eucharistiam: „ Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, ut habetur Exodi 12. „ Edent carnes, & azymos panes: Quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum „ Israel, quod fuit figura Passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur „ Agnus: Deniq; quantum ad effectum, „ qui per sanguinem Agni Paschalis „ protecti sunt filii Israel a devastante „ Angelo, & educti de Ægyptiaca servitute. Quod quidem præfigurabat „ liberationem a servitute Diaboli per „ Christum operandam. „

Quod autem attinet ad Promissiones, principalis est illa, quæ continetur Joannis 6. per illa verba: *panis, quem ego dabo, caro mea est*. Ipsam tamen Heterodoxi moderni in dubium ponere, vel etiam aperte inficiari, non erubescunt; siquidem Protestantes post Claudium negant eo in loco promisisse Christum, daturum se hominibus, sicut suum corpus realiter manducandum, ita & suum sanguinem vere potandum; & proinde metaphorice intelligunt quæqumque in illo capite narrantur, scilicet vel de Verbo Incarnato, vel de comestione per fidem, vel de verbo Dei, habito per concionem. Ex antiquis vero Theologis fuerunt Thomas Waldensis, & Cornelius Jansenius, Gandavensis, qui quanvis non negaverint realem Christi præsentiam in Eucharistia, putarunt tamen, ex hoc loco Joannis posse illam efficaciter probari. Proinde.

Dicimus I. ex testimonio Joannis 6. invicte probari promissionem Christi de præsentia reali corporis, & sanguinis sui, sub speciebus panis, & vini.

I. probatur ex Scripturis. Si verba Joannis intelligi debent de manducatione reali, & non de manducatione spirituali per fidem, jam habemus intentum; sed ita intelligi debent: ergo &c. Probatur minor; & quidem I. quia Christus prætulit Eucharistiam man-

Digitized by Google

mannæ; non fuisset autem præferenda, si manducatio fuisset tantum figurativa, quia manducatio mannæ erat realis, & non debebat ipsi præferri manducatio præfigurativa. Insuper, Christus dixit *caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; Sed si essent tantum figurative, non essent vere: ergo ut sint vere, non debent esse tantum figurative. Iterum, Judæi de illo Christi sermone scandalizati sunt; sed non fuissent scandalizari, si intellexissent illa Christi verba metaphorice, & per figuram: ergo intellexerunt vere, & realiter. Denique, Christus videns Judæorum, & Discipuli etiam incredulitatem, debuisset verba illa explicare, & dicere, quod verba illa dicebat in sensu metaphorico, & figurativo, non autem in sensu vero, & reali, quemadmodum in aliis similibus fecit; sed nec explicavit, nec aliud quidquam dixit: ergo signum est, quod illa verba intellexit Christus vere, & realiter, non autem metaphorice, & significative.

II. probatur ex Conciliis; & quidem hæc sunt Concilia, quæ explicant caput 6. Joannis in sensu vero, & reali, non autem metaphorico, & figurativo. Concilium Ephesinum Generale in Epist. ad Nestorium exponit verba illa: *nisi manducaveritis, & biberitis &c.* de perceptione Corporis, & Sanguinis Domini. Concilium Generale Nicænum II. action. 6. hoc ipsum præstat. Concilium Alexandrinum approbatum, hoc idem habet. Et Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. sic explicat verba illa: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Quorum verba in sequenti Dissertatione afferemus.

III. probatur ex Patribus, quos refert P. Boucat: *Sanctus Cyprianus* lib de Oratione dominica pag. 268. Celebris est interpretationis datę testis, sic enim loquitur de Christo: „ Quando ergo „ dicit in æternum vivere, si quis ederit „ de ejus pane, ut manifestum est eos „ vivere, qui corpus ejus attingunt, & „ Eucharistiam jure communicationis „ accipiunt: ita contra timendum est, „ & orandum, nedum quis abstentus „ separatur a Christi corpore procul „ remaneat a salute; comminante ipso, „ & dicente; nisi ederitis carnem filii „ hominis, & biberitis sanguinem ejus, „ non habebitis vitam in vobis; & ideo „ panem nostrum, idest, Christum dari „ nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus, & vivimus, & sanctificatione ejus, & corpore non recedamus. „ *Sanctus Hilarius* Pictaviensis lib. 8. de Trinitate, ejusdem est labii: „ De veritate carnis, & sanguinis non relictus est ambigendi locus; „ nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, vere caro est, & „ vere sanguis est.... Quod autem in „ eo per Sacramentũ communicatæ carnis, & sanguinis simus participes, ipse „ testatur dicens..... Quoniam ego „ in Patre meo, & vos in me, & ego in „ vobis: si voluntatis tantum unitatem „ intelligi vellet, cur gradum quemdam „ atque ordinem consumandæ unitatis „ exposuit? nisi ut cum ille in Patre „ per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursum in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crederetur..... Quod autem in nobis „ naturalis hæc unitas sit, & ipse ita testatus est, qui edit carnem meam, & „ bibit sanguinem meum, in me manet, „ & ego in eo. Quibus verbis Sanctus „ Doctor os loquentium iniqua obstruit, probando ex ipso Scripturæ contextu, Christum in nobis esse, non „ desiderio tantum, & voluntate, sed „ unitate quadam naturali per Sacramentum corporis, & sanguinis sui.„ Sanctus Joannes Chrysostomus hom. 45. in Joannem 47. similia prorsus dicit: „ Unum corpus sumus, & membra ex carne, & ossibus ejus.... Ut „ non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur: per „ cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos „ amorem judicare vellet, per corpus „ suum se nobis commiscuit, & in unum „ nobiscum redegit, ut corpus suum „ cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime est; hoc Job significabat „ de servis, a quibus maxime amabatur, „ qui suum amorem præseferentes, dicebant: quis daret nobis ut ejus carnibus impleremur? Quod Christus „ fecit, ut majori nos charitate astringeret; & ut suum in nos ostenderet „ desiderium; non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, „ & manducari, & dentes carni suæ infigi

„ figi, & desiderio sui omnes impleri..... Parentes sæpe numero liberos suos aliis alendos dederunt, ego autem mea carne alo, me his exhibeo, omnibus faveo, omnibus optimam de futuris spem præbeo..... Vester ego frater esse volui, & communicavi carnem, propter vos, & sanguinem &c. „ Sanctus Doctor futura Calvini, & Zuinglii commenta quasi prævidens perstrinxit suo stylo censorio, asserens fideles Christum ipsum in Eucharistia tangere, ipsius carne ali, & foveri, quæ quidem omnia cum sola figura cohærere non possunt. Ergo &c. „ Quibus adduntur Irænеus lib. 4. Origenes lib. 6. in Numeros, Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 4. Cyrillus Alexandrinus in cap. 6. Joannis. Ambrosius lib. de initiandis capit. 8. Leo Magnus homil. 6. Theodoretus lib. 4. hist. cap. 2.

Dicimus II. Institutionem Sacramenti Eucharistiæ continere præsentiam realem corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini.....

Quæ diximus usq; modo continent promissionem Christi de Eucharistia; quæ modo dicemus continent institutionem, cujus verba ita clara apparuerunt Luthero, ut non ausus fuerit post illa realem Christi præsentiam in Eucharistia denegare. At quod non fuit ausus Lutherus, pertentavit Zuinglius, dicens: verba illa institutionis esse intelligenda metaphorice, & figurative, non autem vere, & realiter; invereconde subens, quod ita sibi Angelus revelavit.

I. probatur Conclusio. Christus Dominus testatus est, se dare suum corpus, & sanguinem in Eucharistia, sicut dedit ipsum in cruce, & in morte sua; sed ipsum dedit in cruce, & in morte sua vere & realiter, non metaphorice & figurative: ergo ita pariter dedit in Eucharistia. Major continetur expresse in verbis Christi Matthei 26. Marci 14. Lucæ 22., quæ sunt: *Hoc est Corpus meum: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hic est Calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

II. probatur. Ex Apostolo dicente in I. ad Cor. cap. 12. Accipiens indigne Corpus, & sanguinem Christi, fit reus Corporis, & sanguinis Christi; sed ita non esset, si corpus, & sanguis Christi essent metaphorice, & figurative sub speciebus panis, & vini, non autem vere, & realiter: ergo &c. Minor est certa, quia de figura nec possunt intelligi Apostoli verba, nec ratio ipsa convincit. Major autem continetur in Apostoli verbis I. ad Corinth. cap. 10. vers. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne Communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quæ verba exponens S. Thomas in hoc caput lect. 4. scribit: „ Hic calix..... cui benedicimus, id„ est, quod nos fideles exaltamus cre„ dendo, & gratias agendo; vel cui be„ nedicimus, idest quem nos Sacerdo„ tes consecramus, nonne communica„ tio sanguinis Christi est, faciens nos „ unum cum ipso..... & panis, quem „ frangimus, id est, sumptio panis fra„ cti in altari, nonne participatio cor„ poris Domini est, faciens nos unum „ cum Christo, quia sub specie panis „ sumitur corpus Christi. „ Insuper Apostolus in dicta Epist. ad Corith. cap. 11. vers. 23. explicat verba institutionis Eucharistiæ, & dicit: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit; Accipite, & manducate: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*; hoc est, pro vobis crucificetur &c. deinde pergit: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Quibus P. Bucat hæc subjungit: „ Certe si Christus „ foret solum in figura, & per fidem in „ Eucharistia, impius, & hæreticus „ accipiens cœnam, non esset reus „ Corporis, & Sanguinis Domini; „ quandoquidem in sensu Calvini, qui „ caret fide, vel hujusce virtutis actum „ non elicit, nihil recipit; namque „ absente fide, Christus non est in „ cœna, inquit Heterodoxus: ergo „ &c. „

Objiciunt I. Christus Joannis 6. de tribus panibus loquutus est; primo quidem de pane materiali, quem antecedenter multiplicaverat; secundo de pane spiritali, per illa verba: *ego sum panis vitæ &c.* Tertio de pane eucha-

eucharistico, per illa verba: *Panis, quem ego dabo, caro meo est pro mundi vita &c.* Sed hic loquendi modus de tertio pane magis accedit ad secundum, qui est panis spiritualis, quam ad primum, qui est panis materialis: ergo verba illa Joannis potius significant panem spiritualem, & mysticum, quam alium quecunque. II. Sicuti Christus dixit Joannis 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: ita etiam dixit Joann. 15. *ego sum vitis vera &c.* atqui verba hæc intelliguntur mystice, & metaphorice: ergo pariter illa. III. Christus volens convincere Capharnaitas de veritate mysterii eucharistici, superaddidit verbis primis hæc alia verba, quibus prodit, verba prima esse spiritualiter intelligenda, & de Eucharistiæ fide; & hæc sunt ejus posteriora verba vers. 62. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc Discipuli ejus, dixit eis; hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam; verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* IV. Christus, quantum ad usum, comparavit Eucharistiam cum manna; sed per Apostolum Judæi manducaverunt manna, uti escam spiritalem: ergo pariter Christiani manducant Eucharistiam spiritaliter, & sola fide. V. Augustinus verba illa Joan. 6. *nisi manducaveritis &c.* explicat de manducatione spiritali; & patet hoc, quia tract. 26. in Joannem explicans verba illa, *hic est panis de cœlo descendens &c.* hæc scribit: *Credere enim in eum hoc est manducare panem vivum*: ergo &c. VI. Idem Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. dat regulam, per quam sensus literalis Scripturæ distinguitur a spirituali; & hæc est: „ Si præceptiva locutio est, aut „ flagitium, aut facinus vetans, aut „ utilitatem jubens, non est figurata. „ Si autem flagitium videtur jubere.... „ figurata est locutio. „ Deinde in exemplum affert hæc verba Joan. cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* „ Facinus, vel flagitium „ videtur jubere. Figura est ergo, præ„ cipiens passioni Domini esse communicandum; & suaviter, atque utiliter „ recondendum in memoria, quod pro „ nobis caro ejus crucifixa, & vulnera„ ta sit, „

Respondemus ad I. quod Christus, quantum ad aliqua eodem modo loquitur de secundo, ac de tertio pane, non vero quantum ad omnia; quæ distincte expendens P. Boucat, hæc subdit.„ „ Tria potissimum in illo pane subno„ tanda sunt, & nusquam omittenda; „ videlicet principium, seu causa illius „ panis; deinde vero ejus natura; tertio „ loco effectus simul, & digna præpa„ ratio ad illum sumendum. Originem „ habet è Cœlo; effectus est dare vitam „ æternam; os, quo sumitur, fides est, „ & simul os corporale. Denique ejus „ natura in eo sistit, quod præcontineat „ corpus, & sanguinem Domini. Porro „ uterque panis cœlestis est, sic & utius„ que effectus vita æterna; uterque „ etiam sumitur ore fidei, sed insuper „ eucharisticus, *præmitur dentibus*, in„ quit Augustinus. Denique natura prio„ ris est ipse Christus incarnatus, ut fi„ dei nostræ objectum; posterioris vero „ est idem Christus in Eucharistia reali„ ter contentus. „

Ad II. Negatur paritas; & ratio disparitatis est, quia Christus dixit se esse vitem, non per proprietatem, sed per similitudinem; dixit vero suam carnem esse cibum per proprietatem; quod non semel, sed pluries confirmavit: Hoc autem non fecit de vite; immo de vite dixit, Patrem suum esse agricolam, quod magis similitudinem confirmat & negat proprietatem.

Ad III. Dicitur, quod Eucharistia non tantum ore fidei sumenda est, sed ore fidei simul, & reali; adeoque caro secundum se sumpta non prodest quicquam, caro vero ut Verbo unita, prodest. Proinde Augustinus tract. in Joan. explicans hæc verba, *caro non prodest quidquam*, & loquens de Capharnaitis, scribit: „ Sed quomodo „ illi intellexerunt? Carnem quippe „ ita intellexerunt, quomodo in Cada„ vere dilaniatur, aut in macello vendi„ tur, non quomodo spiritu vegetatur.... „ Accedat spiritus ad carnem..... & „ prodest plurimum: nam si caro non „ prodest, Verbum caro non fieret.... „ Sicuti illi intellexerunt carnem, non „ sic ego do ad manducandum carnem „ meam. „

Ad

Ad IV. Comparatio Christi fuit quantum ad aliquid, non quantum ad omnia: unde S. Cyrillus dixit, Judæos manducasse manna ore tantum, Christianos vero manducare corpus Christi ore & spiritu, sed non in specie sensibili, bene vero sacramentali.

Ad V. Augustinus sumit verba illa mystice, sed non excludendo sensum literalem; quod non est mirum, quia multa sunt Scripturæ loca, quæ mystice pariter, & literaliter intelliguntur. Denique Augustinus in eo totus est, ut velit, non sufficere ad gratiam consequendam ore manducare corpus Christi, nisi & corde manducetur, ideſt cum fide, & charitate; unde explicans verba illa: *Si quis ex ipso manducaverit, non morietur*: Subdit: „ „ Sed quod pertinet ad virtutem Sacra- „ menti, non quod pertinet ad visibile „ Sacramentum. Qui manducat intus, „ non foris; qui manducat in corde, „ non qui premit dente. „ Paulo ante loquutus fuerat de illa muliere, quæ Christum tetigerat: „ Quid est, teti- „ git, nisi quia credidit?

Ad VI. Latissime respondet P. Boucat, cujus verba opus est transcribere, & singula pariter, ac omnia recitare: „ „ Ut ista gravissima difficultas solvatur, „ observandum primo, figuram non „ excludere semper præsentiam rei, sed „ quandoque ab illa abstrahere, quan- „ doque etiam veritatem, & realitatem „ continere; sic Filius Dei Hebr. 1. di- „ citur *Figura substantiæ paternæ*: item „ *imago Dei*, ut in Epist. ad Philippenses; sic idem Augustinus lib. 8. de doctrina Christiana cap. 1. „ Unctionem pe- „ dum Christi dicit a Magdalena factam, „ quæ vulgo ab hominibus non levius „ putabatur fuisse signum amoris Mag- „ dalenæ erga Salvatorem. Jam vero „ illa figura non excludit veritatem „ amoris: Sic pariter Apostolus dicit „ Abraham habuisse duos filios, unum „ de libera, alterum de Ancilla, quæ per „ allegoriam dicta sunt; veritas tamen „ est, quod Abraham habuerit duos fi- „ lios: figura vero, quod illi prefigura- „ verint duo testamenta, novum scili- „ cet & verus. *Secundo* observandum „ venit, duplex esse figuræ genus, aliud „ scilicet verborum, aliud vero senten- „ tiarum; figura verborum est, cum si- „ gnificatio propria vocum transfertur „ ad aliquid significandum; ut cum di- „ citur, *prata rident*, & hæc figura est „ ex omni parte metaphorica. Figura „ vero sententiarum esse intelligitur, „ cum verba propriam significationem „ retinentia, aliud ulterius designant, „ ut in exemplo Abraham allato, quip- „ pe qui vere duos filios habuerit. His „ prælibatis, respondeo primo, regulam „ illam non esse universaliter tenendam, „ si absque restrictione sumatur; quod „ multis exemplis ostendit Cardinalis „ Perronius, quæ licet facinus jubere „ videantur, sunt tamen litteraliter su- „ menda; primum exemplum est immo- „ latio Isaac: secundum spoliatio Ægy- „ ptiorum: tertium destructio Amale- „ citarum. *Respondeo* secundo distin- „ guendo: Manducare carnem Filii ho- „ minis est flagitium in sensu Capharnaitarum, concedo; in sensu Christi, „ & Ecclesiæ, nego: Quisnam sit Ca- „ pharnaitarũ sensus, supra ostensum est „ vel ipso Augustino interprete; flagi- „ tium est ergo in sensu illorum: Sancti „ Doctoris verba sic explicat Guitmun- „ dus, Episcopus Aversanus, lib. de veri- „ tate Eucharistiæ contra Berengarium. „ *Respondeo* tertio, distinguendo; in Eu- „ charistia videtur flagitium, si caro „ manducanda, & discerpenda sit, ut „ caro, quæ in macello venditur, quo- „ modo intelligebant Capharnaitæ, con- „ cedo: manducando modo sacramen- „ tali, qui fit divisione, & absorptione „ specierum, intactis manentibus, & „ corpore, & sanguine Domini, nego. „ Augustinus est sui ipsius interpres, „ quippe qui eo loci doceat esse tan- „ tummodo flagitium dilacerare car- „ nem Christi, qualiter in cruce fuit „ discerpta; quo etiam ait: *Nisi man- „ ducaveritis carnem Filii hominis, & „ sanguinem biberitis, non habebitis vi- „ tam in vobis*. Facinus, vel flagitium „ videtur jubere. Figura est ergo, præ- „ cipiens passioni Domini esse commu- „ nicandum, & suaviter, atque utiliter „ recondendum in memoria, quod pro „ nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata „ sit. Igitur ex Augustino illa caro eu- „ charistica ore simul, & fide manduca- „ canda est. Eodem prope modo loqui- „ tur S. Doctor in Psal. 98. pag. 452. „ tom. 8. ubi Christum Capharnaitas „ alloquentem sic inducit: spiritualiter „ intelligite quod loquutus sum: non „ hoc corpus, quod videtis, manduca- „ turi estis, & bibituri illum sanguinem, „ quem

Digitized by Google

„ quem fusuri sunt, qui me crucifigent; „ Sacramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum „ vivificabit vos. Sed quomodo Sacramentum ex mente Augustini, nisi quia „ caro Christi in Eucharistia non manducatur, ut cibus usualis, verum partim ore, parte etiam fide; alias non „ prodest quidquam, sed potius nocet, „ scilicet impiis: hinc idem Augustinus „ exponens illa verba, *Hic est ergo panis, qui de Cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur*: „ ait: Sed quod pertinet ad virtutem „ Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum; qui manducat „ intus, non qui manducat foris; qui „ manducat in corde, non qui manducat dente. „

DISSERTATIO CCCCXII.

De præsentia reali Christi in Eucharistia. Quomodo probetur ex Traditione? Quomodo ex Præscriptione? Quomodo ex Scriptorum consensu.

IN Res vias in Dissertatione ingredimur ad probandum realem Christi prçsentiã in Eucharistia; quę quanvis una & eadem appareant, diversæ tamen nobis probantur, prout hic eas antecedenter exponimus, & pariter referimus Novatores, qui in iisdem tribus viis nobis se opponunt, & nos eos debellare debemus. Prima via est Traditionis, quæ continet antiquam, publicam, & constantem veritatis professionem; insuper & impossibilem mutationem, quam in hujus mysterii fide Novatores fabulantur inductam 8. & 9. seculo. Secunda via est Præscriptionis, de qua Tertullianus lib. de præscriptionibus cap. 31. ait: *Ex ipso enim ordine manifestatur, illud esse dominicum, & verum, quod sit prius traditum: illud autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum*: & hæc continet novitatem oppositi; si enim probatur, quod oppositus error fuit posterioribus temporibus inductus, jam probatum remanet, fidei veritatem fuisse in antiqua possessione Eccclesiæ, & errorem oppositum in moderna professione novitatis. Igitur hæc est differentia inter Traditionem & Præscriptionem; quod traditio respicit, & continet antiquitatem, præscriptio autem perpetuitatem; quod traditio excludat errorem oppositum, præscriptio vero inducat recentem illius nativitatem; quod traditio comprehendat universalitatẽ illorum, qui etiam sequuti sunt, præscriptio vero supponat hanc eandem universalitatem, ac patiter ostendat unum, aut alterum, qui errorem oppositum induxerunt. Tertia via nascitur ex duabus prædictis, quatenus consistens in Scriptorum consensu, ex hoc eodem consensu probandam se offert traditio simul, ac præscriptio. Ut autem deveniamus ad numerandum Novatores, qui scripserunt contra id, quod a nobis in hac Dissertaione probandum est.

Primo, ponimus Bondellum, qui vult, Anastasium Sinaitam posuisse prima fundamenta nostræ catholicæ veritatis circa annum Christi 636. & deinde Epiphanium Diaconum 8. Seculo in Concilio Generali Nicæno act. 6. eadem confirmasse.

Secundo, ponitur Claudius, qui fuit

Digitized by Google

pſendo-miniſter apud Carentonenſes, & voluit primum authorem dogmatis præſentiæ realis fuiſſe Paſchaſiũ Radbertum, Abbatem Monaſterii Corbajenſis, in lib. quem ſcripſit circa annum 831 de corpore, & ſanguine Domini, & ab eo, ſcilicet a Paſchaſio, eundem errorem Berengarium didiciſſe,

Tertio, alii Calviniani ponunt, Amalarium, Hetibaldum, Epiſcopum Antiſiodorenſem, Rabanum, Archiepiſcopum Mogontinum, Bertramnnum, Monachum Corbajenſem, alioſque, eundem errorem ſcripſiſſe, ac docuiſſe, Verum contra hos omnes.

Dicimus I. præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia probari ex Traditione,

I. probatur Concluſio. Si realis præſentia Chriſti ſub ſpeciebus euchariſticis fuit a primis Eccleſiæ ſeculis cognita, & credita, eam opus eſt, ut habeamus traditione firmatam; ſed ſic fuit ſeculo illo, quo vivebant, & ſcribebant primi Apoſtolorum Diſcipuli: ergo fuit traditione firmata. Probatur minor authoritate Ignatii Martyris, Juſtini Martyris, ac S. Irenæi, qui circa Apoſtolorum tempora floruerunt, Et quidem Ignatius in Epiſt. ad Philadelphienſes dicit, panem eſſe Domini Jeſu carnem ſub his verbis: „ Rogo vos, „ ut inſtetis uni fidei, uni prædicationi, „ una Euchariſtia utentes: una eſt caro „ Domini Jeſu, & unus ejus ſanguis, qui „ pro nobis effuſus eſt: unus etiam panis „ pro omnibus confractus, & unus calix „ totius Eccleſiæ.„ Inſuper idem Ignatius in epiſt. ad Epheſios vocat Euchariſtiam immortalitatis pharmacum, per hæc verba, *Unum panem frangentes, quod eſt pharmacum immortalitatis, antitodum ad non moriendum, ſed vivendum in Jeſu Chriſto ſemper*: eſſe autem pharmacum immortalitatis nequit figuræ convenire. Denique idem Ignatius impugnat Hæreticos, qui non admittebant veram Chriſti carnem in Euchariſtia, eo quia non admittebant veram carnem in Chriſto ipſo; & ſic ait in Epiſt. ad Smyrnenſes, quam citat Theodoretus dialog. 3, „ Euchariſtias, & oblationes non admittunt, „ quod non confiteantur Euchariſtiam „ carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu „ Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quamque Pater benignitate ſua „ excitavit: „ Si ergo vult, carnem Chriſti eſſe veram in Chriſto, ex hoc pariter deducit carnem Chriſti eſſe veram in Euchariſtia. Eodem prorſus modo ſe gerit Juſtinus Martyr, qui in apolog. 2. explicat Euchariſtiæ confeſſionem, ejuſque diſtributionem ab enumeratione partium, & eam vocat Corpus Chriſti. Inſuper Euchariſtiam dicit, non eſſe panem communem: &. tandem loquitur de eadem tamquam de magno myſterio, omnibus indiſcriminatim non revelando. Pro primo citantur ejus verba in apolog. 2. Antonino Pio Imperatori oblata, quæ potius dicenda eſt prima: „ Ei, qui „ fratribus præeſt, offert panem, & po- „ culum aquæ, & vini, quibus acceptis „ laudem, & gloriam rerum univerſa- „ rum Patri, per nomen Filii, & Spiri- „ tus Sancti, offert Euchariſtiam, ſive „ gratiarum actionem, pro eo, quod „ nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, pro- „ lixe exequitur, ... Diaconi, atque „ Miniſtri diſtribuunt unicuique præſen- „ tium, ut participet eum, in quo gra- „ tiæ actæ ſunt, panem, vinum, & „ aquam, & ad abſentes perferant. Por- „ ro alimentum hoc apud nos appella- „ tur Euchariſtia, quod nulli alii parti- „ cipare licitum eſt. „ Pro ſecundo in „ eodem loco: „ Non enim, ut com- „ munem panem, *ſcilicet Euchariſtiam*, „ neque communem potum ſumimus; „ ſed quemadmodum per verbum Dei „ Incarnatus Jeſus Chriſtus Salvator no- „ ſter, & carnem, & ſanguinem pro ſa- „ lute noſtra habuit: ſic etiam per pre- „ ces Verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam „ factum cibum, ex quo ſanguis, & car- „ nes noſtræ per mutationem aluntur, „ illius Incarnati Jeſu, & carnem, & „ ſanguinem eſſe edocti ſumus. „ Sic vertit ex Græco Bellarminus lib. 2. de Euch. 4. pag. 553. ſubjicitque: „ Hæc „ ad verbum ex Græco interpretatus „ ſum; quia queri ſolent Hæretici ſæpe- „ numero de interpretatione Catholi- „ corum. Solum ambigi poſſet de illa „ voce *Euchariſtiam* factum; nam Græca „ vox, ſignificare poteſt, ſuper quem „ gratiæ actæ ſunt, vel barbaro voca- „ bulo, euchariſtizatum, vel ut nos red- „ dimus, euchariſtiam factum, ſed non „ refert quidquam hoc ad rem propoſi- „ tam. „ Pro tertia tandem idem Juſtinus dicit: „ Quod nulli alii parti- „ cipare licitum eſt. „ Hæc autem omnia non dixiſſet Juſtinus, ſi tunc temporis

Digitized by Google

poris in Ecclesia pro comperto fuisset credentibus in Eucharistia solam figuram, & imaginem Christi contineri, absque realitate corporis, & sanguinis ejusdem. Iræneus tandem asserit, Eucharistiam non esse panem communem, sed panem miraculosum, ex terrena, & cœlesti substantia conflatum: & hoc ait lib. 4. advers. hæres. cap. 34. „ Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Christi, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia. „ Insuper ibidem asserit, Hæreticos male asserere nos venire in corruptionem, quia alimur ex corpore & sanguine Domini, in quibus continetur semen æternæ vitæ; & hæc sunt ejus verba: „ Quomodo autem rursus dicunt, carnem nostram in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini & sanguine alitur. „ Denique lib. 5. cap. 2. apertissime illos impugnat, qui negabant nos nutriri corpore Christi per Eucharistiam, sub his verbis: „ Quoniam membra ejus sumus, & per creaturam nutrimur; creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult; cum calicem, qui est creatura, suum sanguinem, qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem, & cum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. „ Certe quod talia non scripsisset, si Ecclesiæ fides tunc fuisset, sub Eucharistia non esse corpus & sanguinem, sed figuras tantum, & imagines Christi.

Opponunt I. Gentiles vocabant Deos simulacra Deorum; ergo pariter Justinus vocabat corpus Christi imaginem Christi. II. Justinus negat, panem eucharisticum converti in nostram substantiam: ergo habebat illum ut purum panem. III. Irenæus etsi affirmet panem eucharisticum esse proprium Christi corpus, non tamen per hoc evincitur esse verum, & reale Christi corpus; quia Patres dicunt pariter Ecclesiam esse propriam Christi sponsam, & tamen non est vera Christi sponsa. IV. Ignatius Martyr distinguit carnem a pane, & sanguinem a calice: ergo per ipsum non sunt idem panis & corpus, calix & sanguis. V. Idem Ignatius dicit, panem eucharisticum frangi; sed corpus Christi non frangitur; ergo &c. VI. Idem Ignatius intendit probare carnem Christi non esse phantasticam, sed non intendit probare Eucharistiã non esse tantum figuram; ut ex ejus verbis apertissime constat.

Respondemus ad I. Quod Gentiles ideo habebant ut numina Deorum suorum statuas, quia credebant Deos suos in statuis latere, & per eas oracula dare. Unde argumentum est potius pro nobis, quam contra nos.

Ad II. Reponit P. Boucat per hæc verba: „ Quando S. Martyr in eadem Apologia asserit, vel ipsa nostra corpora nutriri, seu mutari per Eucharistiæ sumptionem, hoc duplici modo intelligitur: primo quidem corporaliter per species, quæ vim nutrienti retinent, quæque in substantiam aliti secundum id, quod sensibile habent, transeunt. Secundo de mutatione spirituali, quatenus Eucharistia, teste D. Thoma, futuræ gloriæ, quam corpus habebit, ut pignus datur; recte enim ex Græco verba sic reddi possunt: *Ex quo, cibo, sanguis & carnes nostræ per mutationem alun-tur.* „

Ad III. dicitur, ex antecedentibus constare tum ex mente Irenæi, tum ex mente aliorum Patrum, idem esse vocare Christi corpus proprium, ac reale & verum.

Ad IV. dicitur, Ignatium Martyrem facere illam distinctionem, quoad modum existendi, scilicet prout existit corpus Christi sacramentale, & prout existit corpus extensum in ordine ad locum.

Ad V. Ignatius ait, corpus eucharisticum frangi ratione specierum, non ratione sui.

Ad VI. Idem P. Boucat dicit, quod Ignatius Martyr filet figuram debellando Hæreticos, quia tunc cum hæreticis non erat de figura controversia; sed non per hoc fit, quod Ignatius concesserit in Eucharistia esse meram Christi figuram. Immo potius ipse suã mentem aperit, quando illos increpat; qui rejiciebant oblationes eucharisticas; & ideo increpat, quia in ipsis oblationibus eucharisticis veram

ram Christi carnem non agnoscebant.

Dicimus II. Præsentiam realem Christi in Eucharistia probari ex Præscriptione.

I. Probatur Conclusio. Præscriptio stat pro illa parte, quæ non incepit aliquo medio tempore ad occupandum locum in mentibus hominum, & in Ecclesiæ fide, sed quæ initium habuit a tempore, a quo præscriptio denominatur, & sumitur; sed sic est illa, quæ facit pro præsertia reali Christi in Eucharistia: ergo &c. Probatur minor. Si non faceret, ideo esset, quia medio tempore fides illa incepisset, atque adeo præscriptionis nomen, & rationem non mereretur; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Volunt Heterodoxi, quod fides præsentiæ realis Christi in Eucharistia inceperit 9. Seculo in Ecclesia Latina; hoc autem est falsum; tum quia incredibile sane est, quod Paschasius Monachus, a quo volunt incepisse, impleverit totum mundum hac fide, & quidem per parvulum libellum, & agens de mysterio, quod est captu difficillimum, & sensibus pariter est oppositum: tum quia Ecclesia tunc temporis hoc novum dogma non damnavit, & nemo ex Catholicis Scriptoribus Paschasium debellavit; nullos enim habemus libros contra novum Paschasii inventum pro realitate præsentiæ corporis Christi in Eucharistia conscriptos.

II. probatur. Si 9. seculo, vel altero seculo antecedenti, invecta fuisset in Ecclesiam fides præsentiæ realis Christi, deberemus habere documenta, & doctrinæ novæ, quæ tunc inceperit, & doctrinæ veteris, quæ tunc desierit; sed nullum ex iis documentum habemus, immo potius contrarium pro perpetuitate probatur, eandem fidem semper in Ecclesia viguisse præsentiæ realis Christi in Eucharistia; ergo pro hac stat præscriptio; & hoc quidem adeo est certum, quod Novatores adversarii nullum ex his documentum contra nostram doctrinam ac fidem adducunt, & pro ipsorum errore propalant.

III. probatur. Si ante Scriptores illos, quos Herterodoxi opponunt, non fuisset fides universalis in Ecclesia præsentiæ realis Christi in Eucharistia, & tantum fuisset a Paschasio, vel ab altero, de novo inventa, & inducta, incredibile sane esset, quod populus Christianus Paschasii, vel alterius, verbis fidem adhibuerit, absque tumultu, absque dissidio, & sine sanguinis effusione; sed coguntur Adversari hoc ipsum, quod incredibile videtur, admittere: ergo &c. Probatur major ex paritate Calvinianorum, qui non potuerunt contrarium sine ingenti strage prædicare, & disseminare in regionibus illis, in quibus sua Paradoxa spargebat.

Opponunt I. Si ante Paschasium credebatur in Ecclesia, esse tantum imaginem Christi in Eucharistia, & non verum atque reale suum corpus, tunc bene diceretur a Paschasio, vel ab altero, initium habuisse doctrinam realitatis præsentiæ Christi in Sacramento: sed ita fuit: ergo &c. Probatur minor. Tertullianus asserit, Christum esse in Eucharistia solum repræsentative; ejus verba sunt lib. 1. contra Marcionem cap. 14. „ Sed ille „ usque nunc nec aquam reprobavit „ Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, „ quo suos ungit, nec mellis, & lactis „ societatem, qua suos infantat, nec „ panem, quo ipsum corpus suum re„ præsentat. „ II. Origenes in Commentario ad caput 15. Matthei asserit, panem eucharisticum retinere suum esse naturale, scilicet a sua propria substantia non discedere, & in secessum mitti, per hæc verba: *Cibus ipse per verbum Dei, & orationem consecratus, secundum illud quidem ipsum, quo materia constat, in ventrem abit, & in secessum ejicitur; secundum orationem autem, quæ illi accessit, juxta proportionem fidei, utilis est.* III. Paschasius in Epist. ad Frudegardum fatetur, suæ doctrinæ adversarios habuisse, qui ad intelligentiam mysterii a se commoti, & excitati fuerunt: ergo Paschasii doctrina, quæ continebat realem Christi præsentiam in Eucharistia, fuit nova. IV. Ratramnus in suo libro de corpore, & sanguine Domini num. 22. fatetur, Christum convertisse in proprium suum corpus & sanguinem aquam de petra fluentem, & manna, sicut in nova lege convertit panem, & vinum; adeoque Judæos veteres vere, & realiter manducasse carnem Christi, etsi nondum natam, & bibisse sanguinem, etsi non dum effu-

Digitized by Google

fusum ; atqui hoc intelligendum est de manducatione, & bibitione metaphorica, & similitudinaria, non autem vera & reali : ergo &c. Ratramnus autem scribebat contra Paschasium : ergo si Ratramnus stabat pro metaphorica conversione, & Paschasius stabat pro reali, dicendum est, quod Paschasius novam doctrinam de præsentia reali defendebat, & Ratramnus antiquam de metaphorica.

Respondemus ad I. Cum P. Boucat, negando minorem, ad cujus qrobationem hæc habet : „ Corpus Christi „ repræsentatur in Eucharistia repræ„ sentatione practica, concedo : vacua „ & inerti, nego. Duplex est secer„ nenda repræsentatio, una practica, „ speculativa altera, prior ipsam rem „ exhibet in ipso Tertulliani sensu, qui „ lib. 4. adversus Marcionem circa me„ dium ait de Patre æterno: Itaque jam „ repræsentans eum „ *hic est filius meus* „ *&c.* „ Posterior est pura rei imago, „ ut videre est in tabella. Tertullianus „ eo loco loquitur de prima repræsen„ tatione ; ne mireris autem si dicat „ corpus Christi repræsentari in pane : „ cum enim Marcion, quem debellat, „ contenderet creaturas sensibiles a „ bono Deo non promanare, argumen„ tando ad hominem, mentionem fa„ cit de Sacramentorum Symbolis, quæ „ vel ipsi Marcionistæ ut bona habe„ bant. Igitur de pane, ut de symbolo, „ sub quo realiter continerur corpus „ Christi, mentionem facit. „

Ad II. Sic respondet Tournely : „ Pa„ nis sanctificatus retinet suum esse na„ turale, idest species visibiles, seu ac„ cidentia, quæ in hoc Sacramento ha„ bent rationem materialis, & quæ cor„ rupta a stomacho, & in novam con„ versa substantiam, vel in secessum „ abeuut, vel humani corporis formã „ induunt, concedo : retinet suum esse „ naturale, idest propriam substantiam, „ seu formam panis, quasi non mutetur „ in substantiam corporis Christi, nego: „ species igitur visibiles, ut observat „ Bellarminus, habent rationem mate„ rialis, non quidem respectu formæ „ naturalis, sed respectu sanctificationis „ & significationis; & præterea ex acci„ dentibus eucharisticis præcipuum est „ quantitas, quæ ad materiam potius, „ quam ad formam pertinet. „

Ad III. dicitur, quod nonnulli obscuri nominis homines adversati sunt Paschasio, & quidem in obscuro, non autem in aperto; quod ipse Paschasius fatetur, exponendo illud Matthei, *Cæuantibus illis &c.* ubi habet : „ „ Quidam loquacissimi, magis quam „ docti, dum hæc credere refugiunt, „ quæcumque possunt ne credant quæ „ veritas repromittit, opponunt & di„ cunt nullum corpus esse, quod non „ sit palpabile, & visibile ..... Ecce „ quam bene disputant contra fidem „ sine fide. „ Illi vero, quos dixit Paschasius fuisse commotos, & excitatos, fuerunt quidem, sed ad pleniorem mysterii explicationem, ac notitiam, & quantum ad aliqua præsentiæ realis consectaria, quæ ad substantiam dogmatis non pertinent, non vero quantum ad substantiam ipsam præsentiæ realis ; ut ait Boucat.

Ad IV. dicitur, quod certissime si Ratramnus fuit in ea tam singulari opinione, ut asserit obiectio, confirmat sententiam suam de præsentia reali Christi in Eucharistia, & de conversione panis & vini in corpus, & sanguinem Christi; unde non possunt ejus verba a Calvinianis merito nobis opponi. Ut enim ait Tournely : „ Si in „ veteri Lege suum proprium ac natu„ rale corpus Judæis dedit ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, „ facta conversipne mannæ in corpus, „ & aquæ de petra fluentis in sangui„ nem suum ; quanto magis istud in no„ va Lege perfeciste dicendum est? „

Pro III. tandem Dissertationis parte, ab ea nos expediemus, si induxerimus semel Scriptores, vel Patres in eo consentientes, ut omnes, & singuli asserant, Christum vere & realiter sub speciebus eucharisticis esse præsentem. Hoc autem quum præstiterimus de Ignatio, de Justino, & de Irenæo, convenit ut hoc ipsum prosequamur de aliis Scriptoribus, & Patribus Græcis, & deinde de Latinis, usque ad 8: seculum, in quo Novatores fidem realitatis præsentiæ Christi in Eucharistia comminiscuntur.

Dicimus III. realitatem præsentiæ Christi in Eucharistia ex consensu Scriptorum, & Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, probari.

I. probatur ex Scriptoribus, & Patribus Græcis. Origenes hom. 13. in Exod. admonet illos, qui suscipiunt cor-

Digitized by Google

corpus Domini, ut reverenter illud suscipiant, & ne aliquid decidat in terram, per hæc verba: „ Volo vos „ admonere religionis vestræ exemplis: „ nostis qui divinis mysteriis interesse „ consuestis, quomodo cum suscipitis „ corpus Domini, cum omni cautela „ & veneratione servatis, ne ex eo pa- „ rum quid decidat; reos enim vos cre- „ ditis, & recte creditis. „ Eusebius Cæsarienſis asseruit, panem fieri Christi corpus, vinum vero ejus sanguinē; quod est clare agnoscere realem Christi præsentiam in Eucharistia. Eusebii verba refert Damascenus lib. 3. Parell. cap. 5. „ Multi peccatores cum „ Presbyteri sunt, sacris operantur, nec „ Deus eos aversatur; verum per Spi- „ ritum Sanctum proposita dona con- „ secrant. At panis quidem pretiosum „ Domini corpus efficitur, poculum „ autem prætiosus Domini sanguis. „ Cyrillus Jerosolymitanus apud Bellarminum lib. 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 13. in Cateches. 4. Mystagogica docet: neminē posse dogma præsentiæ realis Christi in Eucharistia in dubium revocare, sub his verbis: „ Cum Christus ipse sic affirmet, atque „ dicat de pane: Hoc est corpus meum: „ quis deinceps audeat dubitare? Ac „ eodem quoque confirmante, & di- „ cente: Hic est sanguis meus, quis in- „ quam, dubitet, & dicat, non esse „ illius sanguinem? „ Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Joannem cap. 13. docet, Christum non esse in Eucharistia præsentem sola fide, & charitate, sed corpotaliter, per hæc verba: „ „ Non negamus recta nos fide, chari- „ tateque sincera, Christo spiritualiter „ conjungi, sed nullam nobis conjun- „ ctionis rationem cum illo esse, id „ profecto pernegamus; idque a divinis „ Scripturis omnino alienum esse dici- „ mus.... An fortassis putas ignotam „ nobis mysticæ benedictionis virtutem „ esse? Quæ cum in nobis sit, nonne „ corporaliterque facit communicatio- „ ne carnis Christi, Christum in nobis „ habitare? „ Theodoretus, Episcopus Tyri in Syria, docuit corpus Christi esse in Eucharistia, & qui illud indigne sumit, esse reum corporis, & sanguinis Christi, sub hæc verba: in Commentario ad cap. 11. epist. 1. ad Corinthios: „ Non solum undecim „ Apostolis, sed etiam Judæ proditori „ pretiosum corpus, & sanguinem im- „ pertiit..... Illud autem, *erit reus* „ *corporis & sanguinis*: hoc significat, „ quod quemadmodum tradidit ipsum „ Judas, ipsi autem insultarunt, & eum „ probris, & convitiis affecerunt Judæi; „ ita eum ignominia, & dedecore affi- „ ciunt, qui sanctissimum ejus corpus „ immundis manibus accipiunt, & im- „ pollutum, & incestum os immittunt.„ II. probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de resurrectione carnis.„ „ Caro corpore & sanguine Christi ve- „ scitur, ut anima de Deo saginetur.„ Cyprianus lib. 2. Epist. ad Cæcilium:„ „ Videmus in aqua populum intelligi, „ in vino vero ostendi sanguinem Chri- „ sti. „ Opitatus Milevitanus lib. 4. contra Parmenianum. „ Quid est „ altare, nisi sedes corporis & sangui- „ nis Christi? „ Leo Magnus in sua Epist. ad Clerum, & plebem Constantinopolitanam: „ In quo hacte- „ nus desidiæ corpora jacuere, ut nec „ auditu discerent, vel lectione cogno- „ scerent, quod in Ecclesia Dei in om- „ nium ore tam consonum est, ut nec „ ab infantium linguis veritas corporis, „ & sanguinis Christi inter communio- „ nis Sacramenta tegetur? Quia in illa „ mystica distributione spiritalis alimo- „ niæ hoc impertitur, hoc sumitur: ut „ accipientes virtutem cælestis cibi, in „ carnem ipsius, qui caro nostra factus „ est, transeamus. „ S. Gregorius Magnus hom. 22. in Evangelium: „ Quid „ sit sanguis Agni, non tam hauriendo, „ sed bibendo didicistis, „

Obstant I. Ex Origene Christus sic sumitur in Eucharistia, sicut sumitur in concione; sed in concione sumitur mystice: ergo pariter in Eucharistia. Pro majori propositione afferuntur ejus verba ex hom. 16. in Numeros:„ „ Bibere dicimus sanguinem Christi, „ non solum Sacramentorum ritu, sed „ etiam cum sermones ejus recipimus. II. Eusebius lib. 3. de Ecclesiastica Theologia contra Marcellum Ancyranum cap. 12. explicat verba Christi Joann. 6. *Spiritus est, qui vivificat*; & dicit, quod Christus docuerit spiritualiter intelligi debere, quæ dixerat de corpore, & sanguine suo. III. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. scribit: „ Gustantes autem non „ panem, aut vinum, ut gustare juben- „ tur, sed antitypum corporis, & sangui-

Digitized by Google

„ guinis Chriſti; „ Et deinde ſubjungit: „ Sub typo panis datur tibi cor-
„ pus, & ſub typo vini datur tibi ſan-
„ guis. „ IV. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. comparat Euchariſtiam Eulogiæ; ſed Eulogia eſt corpus Chriſti figurative: ergo pariter Euchariſtia. V. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. docet: Chriſtum repræſentare corpus ſuum in Euchariſtia: ergo eſt tantum in Euchariſtiæ repræſentative & figurative. IV. Cyprianus ſerm. de cœna Domini docet, quod Chriſtus corpus ſuum in Euchariſtia præſtat, ſanctificat, & benedicit, ac pie ſuſcipientibus dividit; quæ verba intelligi non poſſunt, niſi myſtice, & figurative.

Reſpondemus ad I. Quod Origenes diſtinguit duplicem Euchariſtiæ ſumptionem; unam, quæ fit Sacramentorum ritu; alteram, quæ fit, quando ſermones ejus recipiuntur. In priore datur realiter corpus Chriſti, in poſteriore autem mere ſpiritualiter.

Ad II. dicitur, quod Euſebius excludit manducationem illam, qua corpus teritur, & dividitur dentibus, palato guſtatur, in ſtomachum vadit; quo quidem ſenſu Capharnaitæ intelligebant: ſed non negat manducationem ſacramentalem, qua corpus Chriſti modo mirabili & indiviſo in ſtomachum vadit, nec tamen conſumitur, aut ullam mutationem ſubiit. Sic ait P. Boucat, qui ſubdit: „ Hæc Euſe-
„ bii mens colligitur ex ejuſdem loco,
„ quem refert Sanctus Joannes Damaſcenus lib. 3. Paralellorum cap. 45. ecce verba: „ Multi peccatores,
„ cum Presbyteri ſint, ſacris operantur,
„ nec Deus eos averſatur; verum per
„ Spiritum Sanctum propoſita dona
„ conſecrat, ac panis quidem pretioſum Domini corpus efficitur, poculum autem pretioſus Domini ſanguis.

Ad III. dicitur, quod Cyrillus non vocat Euchariſtiam figuram nudam, & vacuam, ſed figuram plenam, hoc eſt continentem corpus Chriſti. Antitypi autem nomen in Cyrilli Catacheſibus idem eſt, ac apud nos Sacramentum; unde Catacheſi 4. ſcribit: „
„ Quare omni cum certitudine corpus
„ & ſanguinem Chriſti ſumamus, nam
„ ſub typo datur ſanguis, ut ſumpto corpore, & ſanguine Chriſti
„ efficiaris ei comparticeps corporis, &
„ ſanguinis; ſic Chriſtophori erimus,
„ ideſt Chriſtum ferentes, cum ejus
„ corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus. „ Porro ſi S. Cyrillus ſolam figuram inanem agnoviſſet, dubio procul non ſic loquutus fuiſſet.

Ad IV. In aliquibus quidem bene comparatur Euchariſtia cum Eulogia, ſed non in omnibus. Cyrillus Alexandrinus loquutus eſt in primo ſenſu, non autem in ſecundo.

Ad V. dicitur, quod Corpus Chriſti repræſentatur in Euchariſtia repræſentatione practica, non vacua, & inerti; quam ſic explicat P. Boucat. „ Du-
„ plex eſt ſecernenda repræſentatio,
„ una practica, ſpeculativa altera; prior
„ ipſam rem exhibet in ipſo Tertulliani
„ ſenſu, qui lib. 4. adverſus Marcionem
„ circa medium ait de Patre æterno: „ Itaque jam repræſentans eum *hic eſt filius meus &c.* „ Poſterior eſt pura
„ rei imago, ut videre eſt in tabella.
„ Tertullianus eo loco loquitur de prima repræſentatione; ne miteris autem ſi dicat corpus Chriſti repræſentari in pane: cum enim Marcion,
„ quem debellat, contenderet creaturas ſenſibiles a bono Deo non promanare, argumentando ad hominem,
„ mentionem facit de Sacramentorum
„ ſymbolis, quæ vel ipſi Marcioniſtæ
„ ut bene habebant. Igitur de pane,
„ ut de ſymbolo, ſub quo realiter con-
„ tinetur corpus Chriſti, mentionem
„ facit. „

Ad VI. dicitur, quod Cyprianus loquitur de multiplici Euchariſtiæ effectu, & præciſe de præſentia ſubſtantiali Chriſti, connotative tamen, ſed non primario, & immediate: unde Cyprianus ipſe ſcribit: „ Hæc quoties
„ agimus, non dentes ad mordendum
„ acuimus; ſed fide ſicura panem ſanctum frangimus. „ Et deinde, „ concludit: „ Panis iſte communis in carnem, & ſanguinem mutatus. „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXIII.

De præsentia reali Christi in Eucharistia. Quomodo probetur ex humana ratione non impossibilitatis præsentiæ ejusdem? Quomodo ex consensione utriusque Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis? Quomodo ex Gentilium loquendi modo circa ipsam?

PRo I. Dissertationis parte sufficit ad respondendum pro illa, Quæsito respondere, quod sub his terminis proponi valeat, videlicet: An probari possit impossibilis realis præsentia Christi in Eucharistia ex humana ratione & sensuum judicio? Cuiquidem quæsito sic per sequentem Conclusionem respondemus.

Dicimus I. probari non posse impossibilem realem præsentiam Christi in Eucharistia ex humana ratione, & sensuum judicio.

I. probatur Conclusio. Humana ratio, & sensus hominis, non sunt idonei ad judicandum, quod divina fides sibi soli reservavit, ut hominibus ad credendum proponat: ergo quicquid in contrarium dicat humana ratio, & sensus hominum velint, semper stat, quod impossibile non dicatur, quod divina fides nobis ad credendum proponit. Probatur antecedens. Humana ratio adeo tenuis est, ut pertingere non possit ad intelligendum illa, quæ supra ipsam sunt: unde Apostolus 1. ad Corinth. 2. docet: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Insuper sensus hominis non sunt potentes ut percipiant, quæ Deus ab humanis sensibus segregavit, & ea revelavit non carni & sanguini, sed spiritui nostro.* Et Christus Matthei 16. dixit ad Petrum: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*; & cap. 11. *nemo novit filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi filius, & cui voluerit filius revelare.*

II. probatur. Plus potest facere Deus, quam humana mens concipere: ergo in his, quæ facit Deus, non est sufficiens ad judicandum humana mens a sensibus ducta, sed a Dei virtute, & potentia roborata. Antecedens probatur ex illo Matthei 19. *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum omnia possibilia sunt*: & Augustinus epist. 37. alias 3. ad Volusianum: *Dandum Deo aliquid posse, quod fateamur nos investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Concinunt Ambrosius in epist. ad Romanos cap. 4. *Magni meriti est apud Deum, qui contra scientiam suam Deo crediderit, non dubitans posse illum, utpote Deum, quod scit secundum mundi rationem fieri non posse.* Et sanctus Chrysostomus hom. 6. in Joann. *De Deo loquimur, & quonam pacto interrogas? Nonne times? Nonne exhorrescis? Quod si abs te quispiam quærat, quomodo immortalem vitam, & corpora, & nostræ habituræ sint animæ, nonne ridiculus esset quæstio? quia non humani est ingenii eadem inquirere; sed credere tantum oportet: neque curiosius est investigandum, quod sufficientem habet sui demostrationem, immensam promittentis potestatem.* Et S. Hilarius lib. 1. de Trinit. num. 13. *Respuit captiosas, & inutiles Philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fal-*

Digitized by Google

fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati; non secundum sensum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Christo secundum mundi elementa decernens.

III. probatur. Multæ res naturales impossibiles apparent humanæ rationi, ac sensibus hominis, quæ tamen possibiles sunt, & de facto existunt: ergo a fortiori res supernaturales, quæ omnem humani ingenii captum excedunt, & totam humanæ sapientiæ aciem effugiunt. Antecedens clare constat Ecclesiastes 3. *Mundum tradidit disputationibus eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Et cap. 8. *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, & eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat.* Proinde in Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. loquens de præsentia Christi in Eucharistia, dicit: eam, *etsi verbis exprimere vix possimus, possibilem tamen esse Deo, nosque, cogitatione per fidem illustrata, assequi eam posse, & constantissime credere debere.*

Opponunt I. Impossibile est, unum & idem corpus esse simul in pluribus locis; atqui hoc eveniret, si poneretur præsentia realis Christi in Eucharistia: ergo &c. II. Impossibile est, verum corpus & naturale esse sine quantitate; quantitatem esse sine extensione, impenetratione, ac divisibilitate; sed corpus Christi in Eucharistia tale esset, scilicet modo inextenso, penetrativo, ac indivisibili: ergo &c. III. Impossibile est, accidentia esse sine subiecto, quod est substantia; sed in Eucharistia remanent panis & vini accidentia, seu species, scilicet quantitas, qualitas, figura, color, sapor &c. quæ erant ante consecrationem; & tamen non remanet substantia panis, & vini: ergo &c. IV. Impossibile est, accidentia operari totum id, quod substantia ex se apta est operari; sed substantiæ proprium est nutrire, corrumpi &c. quæ tamen in Eucharistia tribuuntur accidentibus: ergo &c. V. Impossibilia sunt; & Deo indigna, & absurda, quæ secum fert præsentia realis Christi in Eucharistia, scilicet in Pixide concludi, manducari, conculcari, corrumpi, a muribus corrodi. &c.

Respondemus ad I. Verum esse, quod unum & idem corpus naturaliter non potest esse in pluribus locis, nec circumscriptive, nec definitive: divinitus vero & supernaturaliter potest esse in uno loco circumscriptive, & in aliis definitive, seu sacramentaliter; & hoc secundum diversas Scholarum opiniones. Corpus autem Christi est in pluribus locis simul divinitus, & per summum divinæ virtutis miraculum, & quidem circumscriptive in Cœlo, in hostiis vero consecratis definitive, & sacramentaliter. Quod miraculum agnoverunt, & prædicaverunt Patres, præcipue Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio exclamans: *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque volentibus dat complectendum, & accipiendum.* Gregorius Nyssenus oratione Catechet. cap. 37. pariter exclamat: *Cum autem solum illud corpus, quod Deus suscepit, hanc gratiam acceperit ..... oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & per ipsum in se totum maneat?*

Ad II. Duplex est responsio: Prima est illorum, qui negant quantitatem esse distinctam realiter a substantia; adeoque volunt, non implicare, verum & naturale corpus esse sine quantitate; & hi sunt Durandus, Arriaga &c. altera responsio est illorum, qui admittunt quantitatem esse accidens realiter distinctum a substantia, ut sunt fere omnes Peripatetici; & hi distinguunt hanc propositionem: Implicat esse quantitatem sine extensione interna partium in ordine ad se, concedunt: sine externa extensione in ordine ad locum, negant: unde ait Tournely: „ Tria distinguenda „ sunt in quantitate 1. extensio externa „ & visibilis, quæ est positio partium „ extra partes in ordine ad locum. 2. „ extensio interna, quæ duplex est: alia „ entitativa, quæ non est propria quantitatis, sed formæ materiali competit, quæ non est quanta, sed penetrative se habet in materia; alia vero „ interna extensio quantitativa dicitur, „ quæ consistit in positione partium „ extra partes in ordine ad se, cum „ proxima aptitudine ad impetrationē, „ & re-

Digitized by Google

„ resistentiam actualem. 3. Est actua-
„ lis impenetratio & resistentia, qua-
„ fit, ut unum corpus alteri non cedat,
„ sed resistat. Ex his tribus sola exten-
„ sio interna partium in ordine ad se,
„ cum proxima aptitudine ad impene-
„ trationem & resistentiam actualem,
„ essentialis est quantitati; qua proin-
„ de privari non potest, & quæ corpori
„ Christi in Eucharistia existenti com-
„ petit; non enim confunduntur, &
„ permiscentur inter se partes illius,
„ sed unaquæque ordinem suum natu-
„ ralem servat in ordine ad se. Exten-
„ sio vero externa & actualis impene-
„ tratio fluit ab illa interna, tanquam
„ a causa: cum vero actuali ista exten-
„ sione privetur corpus Christi in Eu-
„ charistia: hinc fit, ut penetrative sit,
„ indivisibiliter, inextense, per modum
„ substantiæ, totum in tota hostia, &
„ totum in qualibet parte ejus. Reipsa
„ difficile id concipitur, aut potius non
„ concipitur a nobis: sed quid mirum?
„ mysterium est, eoque nomine ab-
„ strusum, reconditum a sensibus, &
„ ab humana ratione longe sepositum:
„ nihilominus tamen optime probant
„ Orthodoxi, nullam esse internam, &
„ essentialem implicantiam, ut corpus
„ privetur, Deo ita volente, sua actuali
„ extensione, & impenetratione. „

Ad III. respondent Philosophi Peripatetici, accidentia panis & vini remanere in Eucharistia sine panis & vini substantia, quæ destruitur, & in substantiam corporis & sanguinis Christi convertitur, & hoc fieri per miraculum. Attamen hi Philosophi, qui sunt de Aristotelis Schola, non conveniunt; aliqui enim volunt, quod accidentibus illis aliquòd aliud subiectum assignetur; & hoc dicunt esse, vel aerem, vel corpus Christi, vel aliquod aliud. Qui dicunt aerem, sunt Abaelardus, teste S. Bernardo epist. 190. ad Innocent. II. etiam secundum quosdam Magister sententiarum in 4. distint. 12. & Albertus Magnus, qui voluit, quod accidentia secundum suum esse naturale destruantur, secundum vero suum esse intentionale in aere maneant. Qui vero dicunt corpus Christi esse subjectum accidentiũ, itaut quemadmodum panis ante consecrationem, ita fere Christi corpus post consecrationem dicatur videri, frangi, dentibus teri, ita rem totam disponente, & aptante ad ritum, & usum mysterii; & hi sunt Guilielmus a S. Theodorico contra Abaelardum cap. 9. Guitmundus Aversanus lib. 3. adversus Berengarianos, qui panem & vinum etiam post consecrationem supereſſe contendebant. Subdit Tournely: „ Eo revocari possunt ac debent primo ii omnes, qui corpus Chri-
„ sti in Eucharistia corruptibile esse do-
„ cuerunt, quæ opinio tribuitur Isidoro, Damasceno &c. Secundo etiam
„ illis, quibus placuit nullum esse in
„ Eucharistia velum, ita ut ipsum cor-
„ pus Christi non tantum crederetur
„ intrinsecus, sed extrinsecus videretur,
„ contra quos scripsit Ratramnus. „ Denique alii Peripatetici voluerunt, & docent, accidentia illa sine ullo subjecto remanere; & hæc est communior sententia inter ipsos, quam defendunt Petrus Blesensis, Magister sententiarum loco citato, & Joannes de Ragusio in oratione, quam habuit in Concilio Basileensi de communione sub utraque specie. Illi vero Philosophi, qui non sunt Aristotelici, nulla admittunt accidentia solida, & absoluta, quæ a materia distinguantur; & quia ex fide tenendum est, quod facta consecratione non remaneat panis & vini substantia, sed ipsorum species, hoc est magnitudo, color, figura, sapor &c. quæ erant antea; inde est quod dicunt, ad hoc salvandum, Deum in sensibus nostris, & in anima easdem modificationes, seu impressiones, per seipsum operari ad præsentiam panis eucharistici, quas operabatur panis ipse ante consecrationem, & etiamnum operaretur, si ad pristinam suam rediret naturam. Sic explicat Tournely citatus, qui subdit pariter ad explicationem, & commendationem nostri Patris Maignan: „ Non alia videtur mens fu-
„ isse celeberrimi Patris Maignan, e Fa-
„ milia Minimorum insignis Philosophi
„ ac Theologi; qui species sensibiles,
„ quas intentionales vocat, non aliud
„ esse docet, quam actionem ipsam
„ obiectorum in sensus, juxta doctrinam
„ S. Thomæ 3. p. q. 54. art. 1. ad 2. ubi
„ ait: *Quod aliquid videatur, fit per*
„ *actionem visibilis ad visum*. Cum au-
„ tem in Eucharistia non supersit panis
„ substantia, haud dubie agere illa in
„ sensibus non potest; & cum aliunde

„ acci-

Digitized by Google

„ accidentia abſoluta ſenſu ariſtotelico „ rejiciat dictus P. Maignan, neceſſe eſt „ in ejus mente Deum per ſeipſum ſup„ plere actionem ſubſtantiæ panis, fa„ cta in ſenſibus noſtris eadem modifi„ catione, ac impreſſione, quam panis „ faciebat ante conſecrationem: id ve„ ro Deum poſſe, manifeſte docet S. Th. „ 1. p. q. 105. art. 7. *Erroneum eſt dice„ re, Deum non poſſe facere per ſeipſum „ omnes determinatos effectus, qui fiunt „ per quamcunque cauſam creatam.* At„ que hac ratione 3. p. q. 76. art. 5. ex„ plicat modum, quo aliquando viſa „ eſt in Euchariſtia caro, viſus eſt puer; „ Deum ſcilicet oculis repræſentante„ carnem, puerum, in ſignum & ar„ gumentum realis præſentiæ Chriſti „ in Euchariſtia: „ Ad quæ inſuper ad„ dit idem Tournely ulteriora hæc ver„ ba, quæ maxime faciunt ad dictorum „ intelligentiam & confirmationem; & „ ſunt: „ Concilia nempe Lateranen„ ſe, Florentinum, & Tridentinum, „ *accidentiam* nomen hic non uſurpaſ„ ſe, ſed *ſpecierum*; ex quo inferunt „ Recentiores nonnulli, fide catholica „ certum ac definitum non eſſe, agno„ ſcenda eſſe ſolida, & abſoluta acci„ dentia, quæ ſint a materia diſtincta in „ ſenſu peripatetico; ſed hoc unum hic „ ad fidem pertinere, totam ſcilicet „ panis, & vini ſubſtantiam converti, „ ſeu tranſmutari in ſubſtantiam corpo„ ris & ſanguinis Chriſti: ſpecies vero, „ ſeu accidentia remanere, ſenſuum„ quidem judicio certiſſimum eſſe; ve„ rum quid ſint, & in quo conſiſtant „ ſpecies illæ, ſeu accidentia, Eccle„ ſiam non determinaſſe, nec definiſſe. „ Qua propter quando Synodus Con„ ſtant. ſeſſ. 8. damnavit iſtam Wicleſi „ propoſitionem, *in Euchariſtia non„ manent accidentia ſine ſubiecto*, cen„ ſura, inquiunt, non cadit præciſe in „ accidentia, quaſi vellet Synodus er„ rorem eſſe illa negare, ſed cadit in „ ſubiectum illorum accidentium, hoc „ eſt in ſubſtantiam panis & vini, quam „ Wicleſus ſupereſſe dicebat. „

Ad IV. Dicitur, quod vel Deus operatur per ſeipſum eoſdem effectus, quos antecedenter operabatur ſubſtantia; vel quod dat accidentibus virtutem„ effectus illos producendi. Quapropter idem Tournely hæc ſubdit: „ „ Cum enim, ut jam non ſemel obſer„ „ vatum fuit, Deus in myſterio altaris „ nullum ſenſibile miraculum operari „ voluerit, ſed totus latere, ad fidei „ noſtræ exercitium; neceſſe fuit, ut „ permitteret, peracta conſecratione, „ ſymbola euchariſtica easdem omnino „ in ſenſus noſtros impreſſiones facere, „ eoſdenque effectus ex iis ſequi, ac „ ante conſecrationem. Porro divinæ „ potentiæ non deeſt modus eoſdem „ effectus producendi, quos ipſa pro„ duceret panis ſubſtantia, ſi adeſſet. „ Namque dici poteſt, ut mox dictum „ eſt, vel Deum per ſe ad præſentiam„ Symbolorum Euchariſtiæ corpora„ noſtra nutrire, & ſuſtentare: qui enim „ ea ex nihilo produxit, poteſt haud „ dubie ex ſe nutrire, & conſervare; „ vel Deum accidentibus dare virtu„ tem nutriendi &c. vel denique cor„ ruptis accidentibus, cum ab iis rece„ dit corpus Chriſti, Deum priorem„ reſtituere ſubſtantiam, per quam fiat „ nutritio: neque enim difficilius eſt „ eam iterum producere, quam de no„ vo creare. Ut utſit, effectus illos pro„ duci fatemur; modum productionis „ ignoramus, quia myſterium eſt. „

Pro II Diſſertationis parte, in qua quæritur, quomodo præſentia realis Chriſti in Euchariſtia probetur ex conſenſione utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis, & Orientalis? Pro certo habendum eſt, conſenſionem hanc negari non poſſe, quoties probatur ex utriuſque Eccleſiæ teſtimoniis, quod in ea, quam per Apoſtolos ſemel acceperunt fidem de eadem præſentia reali, in ea ad hæc uſque tempora perſeverarunt. Quod in præſenti dicimus & probamus.

Dicimus II. Eccleſiam Occidentalem, & Orientalem, ſemper conveniſſe, ut crederent præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia.

I. probatur de Eccleſia Occidentali. Et quidem P. Boucat primo loco affert Apoſtolos, qui Seculo I. floruerunt, & hujuſmodi præſentiæ luculenta teſtimonia exhibuerunt; & ſunt Paulus, & Andreas: ex II. Seculo profertur S. Pius I. Pontifex Romanus: ex III. citantur Tertullianus, & Cyprianus, quorum verba ſuperius retulimus: ex IV. laudantur Optatus Milevitanus lib. 4. contra Parmenianum, Hilarius lib. 8. de Trinitate, Ambroſius in lib. de Sacramentis: ex V. habemus Hieronymum, & Auguſtinum„

Digitized by Google

rum verba non semel laudata sunt: Leonem Magnum in Epist. ad Clerum, & Plebem Constantinopolitanam, cujus hæc sunt verba: „ In quo hactenus desidiæ torpore jacuere, ut nec „ auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut neque ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter Communionis sacramenta taceatur? Quia „ in illa mystica distributione spiritalis „ alimoniæ hoc impertitur, hoc sumitur: ut accipientes virtutem cœlestis „ cibi in carnem ipsius, qui caro nostra „ factus est, transeamus: „ Et Gaudentium, qui tract. de Exodo, hæc habet: „ Ipse naturarum Creator „ & Dominus, qui producit de terra „ panem, de pane rursus, quia & potest, & promisit, efficit proprium „ corpus; & qui de aqua vinum fecit, „ & de vino sanguinem suum.„ Ex Seculo VI. & VII. habemus Gregorium Magnum, Romanum Pontificem, qui in hom. 22. in Evang. dixit: „ „ Quid sit sanguis agni, non tam audiendo, sed bibendo didicistis.„ Rursus lib. 4. Dial. cap. 58. „ Quis Fidelium habere dubium possit, in ipsa „ immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi „ mysterio Angelorum choros adesse, „ summis ima sociari? „ Tandem pro Seculis subsequentibus adducuntur alii ab eodem P. Boucat, & præcipue Liturgiæ, quibus Ecclesia Latina Seculis VII. VIII. IX. & X. utebatur.

II. Probatur de Ecclesia Orientali. Laudavimus supra Justinum in Apolog. 2. Irenæum lib. 4. cap. 34. & lib. 5. cap. Origenem hom. 13. in Exod. & aliis in locis: Laudamus modo Gelasium Cyzicenum in lib. de actis Concilii Nicæni, cujus meminit Photius in Cod. 88. qui refert Dyatiposim de Eucharistia in Concilio Nicæno I. quæ hæc est lib. 2. cap. 30. „ In divina „ mensa ne humiliter intenti simus ad „ ad propositum panem & poculum; „ sed attollentes mentem fidei, intelligamus, situm in sacra illa mensa „ agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus „ immolatum: & pretiosum illius corpus & sanguinem vere nos sumentes, „ credere hæc esse nostræ resurrectionis Symbola: propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, „ ut sciamus non ad satietatem, sed ad „ sanctificationem sumi. „ Referuntur hæc verba a Bellarmino lib. 2. de Eucharistia cap. 10. qui testatur ea hæc scripsisse ex actis, quæ sunt in Bibliotheca Vaticana. Alios Patres, & Scriptores pro sequentibus seculis refert idem P. Boucat, apud quem inveniuntur quoque monumenta sequentium seculorum usque ad hæc nostra tempora; & præcipue affert Disputationē, quæ habita est inter Jeremiam, Patriarcham Constantinopolitanum, & Lutheranos, de qua sic loquitur: „ „ Ut primum enim ad eum Confessio „ Augustana pervenit; suam de transubstantiatione exposuit mentem, „ scilicet in sua prima responsione c. 10. „ p. 65. 66. Ecclesia Catholica sic docet panem mutari in idem corpus, & „ eumdem sanguinem Christi .... non „ quod dederit Discipulis carnem, „ quam ferebat manducandam, aut „ quod descendat de Cœlo: Sed quia „ tunc in cœna Domini, & nunc in nostro Sacrificio, invocatione, & gratia „ Spiritus Sancti omnipotentis, qui operatur, & precibus sacris, & verbis „ Domini, corpus, & vinum in eumdem „ Sanguinem suum.„ Unde sensus est, „ Christum non relinquere Cœlum, ut „ sit in altari, & ita dedisse carnem „ manducandam, ut amplius non foret „ superstes; sed illud fit mutatione. „ Hac explicatione solvitur difficultas „ proposita a Claudio Ministro. Demum in fine articuli sic jugulat Calvinistas; Panis Corporis Domini, nec „ est typus, aut figura, nec azymus. „ Quum enim Græci vocant Eucharistiam panem fermentatum, sensus „ eorum est, quod ille sit materia hujus Sacramenti.„ Post quæ ita concludit idem P. Boucat: „ *Jeremias* „ igitur, & Græcos omnes docere, & „ tenere transubstantionem, ita clarum „ apparuit Theologis Wirtembergensibus, ut isti eos ad illam abnegandam „ adducere tentaverint, sed incassum; „ namque Jeremias, responsione secunda n. 3. p. 240. iterum ita dilucide „ hanc profitetur veritatem, ut illud „ Lutherani ultro ingenue fassi sint. Igitur Orientales a fide transubstantiationis non recesserunt.„ Denique rem totam conficit idem P. Boucat ex facto Cyrilli Lucaris, qui fuit Patriar-

Digitized by Google

triarcha Constantinopolitanus; & hæc sunt ejus verba: „ *Confirmatur* ex facto Cyrilli Lucaris. Iste relictis Calviniſtarum operibus, eorum ſuſcepit „ errores, & ſuſcepta a Batavis pecunia ad Patriarchatum CP. pervenit: „ Verum luit perfidiæ pœnas, quippe„ qui in Synodo a Græcis habito & proſcriptus, & in exilium miſſus fuerit, „ patrocinante Turcarum Imperatore, „ & tum multoties in ſedem reſtitutus, „ & toties etiam relegatus, tandem „ laqueo ultimum clauſit diem. *Cyrillo* „ Lucari è vivis ſic erepto, Cyrillus „ Beroenſis, ejus ſucceſſor, coegit „ Concilium, in quo aderant Patriarchæ Alexandrinus, & Jeroſolymitanus, cum viginti circiter Epiſcopis, „ illique iterum anathema dictum eſt: „ Primo, quia dixit Eccleſiam Orientalem idem ſentire, ac Calvinum: ſecundo, anathema ei, qui docet, & credit, panem, qui offertur, & vinum, „ non mutari benedictione Sacerdotis, „ & virtute Spiritus Sancti, in verum „ Corpus, & verum Sanguinem Jeſu „ Chriſti. Cui definitioni parere non „ dubitarunt omnes Populi. *Parthenius* etiam Cyrilli ſucceſſor, quique „ ejus molitus fuerat exilium, novam „ adunavit Synodum ex viginti quinque Epiſcopis; in eo Moſcoviæ Metropolitanus aderat; ibique rurſus „ articuli Cyrilli Lucaris proſcripti „ ſunt: Ejus fides, ejus eſt peculiaris, „ nec eſt Eccleſiæ Græcæ. Acta iſtius „ Concilii referuntur ab Allatio. Præſules vero, loquendo de Cyrillo Lucari, ſic habent: Ita deſtruit Euchariſtiam divinam, ut ei nudam figuram „ relinquat ..... negat panem poſt „ conſecrationem eſſe verum Corpus „ Chriſti ..... quod eſt impietatis meta ultima; Chriſtus enim non dixit; „ hoc eſt figura corporis mei, ſed meum „ corpus, & meus ſanguis. „

III. Probatur ex aliarum Eccleſiarum Orientalium cum Romana Eccleſia conſenſione. Et quidem I. ex Moſcovitis, de quibus Joannes Lefegre, Ferdinandi Archiducis Confeſſarius, teſtatur ex relatione Legatorum Joannis Baſilii, Ruſſorum Magni Ducis, ad Carolum V. per hæc verba: „ Conſecratio fit inter eos verbis a „ Chriſto pronuntiatis, eiſque talem „ tribuunt virtutem, quod ſtatim ac a „ Sacerdote pronuntiata ſunt, credunt „ creaturam cedere Creatori. „ Inſuper Olcarius Lutheranus, Bibliothecarius Ducis Holſtenii in ſua Epiſt. ad Dominum Ponchateau ſub die 14. Januarii anni 1667. hæc ſcribit: „ Quæ „ de hac re, Ruthenos credere tranſubſtantiationem, ſcripſi, non fuerunt mea ſomnia, ſed accepi ex ore „ eorum, qui hujus rei bene conſcii „ erant, nempe a Paſtoribus noſtræ „ Eccleſiæ in ipſa Moſcua. 2. Ab illis „ Zuaris interpretibus, qui a noſtra „ Religione diſceſſerant in Ruthenicam. 3. Ab ipſis Ruthenicis mercatoribus, immo ab ipſis Sacerdotibus, & Monachis ..... Si quis inſuper meæ relationi non vult credere, „ ducat in conſiderationem Epiſtolam, „ quam Joannes, Metropolita Ruſſiæ, „ ſcripſit ad Papam... in qua mentionem „ facit tranſubſtantiationis. „ Denique hoc ipſum aſſerit Papias Ligaridius, Gazæ Epiſcopus, in Epiſtola de Græcorum & Moſcovitarum fide, data ad D. De Lilienthal, pro Sveciæ Rege Moſcuæ reſidentem, ann. 1666. Ea vero in Epiſtola, Moſcuæ conſcripta, & miſſa deinceps ad magnum Sueciæ Cancellarium, ſic loquitur: „ Manifeſte conſtat, nullatenus nos admittere impanationem auditam, & „ prædicatam in hoc ferreo noſtro ſæculo tantummodo, neque ſimiliter „ amplectimur figuram ſymbolicam, „ typicam repræſentationem, ſed realem tranſubſtantiationem, tam Græci, quam Latini fatemur. „ II. Ex Melchitis & Syris, quorum fidem exhibet Abrahamus Echellenſis, Maronita, ſcribens ſupra Cathalogum librorum Chaldæorum, qui ſcriptus fuit ab Abdjeſu, Epiſcopo Neſtoriano, quod opus Melchitæ Orientales recipiunt, ſub his verbis: „ Cum Sacer„ dos ſtans ante altare orat.... virtute „ & conſecratione ſua hæc efficit; ut „ panis fiat corpus, & ut vinum mixtum aqua fiat ſanguis; ita ut nil quid„ quam quod ſit craſſum, & terrenum „ remaneat. „ Hoc ipſum docent Liturgiæ Ægyptiacæ, quæ ab his frequentantur populis. Videri etiam poterunt Liturgiæ Ægyptiacæ, quæ apud ipſos ſunt in uſu. III. Ex Armenis, de quibus Lanfrancus in ſuo libro contra Berengarium ſcribit: „ Interroga Græcos & Armenos, & uni„ verſaliter omnes Chriſtianos cujuſcumque

Digitized by Google

„ cumque nationis, & reſpondebunt tibi, ſe eandem nobiſcum fidē tenere.„ Scilicet de Euchariſtia. Addit P. Boucat hoc aliud inſigne documentum, præter cætera, quæ etiam luculente adjungit: „ Eadem unio Armenorum „ cum Eccleſia Romana illibata permanſit a Gregorio IX. uſque ad Benedictum XII. Anno 1318. Offinius „ Rex ad Joannem XII. Legatos miſit, „ unionis renovandæ cauſa, inter quos „ unus erat Epiſcopus: eis autem, referente Rainaldo ad annum 1318. hęc „ profeſſio fidei data eſt: „ Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Eccleſia Romana, tenens, & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti, & vinum in Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. „ Porro profeſſionem juris publici fecit ille Epiſcopus in conſpectu Summi Pontificis, & Cardinalium: hæc omnia refert Joannes XII. in ſua ad Regem „ Armenorum Epiſtola, & in altera ad „ Patriarcham, & Epiſcopos Armenos. „ Hinc colligitur, eos in hac fide permanſiſſe ab anno 1053. uſque ad annum 1348. Tametſi autem Armeni „ in fide nutaverint, ſecundum quod „ fuerunt conjuncti, vel divulſi ab Eccleſia Romana, nuſquam tamen præ„ ſentiam realem abnegaverunt; apparet quippe & in Catholicis, & in Schiſmaticis, eadem fides; quod ulterius „ probatur ex iis, quæ acta ſunt in Concilio Florentino, ad quod ab Eugenio IV. advocati ſunt. Tunc poſtulatum eſt ab eis 1. ut apponerent „ Symbolo, *Filioque*. 2. Ut reciperent „ Concilii Calcedonenſis definitionem „ circa duas naturas; ſed de præſentia „ reali & tranſubſtantiatione non loquitur Summus Pontifex Eugenius „ IV. „ IV. ex Jacobitis, Maronitis, Coptitis, & Æthyopis, quorum documenta ab eodem P. Boucat referuntur.

Opponunt I. Partes priorum ſeculorum nihil præter figuram in Euchariſtia agnoſcebant, & præcipue Græci, & & ſunt S. Ephrem, in libro de natura Dei curioſe non ſcrutanda, hæc habet: „ Diligenter intuere, quomodo „ in manibus panem accipiens, bene„ dixit, ac fregit in figuram immacula„ ti corporis ſui, calicemque in figuram „ pretioſi ſanguinis ſui benedixit, de„ ditque Diſcipulis ſuis: Et eſto tu quo„ que ſacramentorum ejus particeps.„ II. S. Epiphan. in expoſitione fidei, & in Anacephalæoſi de Euchariſtia, negat realem Chriſti præſentiam, dum dicit: *Cibus quidē panis eſt, ſed virtus in eo eſt ad vivificationē*, ſed verba hæc important virtutem vivificantem in pane, nunquam vero Chriſti corpus: ergo &c. III. Heſychius, qui vixit VII. Seculo, agnoſcit in Euchariſtia ſanguinem intelligibilem, hoc eſt metaphyſicum & imaginarium; ſed hoc non importat niſi figuram: ergo &c. Verba Heſychii ſunt lib. 2. *Ipſe Dominus primus in cœna myſtica intelligibilem accepit ſanguinem, atque deinde calicem Apoſtolis dedit*. Idem Heſychius dicit, Euchariſtiæ reliquias comburendas eſſe igne; ſed hoc dici non poteſt de corpore Chriſti: ergo in Euchariſtia non agnoſcebat verum & reale corpus Chriſti. IV. Doctrina de ſola corporis & ſanguinis Chriſti figura in Sacramento altaris habet etiam antiquitatem ſuam, quippe ipſam tenuerunt Waldenſes, & ante hos Albigenſes.

Reſpondemus ad I. Chriſtum dediſſe Apoſtolis in figuram paſſionis ſuæ futuræ panem, quem fregit, & calicem, quem accepit, non vero in figuram corporis contenti ſub ſpeciebus illis; quod ſane fortiter confirmat P. Boucat, dicens: „ Immo hoc repugnat „ vel ipſis terminis, & ſcopo S. Ephrem: „ non enim omnem panem, omnem„ que Calicem dari in figuram a Chri„ ſto, ſed panem fractum, & Calicem „ diviſum, ſeu Diſcipulis diſtributum, „ qui corpus in cruce dilacerandum, & „ calicem ſeu ſanguinem in ara crucis „ fundendum, optime ſignificant; ſed „ ab Euchariſtia realitatem non exclu„ dit. Hunc ipſum aperiunt ſenſum „ iſta Sacti Præſulis ſubſequentia ver„ ba: „ Participa immaculatum „ corpus & ſanguinem Domini tui fide pleniſſima, certus quod agnum ipſum integre comedas.

Ad II. Epiphanius nomine virtutis vivificantis intelligit Verbum incarnatum, quod latet ſub ſpeciebus, non vero virtutem accidentalem, a Chriſto divulſam. Et hoc patet ex aliis verbis Epiphanii in Ancorato, in quibus etiam fatetur præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia: „ Videmus „ enim

Digitized by Google

„ enim Salvatorem ipsum panem in „ manus accepisse, ut in Evangelio le„ gitur : quod a cœna surgens, hunc „ accepit, & gratias agens dixerit, hoc „ est corpus meum. *Hoc meum est hoc....* „ Neque quisquam est, qui ei sermoni „ fidem non adhibeat. Nam qui verum „ illud esse non credit, a gratia & sa„ lute prorsus excidit. „

Ad III. Hesychius vocat sanguinem in Eucharistia intelligibilem, non ratione sui, sed ratione modi cognoscendi ipsum, & videndi : quod idem est ac dicere, quod Christus in Eucharistia oculis corporis non videtur, sed conspicitur tantum oculis mentis, quæ per fidem adjuvatur. Idem dicitur de reliquiis corporis, & sanguinis Christi, quæ igni traduntur ut comburantur, non ratione sui, sed ratione specierum ; quod quidem non semel factum legimus, ne venirent in manus inimicorum, qui eas conculcarent ; hoc testantur Algerus lib. 2. cap. 1. & Guitmundus lib. 2. Prioris verba sunt. „ „ Quod autem etiam a religiosis incen„ dio tradi, & ibi disparere dicuntur „ ipsæ sacramentales species, non ad „ indignitatem Christi fit, quasi ignibus „ exurendus tradatur, quod impossibi„ le est, cum sit, omnium elementorum „ Deus : sed quotiess aliqua talis indi„ gnitas ipsi Sacramento negligenter „ acciderit, ut horrorem sumendi in„ cutiant ipsi sensuales species, quasi „ ibidem Deus altissimo suo consilio „ post mutationem suæ substantiæ re„ manere voluit, ignibus traduntur, ut „ ostendant quod suum est, deficiendo „ & disparendo sine omni fœditate in „ illo purissimo elemento. „ Posterioris verba sunt : „ Sacramenti sub„ stantia nullatenus crematur, qualita„ tes vero sensuales, quas ibidem post „ immutationem substantiæ Deus re„ manere altissimo consilio voluit, ostẽ„ dunt quod suum est. „

Ad IV. Non est quæcunque antiquitas, quæ fundat præscriptionem, sed illa tantum, quæ suam ducit originem a Christo per Apostolos ; sic porro est doctrina catholica, non autem illa Adversariorum ; quanvis concedatur, quod exordiũ habeat a Waldensibus, & Albigensibus. Horum omnium novitatem ostendit P. Boucat, qui ipsorum ortum, progressum, errores, & interitum, late describit.

Pro III. tandem Dissertationis parte, in qua quæritur, quomodo realis præsentia Christi in Eucharistia probetur ex Gentilium loquendi modo circa ipsam? Præmittimus, hanc rationem probandi nos desumere ex objectione, quam nobis faciunt Adversarii, opponendo nimirum, quod Gentiles, etsi fuerint christiani dogmatis & nominis hostes implacabiles, nihil tamen nobis exprobrarunt circa Eucharistiam ; quod utique fecissent, si eis nota fuisset credulitas nostra præsentiæ realis Christi sub speciebus panis & vini. Hoc autem facile videtur nostris Adversariis probare ; tum quia Ethnici vel per seipsos poterant sese fidelium cœtibus immiscere, & mysteria nostra cognoscere ; tum quia per ipsorum servos, qui servi erat sub Gentilium imperio, & nobiscum Christiani, poterant hoc ipsum scire ; tum tandem, quia desertores, & apostatæ religionis nostræ, poterant quoque res nostras ipsis detegere. Si igitur apud Paganos arctum silentium præsentiæ realis Christi in Eucharistia invenitur signum est, quod nulla apud ipsos Eucharistiæ cognitio fuit. His nihilominus non obstantibus.

Dicimus III. Præsentiam realem Christi in Eucharistia probari ex Gentilium loquendi modo circa ipsam.

I. probatur Conclusio. Apud primos Christianos lex silentii adeo observata fuit circa mysterium Eucharistiæ, ut Paganis omnem aditum præcluserint ad ipsam congnoscendam ; ergo ex silentio Paganorum, quatenus ipsum proveniebat ex silentio Christianorũ, non solum non impugnatur, sed potius probatur præsentia realis Christi in Eucharistia. Probatur antecedens. Lex silentii circa Eucharistiam apud primos Christianos manifeste liquet ex disciplina arcanii, de qua Emmanuel a Schelestrate publicavit Apologeticam Dissertationem, eanque munivit multis veterum Patrum testimoniis ; nimirum Tertulliani cap. 7. Apologetici, Origenis Lib. 1. contra Celsum, Julii I. Romani Pontificis in Epistola 3. ad Orientales, ubi Eusebianos maxime redarguit, quod *sub externo Judice, præsentibus Catechumenis, & quod pejus est, Ethnicis, & Judæis, Christianismum blasphemantibus, quæstionem de sanguine & cor-*

pore

pore Christi habuerint. S. Gregorii Nazianzeni, oratione 42. S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 6. Illuminatorum, ubi ait, ministros Christi *multa sæpe loqui obtecte, seu obscure, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* S. Cyrilli Alexandrini lib. 7. contra Julianum. *Plurima de his alia & vera dicerem..... nisi profanorum aures metuerem.* S. Chrysostomi hom. in 1. ad Corinth. *Volo quidem aperte dicere: non audeo vero propter eos, qui non sunt initiati; ii enim difficiliorem nobis faciunt expositionem, ut qui nos cogunt vel non aperte dicere, ut eis arcana enuntiarem.* S. Augustini Sermone 4. de Jacob, & Esau, Epistola 120. cap. 19. in Psal. 33. Theodoreti Dialogo 2. ubi Orthodoxus ait: *Aperte dicendum non est; verisimile enim est adesse aliquos mysteriis non initiatos. Eranistes reponit: Respondeatur ænigmatice.*

II. probatur. Ipsimet Pagani opponebant nobis occultam mysteriorum nostrorum celebrationem; & quia hæc ut plurimum noctu fiebat, inde est quod Christianorum gentem vocabant latebrosam, ac lucifugacem nationem; ut dicebat Cæcilius apud Minucium Felicem: *Latebrosa & lucifuga natio in publicum nota, in angulis garrula..... Cur occultare, & abscondere quidquid colunt, magnopere nituntur? Cum honesta semper publico gaudeant; scelera secreta sint.* Eadem habet Celsus apud Origenem lib. 1. adversus eundem. Igitur nostra ignorabant.

III. probatur. Compertum habemus, quod vel servi Christianorum, vel Christianæ Religionis Apostatæ, Eucharistiæ mysterium Ethnicis manifestabant; & de hoc querebatur S. Julius, Romanus Pontifex, apud Oecumenium, qui hoc narrat in Commentario in 3. epist. S. Petri cap. 3. in fine, ubi ait, se ex S. Irenæo didicisse: *Quod cum Græci servos Christianorum in divinis mysteriis edoctos apprehendissent, ipsisque vim inferrent, ut videlicet arcanum quidpiam ab his de Christianis disceret; hique servi non haberent quomodo vim inferentibus ad delectationem, & gratiam loquerentur, præterquam quod a Dominis audierant, divinam participationem esse sanguinem & corpus Christi, existimantes ipsi, quod vere sanguis & caro esset, hoc responderint inquirentibus. Illi vero id sumentes, tanquam reipsa hoc perageretur a Christianis, id aliis quoque manifestabant Græcis; & martyres Sanctum, & Blandinam tormentis id fateri cogebant.* Hoc ipsum confirmat Eusebius lib. 5. hist. cap. 1. Ex quibus duo se colligere testatur Tournely, & hæc sunt: „ „ Ex quo Oecumenii testimonio duo „ collig. 1. servos illos Christianorum „ aperuisse illis Græcis, quodnam esset „ Eucharistiæ mysterium apud Chri„ stianos, nempe corpus & sanguinem „ Christi: 2. Græcos illos existimasse, „ esse sanguinem & corpus humanum, „ quod pro more aliorum ciborum dis„ cerperetur, & coqueretur, ad man„ ducandum. „

IV. probatur ex modo loquendi Gentilium circa Eucharistiam, scilicet ex criminationibus, quas propter ipsam de Christianis faciebant, & de injuriis, quas in Christianos spargebant. Et quidē nos accusabant infanticidii, & epularum, quas vocabant Thyesteas; quod totum sic comprehendit & refert citatus Tournely, sub his verbis: „ At„ que hinc famosa illa & pervulgata „ Gentilium in Christianos criminis in„ fanticidii accusatio, cujus mentionem „ faciunt quotquot pro Christiana Reli„ gione Apologias adornarunt ex Ve„ teribus Justinus, Athanagoras, Ter„ tullianus, Minucius Felix, Arnobius. „ Non aliud enim videtur fuisse hujus „ accusationis fundamentum, quam „ Eucharistiæ mysterium. Quid enim „ aliud designaret *infans ille, farre con„ tectus, & occisus, cujus Christiani si„ tienter sanguinem lambunt, & certatim „ membra dispertiunt*; sicut accusat Cœ„ cilius apud Minucium Felicem in „ Octavio? „ Hinc apud Euseb. lib. 5. „ hist. cap. 1. „ Servi Christianorum ip„ sis objiciunt, & exprobrant Thyesteas „ quasdam cœnas, & incestos Œdipi „ concubitus. Thyesteæ autem iliæ cœ„ næ, in quibus fingebant infantis car„ nem a Christianis comedi, non aliud „ quam Eucharistiam designabant. Sci„ licet, ut fieri solet in iis, quæ fama „ tantum & rumore quodam confuso „ cognoscuntur, & aliquid veri falso „ admixtum: fundamentum enim ac„ cusationis, aut potius occasio, verum „ supponebat, nempe a Christianis man„ du-

Digitized by Google

„ ducari & bibi Christi corpus & sanguinem; sed illud multis falsis & „ putidis fabulis adulterabant Gentiles, „ cum vivum corpus mactari, discerpi, „ & cruento modo comedi, mentiebantur: „ Igitur falsum est, nihil Paganos audivisse, nec objecisse Christianis de mysteris Eucharistiæ.

Obstant I. Arcanum hoc, si fuisset, objecissent Ethnici Christianis; sed non objecerunt: ergo non fuit. II. de hoc silentio nec pariter Scriptores noxstri fuse, & universaliter scripserunt: ergo signum est, quod vere in observantia non fuit. III. Pagani non objecerunt Christianis, quod manducarent Deum suum; quod ipsorum Deus esset panis; & alia similia: ergo Eucharistiæ mysterii veram cognitionem non habuerunt. IV. Julianus Apostata, quia fuerat Christianus, veram notitiam Eucharistiæ nostræ habebat; & tamen in scriptis suis, contra nos factis, nihil de Eucharistia dixit, nec nobis exprobravit quod in Eucharistia credimus. V. Infanticidium, quod Pagani nobis opponebant, non proveniebat ex Eucharistiæ mysterio, sed ex Gnosticorum sceleribus, quæ omnium Christianorum communia credebant. VI. Gentiles alia Christianorum mysteria ita irridebant, ut eadem ipsimet per ironiam, & per contemptum, inter suos replicarent; ut multoties factum legimus de Baptismo, cum Ginesio, & cum aliis; sed hoc non legimus factum cum aliquo de Eucharistia; ergo signum est nobis, quod de Eucharistia nostra nullum certum lumen Iusideles habebant.

Respondemus ad I. quod Pagani confuse & obscure audiebant quæcunque de mysterio hoc dicebantur; & non erat iisdem locus, ut de rei veritate a Christianis edocerentur; ac proinde nobis non objiciebant veram mysterii nostri, & realem mentionem, quam nesciebant, sed tantummodo opponebant, quod vulgo dicebatur de Christianis, scilicet solitos fuisse in mysteriis suis corpus Dei sui comedere; modum autem ignorabant illius manducationis, & modum pariter nesciebant, quo Christus in Eucharistia absconditus permaneret. Et ex hoc fuit, quod Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 13. scripserit: *Nonnullos existimasse apud Christianos Cererem, & Liberum coli*: & Maximus Maudurensis apud eundem Augustinum Ep. 16. alias 43. incertus & dubius dicebat: *Quis est iste Deus, quem vobis, Christiani, quasi proprium vindicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis?*

Ad II. dicitur, quod Oeconomiæ ratione Catholici, & Ethnicis, & Catechumenis occultabant religionis mysteria, non vero quod non crederent realem Christi præsentiam in Eucharistia. De hac Oeconomia testatur P. Boucat multum esse sermonem in in operibus Patrum, & apud etiam Ecclesiæ Concilia, sub his verbis: „ „ De hac Oeconomia multus est in operibus Patrum sermo; eam commendant Synodus Alexandrina apud S. „ Athanasium apol. 2. Cyrillus Hierosolymitanus cath. 6. Illuminatorum, „ Epiphanius Heres. 42. Tertullianus „ Apol. cap. 7. & lib. 2. ad uxorem, „ cap. 5. inter omnes vero Sanctus Basilius de Spiritu Sancto cap. 27. his „ verbis: Quos in primordiis Ecclesiæ „ certos ritus præscripserunt Apostoli, „ & Patres in occulto, silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. „ Neque enim omnino mysterium est, „ quod ad populares, ac vulgares aures offertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne „ dogmatum cognitio, propter assuetudinem, vulgo veniret in contemptum. „

Ad III. eadem est responsio, ac ad primum.

Ad IV. sic respondet Tournely: „ Incertum plane esse, an nihil contra „ istud mysterium objecerit Julianus: „ ex tribus enim Libris, quos adversus „ Christianam scripsit Religionem, unus „ dumtaxat, & ne integer quidem, superest apud S. Cyrillum Alexandrinum, qui eum ex professo confutavit. Certe in primo illo Libro doctrinam Eucharistiæ Julianus impugnandam sibi non sumpserat, sed in „ secundo potius, in quo falsa, ut impius loquitur, Evangeliorum prodigia, „ ut præstigias erat impugnaturus. Deinde, etiamsi Julianus aliquid oblatrasset contra mysterium Eucharistiæ, „ verisimile est S. Cyrillum, qui ex illo „ primo libro multa se resecasse testatur, illud silentio præteriturum fuisse, „ ne

„ ne Ethnicis tantum mysterium pro-
„ dere cogeretur. Sic enim cum Julia-
„ nus Baptismum Christianorum irrisis-
„ set, ut plane inefficacem purgandis
„ animis, cum ne corpora quidem ab
„ ullo morbo liberare posset, S. Cyril-
„ lus non explicat, quidquid Ecclesia
„ credit de virtute Baptismi; atque se
„ idcirco silere significat, quia mysteria
„ prophanis nefas est aperire. „

Ad V. Sic respondet pariter & similiter Tournely: „ Nefanda Gnosticorum
„ qui se Christianos esse gloriabantur,
„ flagitia, auxisse quidem in animis
„ Gentilium suspicionem criminis, de
„ quo postulabantur Christiani, sed ex
„ jam confusa quadam mysterii Eucha-
„ ristiæ notitia fundamentum habu-
„ erat ejusmodi accusatio. Quin ipsi
„ Gnostici non alio consiglio infantem
„ inter sacra trucidabant, ac ad man-
„ ducandum porrigebant, quam ut
„ Christianorum Eucharistiam, in qua
„ vera Christi caro manducatur, & san-
„ guis bibitur, sacrilega & horrenda
„ imitatione repræsentarent: adeo ve-
„ rum est, accusationi Gentilium occa-
„ sionem primo dedisse confusam quã-
„ dam ac perturbatam mysterii Eucha-
„ ristiæ cognitionem. „

Ad VI. Sacramenta illa, quæ Judæi irridebant, & per ironiam imitabantur, fuerunt apertiora & manifestiora Gentibus ipsis, quam Eucharistiæ Sacramentum, quod Christiani omni conatu ab ipsorum oculis, & cognitione arcebant; & inde fuit, quod de hoc Sacramento, vel penitus essent ignari, vel omnino non essent certi; itaut de ipso non dubitarent. Quod potissimum constat, quia Sacras Synaxes noctis tempore peragebant, & ad eas nullum ex Ethnicis admittebant, & cum de eodem mysterio loquebantur, a suo consortio Catechumenos etiam expellebant.

DISSERTATIO CCCCXIV.

De modo existendi Christi in Eucharistia. An sit per Impanationem? An sit per Consubstantiationem? An sit per Transubstantiationem? Et quomodo hæc explicetur?

Diximus in superioribus, veram, realem, ac substantialem Christi præsentiam, in Eucharistia Calvinianos negare, & contra ipsos usque modo pugnavimus: Diximus quoque, Lutheranos hac reali admissa præsentia, nullam admittere transmutationem substantiæ panis, & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, sed utranque simul remanere; & hoc ad præsens impugnare debemus. Et quia tripliciter explicatur modus, quo Christus sit realiter præsens in Eucharistia, scilicet per Impanationem, per Consubstantiationem, & per Transubstantiationem; primum, & secundum modum hac in Dissertatione confutamus, & tertium defendimus; qui solus verus est, & a Catholicis admissus. Et quia etiam hic tertius modus variis explicationibus a Scholasticis proponitur, illam explicationem seligemus, quæ magis ad rem facere videbitur.

Ut autem ab Impanatione incipiamus, hæc

hęc explicatur a defendentibus illam, quod sit unio hypostatica Verbi divini cum pane; scilicet, quod sicut Verbum caro factum est uniendo sibi unione personali humanitatem, non eam mutando, aut destruendo, ita etiam Christus per consecrationem, veluti per novam incarnationem, panem assumpsit, & cum eo intime conjunctus est in Eucharistia. Devenientes modo ad Authores, seu Inventores hujusce Impanationis, Berengarium, ejusque discipulos fuisse, asserit Guitmundus lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Christi, sub his verbis: *Rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse viderentur, dicunt ibi corpus & sanguinem Domini revera, sed latenter contineri, & ut sumi possint, quodammodo (ut ita dixerunt) impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam ajunt.* Algerus vero, qui primum fuit Scholasticus Leodiensis, & deinde Monachus Cluniacensis, & floruit initio Seculi XII. testatur in prologo libri de Sacramento corporis, & sanguinis Domini, suo tempore fuisse Impanatores: *Alii dicunt, panem non solum Sacramentum, sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum.* Bellarminus quoq; lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ cap. 11. primum Authorem Impanationis vult Rupertum, Abbatē Tutiensem, qui initio Seculi XII. mortuus est; at Gerberon, Monachus Benedictinus, eum ab hoc errore vindicavit.

Secundo, quidam Joannes Parisiensis impugnavit hanc hypostaticam unionem panis cum Verbo, sed excogitavit unionem hypostaticam panis cum humanitate Christi. Refert Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 65. Et hæc est explicatio erroris illius apud Tournely: „ Scilicet docuit ille, Christum assumpsisse panem „ mediante corpore humanitatis, ut pro „ parte, idest quatenus corpus accipitur pro parte hominis, non pro toto „ homine, ita ut panis proxime uniatur corpori humanitatis Christi, & „ illo mediante ipsi Verbo; quam opinionem se legisse testatur Waldensis „ in Opusculo illius Joannis Parisiensis. „

Tertio, prosequitur idem Tournely; „ „ Lutherus lib. de captivitate Babylonica, etsi clare ac distincte hanc Impanationem non doceat, iis tamen „ exemplis, ac loquendi formulis nonnunquam utitur, quæ ipsam non obscure insinuant. Aliquando enim „ dicit, *Corpus Christi esse cum pane, sicut ignis in ferro candente*; Aliquando ait, *Corpus Christi esse in pane, sub pane, cū pane*; aliquando inquit, veram esse hanc propositionem, *Panis est corpus Christi*, propter unionem „ panis cum corpore; sicut vera est ista, *Christus homo est Deus*. „

Quarto, Oziander, famosus inter Lutheranos, hanc hypostaticam unionem panis cum Christo propugnavit; dixit enim hanc propositionem esse veram: *Hic panis Deus est*; sic refert Melanchthon lib. 2. epist. 447. Kemnitius autem in 2. parte exam. Concil. Trid. ad cap. 4. sess. 13. asserit, vulgo Lutheranos hanc hypostaticam unionem panis cum Christo rejicere.

Quinto, loquentes modo de Consubstantiatoribus, fuerunt Berengariani nonnulli, qui dixerunt, utranque panis & corporis Christi substantiam in Eucharistia consociari, & conjungi; Testis est Guitmundus, nuper citatus; proinde Berengarius in Synodo Romana sub Gregorio VII. anno 1079. huic fidei formulæ subscripsit: *Confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam, ac vivificatricem carnem, & sanguinem Jesu Christi*: quæ sane verba, *substantialiter* converti, directe opponuntur errori consubstantiationis. Addit Tournely; „ Quod eodem Guitmundo „ teste, lib. 1. & 3. in fine, nonnulli inter Berengarii impugnatores existimarunt, eam Eucharistiæ partem, quæ „ indignis & peccatoribus porrigitur, „ non converti in Christi corpus, sed „ panem verum remanere: alii dicebant, panem converti quidem tempore consecrationis in corpus, tempore vero distributionis, cum indignus acciperet, restitui panis substantiam, ac corpus Christi recedere. „ Verum, ne quid dissimulemus, non „ videntur ii proprie inter Consubstantiatores numerandi, uti fecit Bellarminus; sed inter eos, qui negarunt.

„ Corpus Christi vere & realiter sumi „ ab indignis. „

Sexto, Durandus in 4. dist. 11. quæst. 3. vult, quod virtute consecrationis forma panis convertatur in corpus Christi, materia vero panis uniatur cum anima, & divinitate Christi, & fiat materia corporis ipsius; & adducit exemplum nutritionis corporalis, per quam non mutatur materia panis, sed quæ ante nutritionem erat materia panis, post nutritionem fit materia carnis hominis; non quidem recedente priori materia, sed accedente dumtaxat nova forma. Hanc Durandi sententiam Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 13. vocavit hæreticam, quia Concilium Trident. sess. 13. can. 2. expresse definivit, *fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem*. Si igitur Concilii dicit conversionē esse totius substantiæ, nequit esse partis, scilicet formæ, & non materiæ, quæ est altera pars. Hanc Durandi opinionem sequutus est Petrus Callius, Cenomensis Pastor; sed ab Episcopo Bajocensi fuit censura notatus, & illius censuræ humiliter ipse se subjecit.

Septimo, alii defenderunt errorem huic Durandi ex diametro oppositum, asserentes nimirum, quod post consecrationem remaneat forma substantialis panis. Refertur a S. Thoma, qui eam impugat 3. part. quæst. 75. art. 6.

Octavo, Lutherus, ut scribit Tournely: „ Extinctam ætate sua Consubstantiatorum doctrinam excitavit in „ libro de Capt. Babyl. anno 1520. verum in ea propugnanda varius, & inconstans fuit. Aliquando liberum „ unicuique permittit, quod vellet sequi, cum nihil ea de re credendum „ fides præscribat. Aliquando vero, „ ut in responsione ad Henricum VIII. „ Anglorum Regem, ait transubstantiationem esse blasphemiam, & impietatem. Subinde tamen quibusdam „ Ecclesiis Italiæ permisit, ut crederent „ panem & vinum transubstantiari in „ in corpus & sanguinem Christi. Ita „ colligitur ex Epistola Melanchthonis „ data an. 1543. idest annis 12. post datam ad Henricum VIII. responsio„ nem. Lege de hisce variationibus „ eruditissimum Illustrissimi Meldensium Episcopi Opus tom. 1. pag. 53. „

Tandem idem Tournely concludit, quod ex intima unione panis eucharistici cum corpore Christi, & corporis cum Verbo, nata sit opinio eorum, qui dixerunt, corpus Christi, quemadmodum & Verbum ipsum, esse ubique; ac proinde dicti sunt *Vbiquistæ*; & hunc errorem amplexi fuerunt Brentius, Illyricus, & alii.

Tandem devenimus ad opiniones Scholasticorum, qui in duobus discordant, quanvis in dogmare ipso conveniant. Sunt etenim qui volunt, dogma ex Scripturis probari vix posse, sed esse credendum propter Ecclesiæ definitionem; & inter hos est Durandus in 4. dist. 11. quæst. 1. num. 15. ubi docet, quod integre servata vera verborum consecrationis significatione, potuit manere substantia panis & vini, & reddi vera enunciatio ratione solius præsentiæ corporis & sanguinis Christi. Durandum sequuntur Paludanus in 4. dist. 21, quæst. 2. artic. 1. Ochamus in 4. quæst. 6. Biel in can. Missæ, Scotus in 4. dist. 11, quæst. 8. de Alliaco in 4. quæst. 6. art. 2. Insuper non conveniunt Scholastici circa modum exponendi dogma; siquidem Durandus citato loco asserit, communem Theologorum sententiam. sui temporis fuisse: *Conversionem panis in corpus Christi differre a creatione & annihilatione, & trasmutatione naturali. A creatione quidem, quia illa fit ex nihilo, non autem ista conversio, sed habet substantiam panis pro termino, a quo: ab annihilatione vero, quia illa non habet terminum ad quem positivum, scilicet corpus Christi: a transmutatione vero naturali dixerunt eam differre, quia omnis transmutatio naturalis habet subiectum commune; hæc autem conversio nullum habet commune subiectū*. Cardinalis vero de Alliaco in 4. dist. 6. art. 11. scribens Seculo 15. has varias sui temporis opiniones refert circa modum, quo Christus in Eucharistia præsens est. *Licet Catholici concordaverint in hoc, quod corpus Christi sit in Sacramento, circa modum ponendi fuerunt diversæ sententiæ. Prima, quod substantia panis sit corpus Christi; secunda, quod non remanet substantia, sed reducitur in materiam per se stantem, vel aliam formam recipientem, & hoc sive in eodem loco, sive in alio, & corpus Christi coexistit accidentibus*

pa-

Digitized by Google

panis: & hæc opinio non poteſt reprobari, nec per evidentem rationem, nec per auctoritatem cogentem. Tertia fuit, quod remaneret ſubſtantia panis. Quarta & communior eſt, quod ſubſtantia panis non remanet, ſed ſimpliciter deſinit eſſe.

Denique rem conficere videtur circa Doctorum Scholæ varios opinandi modos citatus Tournely; ita quidem ut catholica veritas integra remaneat, quanvis a variis Scholaſticorum placitis diverſimode exponatur. Hæc igitur ſubdit citatus Author: „ Diſſentiunt non minus, tum circa naturam actionis, per quam panis & vinum convertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti: an ſcilicet actio illa ſit annihilatio panis, & nova reproductio corporis Chriſti; an tantum ſimplex adductio rei jam productæ, & novus dumtaxat conſervationis illius modus; tum circa terminum illius actionis; an nempe ſit ipſum corpus Chriſti, an modus aliquis ab eo diſtinctus; an intrinſecus ſit, vel extrinſecus? Ipſa ætate Magiſtri ſententiarum excitatas fuiſſe ejuſmodi Scholaſticas opiniones, colligimus ex ipſo lib. 4. diſt. 11. In ipſo quoque Tridentino Concilio inter Franciſcanos, & Dominicanos litem de illis ſubortam fuiſſe novimus ex Hiſtoria illius Concilii, quod pro more ſuo, intactis Scholæ opinionibus, quod fidei erat tantum definivit adverſus Lutheranos, & Calviniſtas. Vaſquez 3. par. quæſt. 75. diſp. 181. cap. 1. de ejuſmodi quæſtionibus ſapienter ait, *Recentiores Scholaſticos, quo magis ab iis ſe extricare conati ſunt, eo majoribus difficultatibus ſe implicaſſe. Ex quo etiam effectum eſt, ut myſterium fidei noſtræ non modo difficilius ad explicandum, ſed etiam Adverſariorum noſtrorum argutiis & cavillationibus magis expoſitum fuerit.* Sic ille libere & candide declarat mentem ſuã circa ejuſmodi quæſtiones Scholæ, quæ myſteriorum rationes, & modos explanare volunt. Unde ſatius eſſet cum Magiſtro loco nuper citato reſpondere, *Si quis modum, quo id fieri poſſit, quærit, breviter reſpondeo: Myſterium fidei credi ſalubriter poteſt, inveſtigari ſalubriter non poteſt.* „

Dicimus I. poſt conſecrationis verba non eſſe amplius ſubſtantiam panis; & vini, nec per Impanationem, nec per Conſubſtantiationem, ſed tantum per Tranſubſtantiationem; quæ conſiſtit in converſione totius ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti.

I. probatur Concluſio. Patres communiter aſſerunt, panem euchariſticum non eſſe panem communem, ſed eſſe Chriſti corpus, & quidem verum, proprium, naturale, prout fuit natum ex Virgine, cruci affixum, & pro nobis mortuum; ſed non poteſt panis eſſe verum Chriſti corpus per impanationem, nec per conſubſtantiationem, ſed tantum per tranſubſtantiationem; hoc eſt per ſui converſionem in corpus; ergo &c. Minor patet; quia quandiu manet Chriſtus in ſubſtantia panis, nonniſi figurato, & metaphorico ſenſu corpus Chriſti dici poteſt; Chriſtus vero ſenſu reali ſubſtantiali ac veriſſimo dixit, *Hoc eſt corpus meum*. Major autem principalis argumenti ſupponitur probata ſupra, ex his, quæ ſcribunt Patres: Ita S. Ignatius Epiſt. ad Smyrnæos, S. Irenæus lib. 5. cap. 1. Juſtinus Apolog. 2. Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 40. Cyprianus epiſt. 63. & 54. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. myſtag. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & lib. 6. cap. 1. Auguſt. ſerm. 71. alias 11, de verbis Domini, Gregorius Nyſſenus Oratione catachetica cap. 37. Hilarius lib. 8. de Trinit. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. Cyrillus Alexandrinus epiſtola ad Neſtorium.

II. probatur. Patres ſimiliter aſſerunt, Chriſtum feciſſe de pane corpus ſuum, vel panem feciſſe corpus ſuum; ſed horum verborum non poteſt eſſe alius ſanus, & legitimus ſenſus, quam mutationis, & converſionis, ut ſcilicet Deus virtute ſua panem & vinum tranſmutet & convertat in ſubſtantiã corporis & ſanguinis ſui: ergo &c. Majorem oſtendunt Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 40. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 1. myſtagogica, S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. S. Auguſtinus ſerm. 87. de diverſis, quem laudat Beda in cap. 10. I. ad Corinthios. Additur, quod omnes veteres Liturgiæ continent orationem, in qua Sacerdos a Deo poſtulat, ut dona ſanc-

Digitized by Google

cta sua oblata efficiat corpus Christi; unde, subdit Tournely, non potest alius esse sensus verborum illorum, quam ille, quem diximus.

III. probatur. Sancti Patres quoque unanimiter dicunt, panem & vinum converti, mutari, transmutari, transire in corpus & sanguinem; at horum verborum sensus nequit esse, ut duo maneant in Sacramento, sed unum; scilicet corpus, vel sanguis: ergo &c. Majorem propositionem indubitatam reddunt S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. jam citata, *Aquam*, inquit, *Christus aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem suum transmutavit?* S. Ambrosius lib. de initiandis seu de mysteriis cap. 9. *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? .... & qui potuit ex nihilo quod non erat, producere, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erat? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.* Audis, loqui S. Doct. de mutatione naturæ seu substantiæ? S. Gregorius Nyssenus orat. Catachetica cap. 37. *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo, hoc est corpus meum*; quod confirmat & illustrat comparatione panis materialis, qui a Christo dum in vivis esset comedebatur, atque in ejus convertebatur substantiam. S. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *Qui hæc dona sanctificat, & trasmutat, ipse est (nempe Christus.)* S. Joan. Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 13. *Panis ipse & vinum in corpus & sanguinem Dei transmutaretur. Si requiras quonam pacto istud fiat: sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum Sanctum; quemadmodum ex sancta Dei genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quæ in se ipso subsisteret: nec amplius quidquam nobis perspectum est & exploratum, quam quod Dei sermo verax efficax est, atque omnia potest; modus vero investigari prorsus nequit.* Audis, quomodo vera fiat panis & vini substantialis mutatio in corpus & sanguinem Christi? Etsi modum hujus conversionis assequi mens humana non valeat, exponit tamen & illustrat ibid. S. Doctor, exemplo naturalis mutationis ciborum in substantiam viventium. *Illud vero dicere alienum non est, quemadmodum naturaliter panis per comestionem vinumque & aqua per potionem, in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore, quod prius extabat: sic panem, qui in Prothesi præparatus fuit, vinum item, & aquam per Spiritus Sancti invocationem, & adventum, modo qui naturæ viribus, & conditione sublimior est, in Christi corpus & sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum & idem.* Ex quibus verbis patet apertissime, non esse in Eucharistia duo corpora, sed unum; quod si unum, panis substantia non remanet simul cum corpore Christi; aliter essent duo corpora, non unum.

IV. probatur. Si tota substantia panis & vini in Eucharistia convertitur, nihil earundem substantiarum simul cum Christo in ipsa manet; sed ita est ex Conciliis: ergo &c. Minor probatur. Synodus Romana sub Gregorio VII. anno 1079. definivit: *Panem & vinum substantialiter converti in corpus & sanguinem Christi.* Et Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. anno 1215. cap. *Firmiter*, adhuc clarius rem exponit ac definit: *Credimus ac confitemur, corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina.* Concilium Florentinum in Decreto seu Instructione Armenis data, ait: *Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* Et Concilium Trid. sess. 13. cap. 4. can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaverit que mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; anathema sit.* Ad quæ superaddit, ad argumenti explicationem simul ac corroborationem, sæpius laudatus Tournely: *Qua in definitione tria observabis. 1. fieri conversionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem; ergo si tota convertitur sub-*

Digitized by Google

substantia, nulla ejus pars remanet: non materia, contra Durandum; non forma contra nonnullos tempore S. Thomæ. 2. conversionem illam plane miram esse ac singularem; ergo nec ullam habet in natura exemplum, quia singularis; *nec ab humana ratione comprehendi potest, quia* mirabilis; *hoc est tota in mysterio recondita. Unde inferes, exemplum nutritionis naturalis, in qua sola remanente materia cibi, v. g. panis, forma dumtaxat ejus mutatur, ita ut quæ antea fuerat materia panis, vi nutritionis fiat materia carnis hominis; exemplum, inquam, illud, quo Græci non infrequenter utuntur, omni ex parte hic accuratū non esse, in quo non eadē materia remanet. 3. Denique, remanere dumtaxat species panis & vini sine panis & vini substantia. Hanc Concilii Trident. definitionem eludere conatur Durandi Commentator, Petrus Gally, quia scilicet, inquit ille, non remanet quidem in Eucharistia materia panis, quatenus est panis materia, sed quatenus per unionem illius cum anima, & divinitate Christi, fit materia corporis Christi. Verum mera hæc videtur illusio, & argutia. Quomodo enim, rogo, materia, quæ, ante consecrationem, panis fuit, post consecrationem fit materia corporis Christi? An per sui conversionem, seu mutationem, seu conversionem in materiam corporis Christi? Non certe in mente Commentatoris, qui putat eandem remanere portionem materiæ sub forma diversa. Ergo non mutatur ipsa panis materia, quæ pars est illius substantiæ; ac consequenter totius substantiæ panis non fit conversio, contra expressam Concilii Tridentini definitionem: unde melius in opinione Commentatoris transformatio panis dici debet quam transubstantiatio, cum non materia, sed tantum forma panis mutetur.*

Arguunt I. Chrysostomus in Epistol. ad Cœsarium Monachum, scribens contra Sinusiastas, dictos Polemianos a quodam Polemio Antesignano, docet naturam panis remanere in Eucharistia; atqui per naturam S. Doctor intelligit essentiam, seu substantiam panis, non autem ejus proprietates, & accidentia: ergo &c. Major patet ex verbis ejusdem Chrysostomi, quæ hæc sunt: *Unus Filius, unus Dominus, idem ipse proculdubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existunt, & una quæque incommixtam proprietatis conservat agnitionem, propter quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illam sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus. Sic & hic divina intendente corpori natura, unum Filium, unam personam, utraque hæc fecerunt.* Minor vero probatur; tum quia proprietas neque est, neque vere dici potest natura; tum etiam, quia in illis verbis Chrysostomus impugnat Sinusiastas, qui dicebant divinitatem commixtam esse cum corpore, & substantiarum factam esse confusionem. Hoc negat S. Doctor, & adducit Eucharistiæ exemplum: at autem ut valeat similitudo, opus est, ut in Eucharistia maneat panis inconfusus, & incommixtus cum corpore Christi. II. Theodoretus in dialog. 2. qui appellatur *Inconfusus*, Eutichiano, qui probat in Christo post Ascensionem factam esse mutationem naturæ humanæ in divinam, sicut in Eucharistia post consecrationem fit Symbolorum mutatio in corpus Christi, respondet, Symbola non recedere a priori sua natura, sed manere in priori sua substantia, licet contineant corpus Christi; atqui hoc idem est, ac asserere simul cum corpore & sanguine Christi remanere in Sacramento Eucharistiæ substantiam panis & vini: ergo &c. III. Gelasius, Romanus Pontifex, qui sedit an. 492. in lib de duabus Christi naturis, scribit. *Certe Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis, Christi, divina res est; propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ..... Sicut igitur in hanc, scilicet in divinam, transeunt, Sancto Spiritu perficiente, substantiam,* (nempe Sybola Sacra) *permanente tamen in sua proprietate naturæ; sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant, ex quibus constat proprie permanentibus unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant.*

strant. Ex quibus verbis eadem ratio exurgit contra transubstantiationem, quæ nuper adducta ex comparatione Eucharistiæ cum Incarnatione. IV. Rupertus, Abbas Tuitiensis, lib. 2. de divinis Officiis cap. 2. & 9. admisit unionem hypostaticam inter panem & corpus Christi, quæ est similis illi, quæ est inter Verbum, & Humanitatem. Et quidem cap. 2. habet: *Similiter unum Verbum, & olim carnem de Maria Virgine sumpsit, & nunc de altari salutarem hostiam accipit*. Et cap. 9. ait: *Materia vel substantia sacrificii quod erat tunc, & nunc est in manibus Pontificis nostri, non simplex est, sicut nec Pontifex jure solius divinæ vel solius humanæ substantiæ est. Est enim tam in Pontifice, quam in Sacrificio divina substantia, & terrena. Terrena in utroque est id, quod corporaliter, vel localiter videri potest: divina in utroque Verbum invisibile est, quod in principio erat Deus apud Deū. Nam, cum dicere idem magnus Pontifex panem & vinum tenetis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: vox erat Verbi incarnati, vox æterni principii, Verbum antiqui consilii. Verbum, quod humanam acceperat naturam, id est in carne manens, panis & vini accipiebat substantiam vita media, panem cum sua carne, vinum cum suo jacebat sanguine. Quemadmodum in corporis sensibus menti, & corpulento aeri media lingua intervenit, & utrumque conjungens unum sermonem efficit, quo in aures demisso, id quod audibile est, cito absumitur, & transit, sensibus autem sermonis, & in dicente, & in eo qui audit, integer permanet, & inconsumptus. Sic Verbum Patris carni, & sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, & pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod cum in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur & transit*.

Respondemus ad I. Chrysostomum per naturam non intelligere substantiam & essentiam, quæ est primum constitutivum cujuslibet rei; sed intelligere sensibiles rei proprietates, seu species, vel accidentia, quæ remanent post consecrationem. Et hæc responsio hoc argumento probatur; quia Chrysostomus dicit, ita remanere naturam panis, ut tamen expresse neget duo esse corpora, quemadum in Christo non sunt duo Filii; sed si per naturam intelligeret substantiam, & essentiam rei, negare non posset, in Eucharistia duo esse corpora, scilicet panem & corpus Christi; si vero intelligeret per naturam solas proprietates sensibiles, hoc est species, vel accidentia panis, recte concluderet unum esse corpus, non duo; quia accidentia, vel species non componunt, & efficiunt substantiam panis & corporalem materiam. Alii respondent dicentes, Epistolam illam Chrysostomi esse Apocriphan, & a Petro Martyre, viro heterodoxo, suppositam; & de hoc varias conjecturas adducunt; sed a Tournely facile diluuntur.

Ad II. Cardinalis Perronius dicit, Textum Theodoreti sic esse legendum; *Manent enim prioris substantiæ figura, & forma, nempe Symbola mystica*; & sensus esset, quod ante consecrationem Symbola illa habent suam naturam, & substantiam; post vero consecrationem retinent tantum prioris substantiæ figuram, & formam; idest accidentia, vel species. Alii vero respondent, quod Theodoretus exponi debeat eodem modo, quo expositus est Chrysostomus; scilicet, quod sicut Chrysostomus per naturam, & substantiam intelligit non interiorem rei essentiam, quæ est primum rei constitutivum, sed tantum proprietates sensibiles, & externas: Ita etiam Theodoretus.

Ad III. dicitur, quod per naturam intelligit Gelasius naturæ proprietates; & hoc ipsemet ostendit, quando dicit, naturam permanere in sua proprietate. Alii negant librum illum esse Gelasii: non autem adhæremus illis, qui ajunt, Gelasii authoritatem esse deserendam, quia ejus tempore dogma hoc transubstantiationis non satis declaratum fuerat, ac definitum; Et isti sunt Alanus lib. 1. de Eucharist. cap. 35. & Valentia in opuscul. de transubstantiatione.

Ad IV. mens Ruperti est, quod unum sit sacrificium in Missa, quia unum est Christi Corpus. Quando autem dicit, quod materia sacrificii non sit simplex, sed constet ex duplici natura, una terrestri, & altera divina; sicut Christus ex duplici natura constat; per ter-

Digitized by Google

terrenam naturam intelligit ipse materiam panis ante consecrationem, & post consecrationem, species seu accidentia panis, & vini; unde ait: terrenam substantiam esse secundum id, quod corporaliter vel localiter videri potest.

Remanet tandem, ut explicemus, quæ & qualis sit transubstantiatio; pro qua inquirenda nobis sunt hæc tria; nimirum: An sit actio, & qualis? An sit annihilatio? An fiat in istanti? Et quinam sit effectus ejus? Proinde

Dicimus II. Transubstantiationem esse veram actionem, non quidem adductivam, neque conservativam, sed reproductivam: insuper non esse annihilationem.

I. Conclusionis pars probatur. Illa est vera actio, quam Sancti Patres explicant per exempla, quę veram actionem important; sed Sancti Patres explicant transubstantiationem per exempla, quæ veram actionem important: ergo transubstantiatio est vera actio. Probatur minor. Patres docent, conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi fieri per mutationem, transitum, transelementationem; & eam declarant per exempla conversionis aquæ in vinum in Cœna Galilææ, Uxoris Loth in statuam Salis, Virgæ Moysis in Serpentem, panis, aliorumque ciborum, in substantiam sumentis; sed hæc omnia veram actionem important: ergo &c.

II. Conclusionis pars probatur contra Scotum; & quia transubstantiatio dicit formalem conversionem; actio autem adductiva, seu adductio, non dicit formaliter conversionem: & etiam, quia transubstantiatio debet habere pro termino formali substantiam, quia motus specificatur a termino ad quem: & denique, quia assignari non potest, unde adducatur corpus Christi; non de Cœlo, quia Cœlum non deserit; non aliunde, quia non est nisi in Cœlo.

III. Conclusionis pars probatur quoque; quia actio unitiva supponit existentiã extremorum: ergo supponeret transubstantionem ante transubstantiationem.

IV. Conclusionis pars probatur pariter; quia terminus formalis actionis conservativæ dicit tantum conservationem rei jam existentis; terminus vero formalis transubstantiationis dicit positionem unius substantiæ cum destructione alterius: denique, quia res non conservatur alicubi, nisi prius ibi esse incipiat; ac proinde actio conservativa supponit transubstantiationem.

V. denique Conclusionis pars explicatur, & probatur verbis Tournely, quæ hæc sunt. *Resp. denique, probabilius nobis videri, cum S. Thoma, ejusque discipulis, transubstantiationem esse actionem reproductivam. 1. Quia est reproductio proprie dicta, cum res accipit idem numero esse, secundum omnes gradus suos tum physicos, tum metaphysico; : ea enim est verborum Christi vis, ut si corpus Christi alibi non esset, jam tunc inciperet esse, idemque prorsus, quod est in Cœlo: hinc SS. Patres, & Concilia dicunt, corpus Christi*, fieri, confici, creari, *quæ verba sonant veram productionem. 2. Quia SS. Patres ajunt, in Eucharistia fieri conversionem seu mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi; quod illustrant exemplis conversionum tum naturalium, tum supernaturalium: atqui in omni conversione sive naturali, sive supernaturali, datur vera productio; ergo &c.*

VI. tandem Conclusionis pars sic ab eodem Tournely probatur: *Resp. negative. Quia in annihilatione nullus est terminus positivus; sive a quo, sive ad quem; qualis tamen reperitur in conversione panis in corpus Christi: terminus enim a quo, est substantia panis, & terminus ad quem, est corpus Christi. Ad annihilationem proprie dictam, ait Isãbertus noster pag. 512. duo requiruntur. I. Ut res, quæ dicitur annihilari, desinat totaliter secundum omnes, & quascunque partes suæ entitatis, per meram suspensionem divini concursus: quia nempe annihilatio opponitur creationi; ergo quemadmodum creatio fit ex puro nihilo, ita annihilatio debet esse ad purum nihilum: quod contingeret, si res existens desineret esse omnimode per suspensionem simplicem divini concursus; non autem vi & efficacia alicujus positivi, quod sequatur ad ejus destructionem. II. Requiritur, ut ad ejus desitionem nihil reale, & positivum producatur, ex cujus positione & efficacia ista desitio sequatur: quia nempe annihilatio distinguitur a conversionibus naturalibus, in qui-*

quibus formæ, quæ desinunt, non dicuntur a Philosophis proprie annihilari; eo quod illa mutatio, per quam nova forma inducitur, est causa destructiva formæ prioris. Jam vero substantiæ panis, & vini non desinunt per meram suspensionem divini concursus, sed per aliam actionem positivam, nempe consecrationem, qua perfecta corpus Christi fit præsens, recedente panis & vini substantia, seu potius tota conversa, & mutata in corpus & sanguinem Christi. Sed, inquies, illud annihilatur, cujus & materia & forma tota perit ac destruitur: atqui materia, & forma panis ac vini tota perit, & destruitur; ergo &c. Resp. dist. maj. Si pereat & destruatur per meram concursus divini suspensionem, neque sit aliquid positivum ex destructione resultans, concedo: si pereat per actionem positivam, sitque illius terminus aliquis realis, & positivus, nego.

Opponunt I. Si sententia nostra subsisteret, sequeretur, quod proprius & formalis terminus transubstantiationis esset corpus & sanguis Christi, quatenus reproducta, & realiter præsentia sub speciebus panis & vini; sed hoc asseri non potest: ergo &c. II. Sequeretur pariter, quod transubstantiatio fieret in instanti, quia esset unum & idem instans, in quo desineret substantia panis, & poneretur corpus Christi; sed hoc nec etiam dici potest: ergo &c. III. Posita quoque sententia nostra, certo definiri non posset, an totus & integer Christus esset sub utraque specie; atqui hoc determinari omnino debet; quemadmodum etiam, quæ contineantur sub qualibet specie, vi verborum; & quæ per concomitantiam; & quid sit illa concomitantia: ergo &c. IV. Nec pariter posset determinate dici, an corpus Christi sit quantitative, seu extensive, & localiter in Eucharistia; quod quoque opus est ut determinetur.

Respondemus ad I. corpus & sanguinem Christi esse proprium & formalem terminum transubstantiationis, quatenus fiunt reproducta, & realiter præsentia sub accidentibus panis & vini. Et ratio est, ut ajunt Doctores, quia transubstantiatio est actio reproductiva & sacramentalis, ac proinde habet duplicem respectum, sub quorum primo habere debet pro termino formali substantiam; sub altero vero debet habere aliquid externum & sensibile, in quo reponi possit ratio Sacramenti.

Ad II. dicitur, transubstantiationem fieri in instanti; & hoc non est inconveniens, quia, ut observat S. Thomas, quæst. 65. art. 7. „ Aliqua mutatio „ potest esse instantanea triplici ratione. I. Ex parte formæ, quando nimirum non suscipit magis, & minus. „ 2. Ex parte subjecti, quando est in „ ultima dispositione ad formam. 3. Ex „ parte agentis, quando in instanti potest effectum suum ponere. Atqui „ tribus istis de causis transubstantiatio „ eucharistica est instantanea: ratione „ formæ, quia substantia corporis Christi antequam terminetur, non suscipit magis & minus: ratione subjecti, „ quia in hac conversione non est aliquod subjectum, quod successive „ præparetur: denique ratione agentis, „ quia hæc conversio fit per virtutem „ Dei infinitam. Est autem unum, & „ idem instans, in quo desinit substantia panis, & ponitur corpus Christi: „ extrinsecum quidem pani, ita ut ultimum instans desitionis panis, primum sit reproductionis corporis „ Christi. „

Ad III. dicitur, nullum esse inconveniens, quod totus & integer Christus sit sub unaquaque specie: immo potius contrarium evincitur ex Apost. I. ad Corinth. 22. qui facit reum corporis simul & sanguinis Christi illum, qui sumpserit indigne, vel corpus, vel sanguinem. Ait enim: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & sanguinis Domini.* Et Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. docet: *Semper hanc fidem in Ecclesia Dei fuisse, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro, propter admirabilem illam ejus cum corpo-*

re

re & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit. Quæ quidem Concilii verba sic explicantur a Tournely: „ Ratio est; 1. quia „ divisus non est Christus, & quæ semel „ assumpsit, nunquam dimisit, atque „ semel mortuus, non moritur amplius. „ Igitur ab ipso primo Incarnationis „ instanti, nexu inseparabili conjuncta „ fuit divinitas cum humanitate; & ab „ ipsa Resurrectione, humanitas Christi, utpote immortalis, naturali & „ indissolubili unione cum anima, & „ sanguine semper conjungitur; ergo „ qui sub panis specie sumit corpus „ Christi, vel sub vini specie ejus sanguinẽ, ille totũ & integrũ sumit Christũ. „ 2. quia Christus est in Sacramento sacramẽtali modo, quomodo anima est „ in corpore, & gradus substantiæ est in „ tota materia: atqui anima tota est in „ toto corpore, & tota in singulis ejus „ partibus: gradus substantiæ totus est „ in qualibet parte materiæ; cum igitur corpus Christi succedat in locum „ substantiæ panis, debet esse ubi erat „ substantia panis: sed substantia illa „ erat ante consecrationem in singulis „ partibus panis; ergo corpus Christi „ post consecrationem debet esse sub „ omnibus partibus hostiæ consecratæ. „ Inde est quod tanta diligentia præcavebant veteres Christiani, ne vel minima pars donorum consecratorum „ in terram decideret. „ Proinde subjungimus, & dicimus cum Concilio Tridentino, quod, vi verborum sub specie panis est corpus, & sub specie vini est sanguis Christi. Insuper, quod per concomitantiam naturalem & proximam, sub utraque specie simul sunt corpus, sanguis, & anima Christi; & per concomitantiam supernaturalem ac remotam, est divinitas, & persona Patris, & Spiritus Sancti. Ut autem hæc intelligantur, & simul probentur, subdimus quod per vim verborum veniunt ea tantum, quæ per verba exprimuntur. Concomitantia vero est connexio, vel naturalis partium Christi, per quam una esse non potest sine altera: ut non potest esse corpus sine anima, & sanguine; vel supernaturalis, per quam non potest esse persona sine natura, & persona una sine aliis personis. Et hoc ideo, quia concomitantia supernaturalis petitur ex unione hypostatica Verbi divini cum natura humana; Divinitas enim una est, & indivisa in tribus personis, quæ sese mutuo includunt, & continent: unde Concilium Tridentinum ait: *Divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima unionem hypostaticam.* Denique ratio concomitantiæ naturalis est, quia corpus Christi ponitur in Eucharistia, quale nunc est; nunc habet sanguinem, & animam, quia habet perfectum, & animatum corpus, sed immortale, & incorruptibile; proinde ab eo excluditur, & removetur illa humorum contrariorum pugna, ex qua rei corruptio nascitur; quod docet S. Augustinus in Epist. ad Consentium, & refert Tournely verbis hisce: „ Ita „ docet S. Augustinus Epistola ad Consentium, a quo fuerat interrogatus, „ an Christi corpus, in Cœlo degens, „ haberet ossa, sanguinem, aliosque „ humores? Sanctus Doctor ait, credere se corpus Christi ita esse in Cœlo, ut erat quando ascendit in Cœlum: deinde probat, admisso in Christi corpore sanguine, aliisque humoribus, cavendum esse ne corruptio „ quoque admittatur. Atque hinc inferes, quod si Apostoli triduo mortis „ Christi, quo sanguis a corpore separatus fuit, Eucharistiam consecrassent, „ corpus sine sanguine sub specie panis, „ & sanguis sine corpore sub specie „ vini fuisset. „

Ad IV. dicitur, quod corpus Christi in Eucharistia, si consideretur essentia quantitatis, quæ ponitur in extensione interna partium in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad extensionem externam, & impenetrationem actualem, dici potest in Eucharistia quod sit quantitative, & quantum: non potest tamen dici quantum, nec potest dici, esse quantitative in Eucharistia quoad locum dimensive, quẽ partes non occupant, sed est definitive in loco, & per modum spiritus.

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXV.

De ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia. An poſt Conſecrationem remaneant in Euchariſtia, ſpecies panis, & vini? An nomine ſpecierum intelligantur accidentia Ariſtotelica? An intelligantur ſpecies, prout a modernis Philoſophis explicantur?

SEcernere maxime oportet hac in Diſſertatione ea, quæ ſunt fidei, & ea, quæ ſunt diſputationis. Illis enim, quæ ſunt fidei, contradicere nemo poteſt: at in illis, quæ ſunt diſputationis, Philoſophis omnino permittitur, ut opiniones ſuas exponant ac tueantur, abſque tamen fidei labe, ac præjudicio. Igitur de fide quidem eſt, quod remaneant in Euchariſtia ſpecies vel accidentia panis, & vini, & quod totum id, quod eſt ſubſtantia, deſtruatur: non vero de fide eſt, quod accidentium, vel ſpecierum nomine hoc aut illud intelligatur. Proinde liberum eſſe Philoſophis Catholicis cenſemus, ut quiſque a ſua hypotheſi non recedens, ſpecies, & accidentia ita explicet, ut Sacramenti fidem nec quidem a longe lædat, & Eccleſiæ definitiones omnino ſervet. Et hoc eo magis, quia Concilia præcipue non alligantur nominibus ſpecierum, vel accidentium, ſed iiſdem indifferenter utuntur, ac proinde liberum nobis relinquunt locum, quo eadem explicemus abſque Conciliorum, vel Pontificum, vel Patrum etiam præjudicio. Ad quæ faciunt, quæ ſcribit Tournely de Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 2. artic. 5. *Unum hic monuiſſe oportet, ad ſolvendam propoſitam objectionem, Concilia nempe Lateranenſe, Florentinum, & Tridentinum*, accidentium *nomen hic non uſurpaſſe, ſed* ſpecierum; *ex quo inferunt Recentiores nonnulli, fide catholica certũ ac definitũ non eſſe, agnoſcenda eſſe ſolida, & abſoluta accidentia, quæ ſint a materia diſtincta in ſenſu peripatetico; ſed hoc unum hic ad fidem pertinere, totam ſcilicet panis & vini ſubſtantiam converti ſeu tranſmutari in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: ſpecies vero ſeu accidentia remanere, ſenſuum quidem judicio certiſſimum eſſe: verum quid ſint, & in quo conſiſtant ſpecies illæ ſeu accidentia, Eccleſiam non determinaſſe, nec definiſſe. Quapropter quando Synodus Conſtant. ſeſſ. 8. damnavit iſtàm Wicleſi propoſitionem*, In Euchariſtia non manent accidentia ſine ſubjecto, *cenſura, inquiunt, non cadit præciſe in accidentia, quaſi vellet Synodus errorem eſſe illa negare, ſed cadit in ſubjectam illorum accidentium, hoc eſt in ſubſtantiam panis & vini, quam Wicleſus ſupereſſe dicebat. His præmiſſis ad propoſitam objectionem*. Itaque nobis mens eſt hoc in loco; Primo tueri, quod fides proponit nobis credendum, & Eccleſia defendendum docet; & deinde ea aſſerere & ſtatuere, quæ ſalva fide, & inconcuſſis Eccleſiæ definitionibus, defendi poſſunt. Proinde

Dicimus I. De fide eſſe, quod poſt conſecra-

Digitized by Google

ſecrationem in Euchariſtia remaneãt accidentia, vel ſpecies panis, & vini.

I. probatur Concluſio ex Romanis Pontificibus. Gregorius Magnus lib. 4. dialogor. cap. 59. *Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem, cœlos aperiri, in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unum quid ex viſibilibus, & inviſibilibus fieri?* In quibus verbis ſub nomine terrenorum, & viſibilium, quum intelligi non poſſit ſubſtantia, intelliguntur accidentia, vel ſpecies, quæ ſubſtantiam comitantur. Idem Gregorius Magnus in homilia Paſchæ. *Species ſacramentales ſunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini.* Innocentius III. lib. 4. myſter. Miſſæ cap. 17. *Si ad prolationem iſtorum verborum:* Hoc eſt corpus meum, *panis mutatur in corpus, & ad prolationem iſtorum verborum:* Hic eſt ſanguis meus, *vinum mutatur in ſanguinem; prius proferantur iſta verba, quam illa. Prius ergo mutatur panis in corpus, quam vinum in ſanguinem; Nunquid igitur corpus eſt ſine ſanguine, vel ſanguis ſine corpore? Propterea dicitur a quibuſdam, quod cum totum eſt dictum, totum eſt factum; nolentes, vel non valentes, ipſius converſionis determinare momentum. Alii vero dicunt, & bene, quod licet ad prolationem præcedentium panis a natura mutetur in corpus, & ad prolationem ſequentium vinum præterea mutetur in ſanguinem; nunquam tamen eſt corpus ſine ſanguine, vel ſanguis eſt ſine corpore; ſicut neutrum eſt ſine anima, ſed ſub forma panis ſanguis exiſtit in corpore per mutationem panis in corpus, & è converſo. Non quod panis in ſanguinem, vel vinum mutetur in corpus: ſed quia neutrum poteſt exiſtere ſine reliquo. Eſt ergo ſanguis ſub ſpeciebus panis, non ex vi Sacramenti, ſed ex naturali concomitantia;* Gregorius IX. Lib. 1. Decret. cap. 1. *Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus homo ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos eſt, & ſacrificium, Jeſus Chriſtus: cujus corpus, & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, Jeſus Chriſtus;* Innocentius IV. in apparatu ſuper Decretales: *Licet tantum panis tranſubſtantietur in corpus, & vinum in ſanguinem: tamen ſub utraque ſpecie Chriſtus integer eſt. Non enim corpus ſine ſanguine, & anima, nec ſanguis ſine corpore, & anima.* Nicolaus II. qui præſens fuit confeſſioni Berengarii in Concilio Romano factæ, in qua profeſſus eſt, *verum Chriſti corpus, & verum ejus ſanguinem, ſenſualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.*

II. probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe anno 1215. ſub Innocentio III. cap. 1. „ Chriſti corpus & „ ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpe„ ciebus panis, & vini veraciter conti„ netur, tranſubſtantiatis pane in cor„ pus, & vino in ſanguinem, poteſta„ te divina, ut ad percipiendum my„ ſterium unitatis accipiamus ipſi de„ ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. „ Concilium Coſtantienſe anno 1415. ſeſſ. 13. „ Firmiſſime credendum eſt, „ & nullatenus dubitandum, integrum „ Chriſti corpus, & ſanguinem, tam„ ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini, „ veraciter contineri. „ Et in condemnatione errorum Wiclefi, in articulo 2. *Accidentia panis non remanent ſine ſubjecto in Sacramento altaris;* & hic loquitur verbis Wiclefi. Concilium Florentinum anno 1439. ſeſſ. 25. „ Hoc ſacro univerſali approbante Flo„ rentino Concilio definivimus, ut hæc „ fidei veritas ab omnibus Chriſtianis „ credatur, & ſuſcipiatur, in azymo „ ſive fermentato pane triticeo corpus „ Chriſti veraciter confici &c. Sacerdos „ in perſona Chriſti veraciter conficit „ hoc Sacramentum. Nam ipſorum„ verborum virtute ſubſtantia panis in „ corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in „ ſanguinem convertuntur. „ Concilium Tridentinum anno 1560. ſeſſ. 13. cap. 4. „ Quoniam autem Chriſtus, „ Redemptor noſter, corpus ſuum id, „ quod ſub ſpecie panis offerebat, vere „ eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in „ Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo „ ſan-

„ sancta hæc Synodus declarat, per „ consecrationem panis & vini conver„ sionem fieri totius substantiæ panis in „ substantiam corporis Domini nostri „ Jesu Christi; & totius substantiæ vini „ in substantiam sanguinis ejus: quæ „ conversio convenienter & proprie „ a Sancta Catholica Ecclesia Transub„ stantiatio est appellata; *Et Canone* 1. „ Si quis negaverit, in sanctissimo Eu„ charistiæ Sacramento contineri vere, „ realiter, & substantialiter corpus, „ & sanguinem, una cum anima, & di„ vinitate Domini nostri Jesu Christi, „ ac proinde totum Christum: sed di„ xerit, tantummodo esse in eo, ut in „ signo, vel figura, aut virtute: ana„ thema sit. „ Concilium Colonienſe sub Paulo III. adunatum anno 1536. „ „ Quid enim panis & vini species aliud „ sunt post consecrationem, quam spe„ cies sacramentales, & accidentia sine „ subjecto? „

III. probatur ex Patribus. Augustinus, qui refertur in capit. *Nos autem* dist. 2. de consecrat: „ Nos in specie panis, „ & vini, quam videmus, res invisibi„ les, idest carnem, & sanguinem ho„ noramus. „ Chrysostomus homil. 83. *Quot modo dicunt, vellem formam & species ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem coloramenta videre? Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus desideras videre; ipse vere se ipsum tibi tradit, non ut videas solum ipsum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.* Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 4: Mystag. „ Nam sub „ specie panis datur tibi corpus, & sub „ specie vini datur sanguis, ut sumpto „ corpore, & sanguine Christi, efficia„ ris ei comparticeps corporis, & san„ guinis: Christophori erimus, hoc est, „ Christum ferentes, cum ejus corpus, „ & sanguinem in membra nostra re„ ceperimus, atque ita, ut Beatus Pe„ trus dicit, divinæ naturæ consortes „ efficiemur &c. Hoc sciens, & pro cer„ tissimo habens, panem hunc, qui vi„ detur a nobis, non esse panem, etiamsi „ gustus panem esse sentiat, sed esse „ corpus Christi: & vinum, quod a nobis „ conspicitur, tametsi sensui gustus vi„ num esse videatur: non tamen vi„ num, sed sanguinem esse creda„ tur. „

IV. probatur Rationibus theologicis. I. Ex fide habemus, esse in Eucharistia sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi; sed ex fide etiam habemus, non esse substantiam panis & vini: ergo sequitur, quod ex fide pariter habere debeamus, quod in Christi corpore & sanguine sint accidentia seu species panis & vini, post consecrationem, quæ prius erant cum pane, & vino ante consecrationem. II. In Sacramento eucharistico sensibus percipiuntur eadem accidentia seu species, quæ prius in pane, & vino percipiebantur; atqui certum habemus in Sacramento eucharistico nullam esse deceptionē, nulla esse præstigia: ergo pariter certum ex fide tenendum est, in Sacramento esse simul cum Christi corpore & sanguine accidentia seu species panis & vini. III. Si in Sacramento altaris remanent illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, remanent accidentia seu species panis, & vini; sed ex Gregorio Magno in homil. Paschæ species Sacramentales sunt illarum vocabula, quæ ante fuerunt: ergo remanent accidentia seu species panis & vini. IV. Nullum est inconveniens tale & tantum, quod non possit per divinam potentiam superari, si dicatur, quod accidentia seu species remaneant in Sacramento eucharistico sine subjecto. Et probatur hoc, quia hoc ipsum, quod diceretur, non esset contra essentiam accidentium, vel specierum, quod solum non posset divina omnipotentia suppleri. Hoc totum autem patebit, vel in solutione objectionum, vel in explicatione modorum, quas mox subjungemus.

Objiciunt I. Substantia panis & vini in Eucharistia destruuntur; sed substantia panis, & vini sunt subjecta accidentium panis pariter & vini: ergo hæc accidentia etiam destruuntur. II. Si accidentia non destruerentur, esset deceptio in Sacramento; sed in hoc veritatis Sacramento deceptio admitti non debet: ergo accidentia non remanent. III. Si accidentia remanerent post transubstantiationē, sequeretur quod unum accidens esset subjectum alterius accidentis, sed hoc est absurdum: ergo &c. IV. sequeretur pariter, quod unum accidens posset producere aliud accidens, immo posset producere formam substantialem; quando scilicet accidentia in cine-

Digitized by Google

cinerem, vel etiam in vermes abeunt. V. Abſurdum eſt accidentia eſſe univerſalia & illimitata; ſed ſi eſſent ſine ſubjecto, eſſent univerſalia & illimitata: ergo &c. Probatur minor; quia accidentia a ſubjecto individuantur. VI. Sequeretur etiam, quod accidentia eſſent formæ ſimplices, & per ſe ſubſiſtentes, ſicut Angeli; & probatur, quia compoſitionem non faciunt, niſi cum ſubjecto, cui inhærent; contra naturam autem accidentis eſt per ſe ſubſiſtere; & hoc eſt abſurdum, quod ſequeretur. VII. Neque divinitus poteſt ſubſtantia inhærere: ergo neque divinitus poteſt accidens per ſe ſubſiſtere; hæc enim eſt contrariorum doctrina; ſcilicet quod omne, quod eſſentialiter convenit uni ſpeciei, non poſſit alteri convenire. VIII. Forma panis, & vini eſt quoddam artificiale: ergo eſt accidens; ſed accidentia remanent: ergo remanet forma panis & vini.

Reſpondemus ad I. quod de via ordinaria deſtructo ſubjecto, deſtruitur pariter accidens; non ſic autem de via extraordinaria, & miraculoſa; ad quam reſponſionem confirmandam hæc addit P. Boucat ex S. Thoma: *Nemo Catholicus negaverit, converſionem panis & vini in Euchariſtia eſſe miraculoſam, quando quidem miraculum ſeſe extendit etiam ad accidentia, ut divina ſubſiſtant virtute; ſolutio eſt Divi Thomæ hic quæſt. 75. art. 5. his verbis:* „ *Ad primam ergo dicendum,* „ *quod ſicut dicitur in libro de cauſis, ef-* „ *fectus plus dependet a cauſa prima, quã* „ *a cauſa ſecunda; & ideo, virtute Dei,* „ *qui eſt cauſa prima omnium, fieri poteſt,* „ *ut remaneant poſteriora, prioribus ſub-* „ *latis.* „ *Addo eadem numero accidentia ibi eatenus remanere, quatenus connotant primarium ſubjectum, & propriam retinent individuationem, quæ potiſſimum petitur a quantitate, in qua veluti ſubjectantur; ipſa vero ſubſiſtit quaſi per ſe, miraculo converſionis.*

Ad II. negatur, in Sacramento fieri deceptionem, & eſſe præſtigia; quod aſſerit S. Thomas loco citato ad 2. „ „ *Dicendum, quod in hoc Sacramento* „ *nulla eſt deceptio; ſunt enim ibi ſecun-* „ *dum rei veritatem accidentia, quæ ſen-* „ *ſibus dijudicantur: intellectus autem,* „ *cujus eſt objectum proprium ſubſtantia,* „ *ut dicitur in tertio de anima, per fidem* „ *a deceptione præſervatur.* „

Ad III. in hypotheſi peripatetica, in qua locum habet argumentum propoſitũ, ſic reſpondet P. Boucat; cum hac nimirum diſtinctione: *Accidens quantitativum eſſet quodammodo, extrinſece ſubjectum aliorum, concedo: ſimpliciter, & natura ſua, nego. Quantitas inter affectiones materiæ primum tenet locum, quippe quæ illam terminet, ſigillet, & individuet; quocirca ſi per miraculum ſubſiſtat abſque ſubjecto, alia accidentia in ea quodammodo ſubjectantur;* „ Sic ſolvit argumentum S. Thomas hic quæſt. 5. artic. ad 4. his verbis: „ *Dicendum, quod hæc converſio non proprie habet ſubjectum, ut dictum eſt; ſed tamen accidentia, quæ remanent, habent aliquam ſimilitudinem ſubjecti.*

Ad IV. in eadem hypotheſi peripatetica hæc eſt reſponſio ejuſdem P. Boucat, cum diſtinctione ſcilicet: *Accidens poterit producere aliud accidens, in virtute ſubſtantiæ, quæ in eo relicta eſt, concedo; præciſe ratione ſui, nego. Agens ſuos producit effectus, mediantibus qualitatibus, & virtutibus, quæ ſunt accidentia, quibus veluti inſtrumentis utitur. Cum igitur in accidentibus euchariſticis remaneat virtus cauſæ ſecundæ, quid mirum ſi iidem producantur effectus, ac ſi adeſſet? Solutio eſt D. Thomæ hic quæſt. 67. art. 3. ad 3. ubi de novo ſolvit difficultatem inſtantiæ, & ſic loquitur: Immutatio, quæ eſt ad formam ſubſtantialem, non fit a forma ſubſtantiali immediate, ſed mediantibus qualitatibus activis, & paſſivis, quæ agunt in virtuie formæ ſubſtantialis; hæc autem virtus inſtrumentalis conſervatur in ſpeciebus ſacramentalibus divina virtute, ſicut & prius erat: & ideo poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter, per quem modum aliquid poteſt agere ultra ſuam ſpeciem, non quaſi virtute propria, ſed virtute principalis agentis. Ad complementum ſolutionis dicimus, agens naturale producere formam ſubſtantialem vermium, cujus diſpoſitiones præceſſerunt in quantitate; materiamque, & formam de novo produci abſque ulteriori miraculo, ſed in virtute prioris, quo & materia, & forma, tum panis, tum vini converſa ſunt in corpus & ſanguinem Chriſti. Sic propugnat.* „ D. Thomas ibidem art. 4. ad 3. „ *Corruptio illarum ſpecierum non eſt miraculoſa, ſed naturalis;*

Digitized by Google

lis; præsupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto, quod prius habebant in subjecto: sicut & cæcus miraculose illuminatus, naturaliter videt.

Ad V. distinguitur sequela; accidentia essent universalia, & illimitata, si proprium non connotarent subjectū, conceditur: si proprium connotarent subjectum, negatur. Etsi enim essent sine subjecto, hoc est sine pane & vino, semper tamen ad panem & vinum dicerent ordinem, & per hoc in sua semper manerent individuatione.

Ad VI. dicitur, quod nunquam accidentia essent simplices formæ, & per se subsistentes, sicut sunt Angeli: tum quia in hypothesi peripatetica constando ex quantitate, figura, odore, sapore &c. facerent simul compositionem per accidens: tum etiam, quia essent materiales, & per hoc ab Angelis distinguerentur.

Ad VII. P. Boucat negat paritatem, & disparitatem assignat, dicens: „ *Ratio discriminis ea est, quod inhærentia actualis non sit de essentia accidentis; quocirca relationem ad proprium subjectum conservans, virtute extrinseca absque subjecto conservari potest: quod non uno exemplo potest illustrari: primo quidem caloris actualis, quo ignis spoliatus est in fornace Babylonica; deinde vero fluiditatis aquarum, cum Petrus super mare veluti super solum, jubente Domino, ambulavit. Neque vero inde sequitur, essentiam & constitutivum unius rei ad aliud transferri; accidentia quippe eucharistica non virtute innata, & intrinseca, sicut substantia, perdurant, sed tantummodo extrinseca.*

Ad VIII. respondet S. Thomas hic quæst. 75. art. 6. ad 1. per hæc verba: *Dicendum, quod nihil prohibet arte fieri aliquid, cujus forma non est accidens, sed forma substantialis: sicut arte possunt produci ranæ, & serpentes; talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum; & hoc modo producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam.* Instabis. *Forma corporis Christi est anima: sed non potest dici, quod forma substantialis panis convertatur in ejus animam: Igitur remanet etiam facta consecratione. Respondet D. Thomas ibidem ad 2. & sic loquitur. Dicendum, quod anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet et esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali animæ.*

Usquemodo satis credimus, nos probasse, de fide esse, quod post consecrationem remaneant in Eucharistia accidentia seu species panis & vini. Modo remanet videndum, quid nomine accidentium, vel specierum intelligatur? Vel scilicet accidentia peripatetica? Vel species objectivæ in hypothesi Patris Magnani? Vel species aliter explicatæ a Cartesio, Gassendo, Callio, vel ab aliis modernis philosophantibus? Pro quibus.

Dicimus II. Per accidentia peripatetica posse species intelligi, quæ in Eucharistia post consecrationem remanent, absque eo quod mysterii veritati, & fidei definitioni, contradicatur.

I. probatur Conclusio. Accidentia peripatetica non sunt substantia, immo a substantia realiter sunt distincta; sed quæ remanent post consecrationem in Eucharistia, non debent esse substantia, & a substantia realiter debent esse distincta: ergo accidentia peripatetica salvant mysterii veritatem, & fidei definitionibus non opponuntur. Probatur minor ex ipsa notione accidentis in hypotesi aristotelica, quæ importat quid præter substantiam, & a substantia realiter distinctum.

II. probatur. Essentia accidentis peripatetici est, quod habeat aptitudinem ad inhærendum, quanvis actualiter non inhæreat; sed hoc ipsum verificatur in accidentibus, quæ remanent in eucharistico Sacramento post consecrationem: ergo nullum est inconveniens si dicatur, quod post consecrationem accidentia peripatetica in Eucharistia remaneant. Probatur major, quia hæc est doctrina Aristotelicorum, accidens scilicet non habere pro essentia inhærentiam actualem, sed aptitudinalem; scilicet quod petat, quod debeat, quod habeat inhærere substantiæ, non autem quod actu inhæreat; quod maxime de omnibus

Digitized by Google

nibus rebus extenſis verificatur, quæ non requirunt actualitatem, ſed aptitudinem.

III. probatur. Illud ſufficit ad verificandam veritatem myſterii euchariſtici, & Eccleſiæ definitionem circa ipſam, quod ſufficit ad verificandam tranſubſtantiationem; ſed ad verificandam tranſubſtantiationem ſatis ſunt accidentia ariſtotelica: ergo pariter hæc ipſa ſufficiunt ad verificandam in Sacramento euchariſtico myſterii veritatem, & Eccleſiæ definitionem. Probatur minor. Tranſubſtantiationis veritas in eo conſiſtit, quod ſubſtantia panis & vini deſtruatur omnino, & eorundem loco ſuccedant corpus, & ſanguis Chriſti, latentia ſud iiſdem velaminibus, ſub quibus antea erat ſubſtantia panis & vini; ſed poſitis accidentibus peripateticis hoc ipſum verificatur: ergo accidentia peripatetica ſatis ſunt ad verificandam tranſubſtantiationis eſſentiam.

Remanet modo, ut explicemus P. Magnani ſpecies intentionales, quas in ſua hypotheſi ipſe defendit ſatis eſſe ad euchariſticas ſpecies ſuſtinendas. Et quidem pro certo habet, quod quodlibet corpus naturale agit in ſenſus noſtros, ut a ſenſitiva potentia percipiatur. Actiones autem iſtæ, per quas corpora agunt in ſenſus, dicuntur objectivæ, quatenus ab objectis emittuntur; & dicuntur intentionales, quatenus in potentis recipiuntur; & quia continent impreſſiones objectorum, ideo dicuntur ſpecies, quæ objecta ipſa repreſentant. Hic autem agendi modus, ſeu hæc agendi facultas, quia eſt perfectio in cauſſis ſecundis, inde eſt quod eminenter continetur in Deo, tanquam in cauſſa prima; & importat, quod Deus ipſe poſſit agere in ſenſus, ſicut cauſſæ ſecundæ agunt; & quod agendo Deus ſicut cauſſæ ſecundæ agunt, non Deus, ſed cauſſæ ſecundæ a ſenſibus percipiantur. Igitur deſtructo pane, & vino in Euchariſtia, & remanente in eadem Chriſto, qui eſt Deus, & homo, ſi Chriſtus agat in ſenſus noſtros poſt conſecrationem eo modo, quo agebat panis & vinum ante conſecrationem, tunc non percipietur Chriſtus, ſed percipientur panis & vinum, ſicut antea percipiebantur, & actiones illæ Chriſti agentis loco panis & vini, ſunt ſpecies panis & vini, ſub quibus Chriſtus vere & realiter remanet & continetur. Hac præmiſſa explicatione.

Dicimus III. Per Species in hypotheſi P. Magnani poſſunt ſuſtineri accidentia euchariſtica, abſque fidei, & veritatis myſterii diſcrimine.

I. Probatur Concluſio. Romani Pontifices, Concilia, & Patres, determinant, in Euchariſtia remanere ſpecies panis & vini, deſtructis ſubſtantiis uriuſque; ſed hoc ipſum verificatur in hypotheſi P. Magnani; ergo ſpecies in hypotheſi P. Magnani componuntur cum Eccleſiæ definitionibus. Major a nemine negatur. Minor probatur. Actiones objectorum, per quas agunt in ſenſus, ut percipiantur, vere ſunt ſpecies; ſed Chriſtus poteſt per actiones illas agere in ſenſus: ergo Chriſtus vere poteſt ſpecies immittere in ſenſus, ut percipiatur eo modo, quo agit; atqui nulla eſt repugnantia, ut Chriſtus agat in ſenſus eo modo, quo ageret panis & vinum, ſi adeſſent: ergo ſpecies in hypotheſi P. Magnani nullam dicunt repugnantiam, ut in Euchariſtia remaneant, & verificent ſimul myſterii veritatem, & Eccleſiæ definitiones.

II. probatur. Si de nominibus fiat ſermo, Concilia, & Patres potius utuntur nomine ſpecierum, quam accidentium; ergo nec etiam quoad nomina hypotheſis magnaniſtica Conciliis, & Patribus opponitur. Probatur antecedens. Nullum invenitur Concilium, quod nomen accidentium adhibeat, & non potius ſpecierum, niſi ſolum Conſtantienſe, narrans errorem Wicleſi, & ipſum errorem ſub iiſdem Wicleſi verbis damnans. Nullus etiam ex Patribus, qui antiqui eſſe debent Eccleſiæ Doctores, ut vere Patres dicantur, accidentis nomen uſurpavit, ſed tantum ſpeciei & ſpecierum: ergo etiam, ſi de nominibus ſermo fiat, hypotheſis magnaniſtica de ſpeciebus euchariſticis Conciliis, & Patribus non opponitur. Quod ſi Theologi, & Eccleſiæ etiam Doctores, accidentium nomine aliquando uſi ſunt, hoc eo tempore fuit, quo in Scholas ſyſtema peripateticū invectum fuit; unde Doctores hujuſcemodi non verbis Eccleſiæ, ſed verbis

bis Scholæ loquuti fuerunt. Et hæc etiam advertentia notanda est, quod quando accidentis nomen usurpant, in plurali loquuntur, non autem in singulari; dicentes nimirum sub accidentibus panis & vini, non vero sub accidente panis & vini: quando autem de speciebus verba faciunt, tam in plurali, quam in singulari, eas nominant; dicentes scilicet, sub speciebus panis & vini, & sub specie panis & vini. Quod quidem maxime observandum venit, ut non dicatur quæstionem de accidentibus, & speciebus esse quæstionem de solo nomine, ut clarius & latius in responsionibus ad argumenta in contrarium videbitur.

III. probatur. In speciebus eucharisticis, prout a P. Magnano explicantur, salvatur transubstantiationis substantia, ut ad veritatem mysterii requiritur; sed hoc sufficit, ut possint salva fide species eucharisticæ in hypothesi magnanistica sustineri: ergo &c. Probatur major. Transubstantiationis essentia in eo consistit, ut destruantur panis & vini substantiæ, & Christus, qui ipsarum loco succedit, reddatur sensibilis per ea, per quæ ante consecrationem reddebantur sensibiles substantiæ panis, & vini; sed hoc totum verificatur in speciebus eucharisticis, prout eas explicat P. Magnanus: ergo &c. Probatur minor. Certum est, quod in hypothesi magnanistica destruuntur substantiæ panis & vini; certum est etiam, quod quælibet substantia creata redditur sensibilis per actiones illas, per quas agit in sensus nostros, & quæ species objectivæ & intentionales vocantur; sed ita sunt species eucharisticæ, prout eas explicat P. Magnanus: ergo &c.

IV. probatur. In ipsamet Schola peripatetica admittuntur accidens *quod*, & accidens *quo*; primum est illud, quod substantiæ inhæret, & fit sensibile per accidens *quo*, quod proprie vocatur species, per quam fit sensibile accidens *quod*, quod proprie est accidens; sed per accidens *quo*, nimirum per speciem impressam, potest fieri sensibilis substantia absque eo quod admittatur accidens *quod*, quod vere reputatur superfluum ad sensibilitatem substantiæ: ergo ad sensibilitatem Eucharistiæ satis sunt species P. Magnani, absque eo quod admittantur accidentia aristotelica, utpote superflua & inutilia. Totum hoc argumentum clarissimum & ineluctabile redditur ex Epistola ejusdem P. Magnani, hucusque inedita, & quam ipse pro sui systematis explicatione & defensione conscripsit, & quam nos hoc in loco exscribimus ad verbum, & recitamus.

EPISTOLA

P. Emmanuelis Maignan Ordinis Minimorum.

De sensibilitate Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti per species.

„ CUm ex revelatis expresse ac
„ certo constent ea omnia, quæ
„ ad sanctissimi Sacramenti substantiã,
„ & essendi modos intrinsecos perti-
„ nent; negotium Theologorum fuit,
„ ut ejus perinde, atque aliorum my-
„ steriorum, extrinsecos modos co-
„ narentur explicare, ideſt humano,
„ quantum fieri posset, captui accom-
„ modare per naturales philosophiæ
„ rationes; quamquam de his rationi-
„ bus nihil fides in particulari doceat.
„ Ita supponendo, verbi gratia, tran-
„ substantiationem, quam expresse fi-
„ des docet, ad quæstionem, de mo-
„ do, quo fit: ut is, qui, ex hypothesi,
„ diu vescitur pane, ac vino consecra-
„ tis, nutritur substantialiter; non mi-
„ nus, quam si panem, & vinum, ut
„ naturaliter sunt, sumpsisset: respon-
„ dent alii aliter, secundum suam quis-
„ que propriam philosophicam senten-
„ tiam. Uni scilicet putant, istud quod
„ est sic nutriendi privilegium concedi
„ quantitati: alii autem e contra, cum
„ censeant id minime fieri posse, vo-
„ lunt substantiam eamdem, vel simi-
„ lem, & æqualem ei, quæ in pane, ac
„ vino consecratis præfuit, a Deo sub-
„ stitui ex vi institutionis Sacramenti,
„ nempe ad occultandum transubstan-
„ tiationis miraculum, ut fides in sum-
„ ptione Sacramenti locum habeat. Et
„ similiter ad quæstionẽ, quomodo fiat,

ut

Digitized by Google

„ ut corpus Chriſti, quod in Cœlo eſt
„ ad Patris dexteram, ſit præſens de-
„ novo in Altari ſub ſpeciebus panis:
„ Aliqui cenſent id per adductionem
„ fieri; alii per novum ubi; alii per no-
„ vam creationem; alii per illam ip-
„ ſam, qua primo creatum eſt. Neque
„ tamen in iſta quæſtione, vel in pri-
„ ma, vel ullis aliis ſimilibus, quiſquam
„ eſt, qui ſuum explicandi modum,
„ veluti rem de fide, proponat; ſed
„ ſolum ut rem ex principiis philoſo-
„ phicis veriſimilem. Et merito, quia
„ cum a Deo poſſit res una & eadem
„ fieri pluribus modis, non poteſt certo
„ cognoſci, quo eam determinate mo-
„ do fecerit Deus, niſi ipſe determinate
„ modum illum revelaverit.

„ Ita cum fuit quæſtio de explican-
„ da ſenſibilitate Sñi Sacramenti; hoc
„ eſt, quomodo, & per quid vere ac pro-
„ prie fiat, ut ſanctiſſimum Sacramen-
„ tum ſit ſenſibile: Vel quod in idem
„ cadit, quomodo fiat, ut ſpecies panis,
„ qui poſt conſecrationem amplius non
„ eſt, maneant nihilominus ut prius,
„ ad hoc ut ſub eis Chriſti corpus & ſit,
„ & manibus tractetur, & feratur de-
„ de loco in locum, ut manducetur &c.
„ Dum circa hoc agnitum eſt nomen
„ *ſpecierum*, & quidem ſolum, aut aliud
„ ei æquivalens, aut ſimile, celebre
„ eſſe in Patribus antiquis, atque etiam
„ in Conciliis ultimo celebratis, Late-
„ ranenſi, Florentino, ac Tridentino:
„ nec ullum tale reperiri Concilium,
„ in quo vel ſolum nominetur *Acciden-*
„ *tia*; niſi forte in Conſtantienſi: ſed
„ ibi revera ſic illa nominantur, ut non
„ Concilii ſermone, ſed Wicleſi ſolius
„ nominentur; dum ſcilicet hujus nude
„ referuntur articuli damnandi, & non
„ aliter: Dum, inquam, ſic fuit agni-
„ tum; exiſtimatum eſt ſenſibilitatem
„ Sacramenti explicatū iri non incon-
„ grue, dicendo ſanctiſſimum Sacra-
„ mentum, in quo veraciter Chriſti
„ corpus continetur ſub ſpeciebus panis
„ (& ita de ſanguine ſub ſpeciebus vini)
„ excluſa ejuſdem panis & vini tota
„ ſubſtantia, ſenſibile eſſe per idipſum,
„ & ſolum, per quod panis & ſimiliter
„ vinum, ante conſecrationem erat ve-
„ re ac proprie ſenſibilis, videlicet per
„ panis & vini propriam ſolamque
„ ſpeciem. „

„ Et quidem iſte dicendi modus
„ eo, in primis, viſus eſt congruentior
„ veritati rei, quo reperitur conformis
„ modo loquendi, quem ſolum antiqui
„ Patres omnes, ipſaque, ut dictum
„ eſt, Concilia uſurparunt; dum non
„ aliud ex parte panis retinuerunt, vel
„ remanere dixerunt, niſi ſpecies tan-
„ tum; dixerunt enim *ſolis*, vel *dumta-*
„ *xat remanentibus ſpeciebus*. Ubi, ut
„ perſpicuum eſt, particulæ excluſivæ
„ *ſolis*, & *dumtaxat*, ea penitus omnia
„ cenſendæ ſunt excludere, quæ revera
„ non ſunt ſpecies. Cum autem illa ſine
„ dubio, quę ad ſui ſenſationem indigent
„ propria ſui a ſe diſtincta ſpecie, cen-
„ ſenda ſint non eſſe re vera ſpecies
„ (prout ſcilicet philoſophice uſurpatur,
„ & intelligitur nomen ſpeciei, quan-
„ tum attinet ad negotium conſtituendi
„ formaliter ſenſibile) ne progreſſus in
„ eam infinitus in aſſignandis ſpecierum
„ ſpeciebus admittatur: viſum eſt ſequi
„ vi dictarum particularum *ſolis* &c. ex-
„ cludi quantitatem, & colorem, ac ſi-
„ miles; utpote quæ ad ſui ſenſibilita-
„ tem indigent ſpecie ſibi propria, a ſe
„ diſtincta: propterea namque (ideſt,
„ quia & ſic indigent) non cernuntur
„ noctu, defectu ſcilicet ſpeciei. Et cum
„ eatenus rationem ſpeciei proprie di-
„ ctæ habere nequeant; cenſenda per-
„ inde ſunt non poſſe conſtituere for-
„ maliter ſenſibile; puta panem forma-
„ liter ſenſibilem, vinum formaliter
„ ſenſibile &c.

„ Deinde viſus etiam eſt eo con-
„ gruentior modus iſte dicendi, ſum-
„ ptus univerſaliter ut excluſivus eo-
„ rum omnium, quæ, ut dictum eſt,
„ non ſunt re vera ſpecies; quod exem-
„ plum habet ſatis manifeſtum in inter-
„ na illa panis proprietate, qua is pro-
„ priam ſubſtantiam homini, qui ex
„ hypotheſi pane conſecrato diu veſci-
„ tur, ſubminiſtrat intime conjungen-
„ dam eidem ad ipſius nutritionem, &
„ augmentationem ſubſtantialem &c.
„ Cum enim hæc proprietas panis ne-
„ ceſſario, ut potius videtur, identifi-
„ cata ſit cum ipſa ſubſtantia panis (ut-
„ pote qui non per aliquid a ſe diſtin-
„ ctum incorporatur alito, nutritioni,
„ & augmentationi ſubſtantiali ſervit)
„ atque eatenus per tranſubſtantiatio-
„ nem, quoad ſe realiter excludatur;
„ ejus tamen poſt conſecrationem re-
„ manent ſpecies, ut ſuperius dicebā-
„ tur, quoad experimentalem ſenſibi-
„ litatem nutritionis ex pane conſecra-

„ to factæ, non aliter quam ex natura-
„ li pane. Unde facile est, ut constat,
„ proprietatem hanc panis esse talem,
„ ut non quoad se realiter, sed solum
„ quoad speciem sui sensibilem rema-
„ neat: & eatenus, ut non quidem re-
„ maneat panis vis nutritiva, sed sola
„ species panis nutritivi. Cum autem
„ ita res se habeat de vi substantialiter
„ nutriendi remanente, quoad solam
„ sui speciem, non autem quoad se;
„ non visum est incongruum, vel ab-
„ surdum, quod similiter de similibus
„ aliis panis proprietatibus dicatur.
„ Nam & assignantur non absimiles
„ aliæ panis proprietates, in sententia
„ diversorum Scholasticorum: ut apud
„ Arriagam, qui disput. 4. de Genera-
„ tione sect. 5. num. 75. &c. gravitatem
„ censet non distingui realiter a sub-
„ stantia, manet gravitas post conse-
„ crationem, non realiter, sed apparen-
„ ter: idest, remanet species panis ut
„ gravis. Et apud alios ob eamdem
„ rationem, species humidi, species
„ densi &c. Sic apud alios manet illa so-
„ la species panis quanti; prout hi quan-
„ titatem a substantia volunt non di-
„ stingui realiter. Et apud alios, qui co-
„ lorem hinc a substantia corporis quo-
„ ad superficiem sic vel sic asperam,
„ aut levigatam, sic vel sic porosam,
„ &c. Hinc a luce, quam eadem super-
„ ficies proprio suo, atque ab aliis di-
„ verso modo in oculum reflectit, non
„ distinguunt realiter; manet post con-
„ secrationem sola species panis albi.
„ Et apud alios, qui sapores non distin-
„ guunt a salibus cuique corpori pro-
„ priis insitis, manet panis ut sapidi so-
„ la species: & sic de aliis; adeo ut apud
„ Patrem Honoratum Fabri, quia sub-
„ stantiæ proprietates nullas, hoc est,
„ nulla, ut communiter vocantur, ac-
„ cidentia, distinguit a substantia, præ-
„ ter impetum impressum, & colorem;
„ dicendum sit remanere panis colorē
„ quidem, & impetum, sed panis ut
„ sapidi, ut quanti, ut gravis &c. solam
„ speciem. Hujusmodi namque pro-
„ prietates, prout hæ aut illæ sunt ex
„ hypothesi realiter a substantia indi-
„ stinctæ, quo ad sui esse physicum; ne-
„ cesse est per consecrationē recedere
„ cum substantia; & ut loquitur Arria-
„ ga, & remanere solum apparenter; id-
„ est quoad solam speciem sensibilem.

„ Tertio, modus hic dicendi eo
„ visus est esse congruentior, quo nihil
„ ei contrarium reperitur usque huc ab
„ Ecclesia definitum. Nam licet aliqui
„ Theologi modum illum dicendi, qui
„ quantitatem, colorem, aliaque hu-
„ jusmodi accidentia ponit remanere,
„ censuerint esse de fide: ipse tamen
„ D. Thomas (qui non minus profecto,
„ quam illi, scivit quid circa hoc esset
„ res fidei, quid autem solius philoso-
„ phiæ: præsertim cum optime nove-
„ rit vim verborum, *solis remanentibus*
„ *speciebus* in Lateran., cujus duas de-
„ cretales commentario illustravit o-
„ pusc. 23. & 24.) ubi voluit probare
„ accidentia remanere; non aliam ad
„ id probandum rationem adhibuit,
„ quam a sensibili apparentia 3. p. q. 35.
„ art. 5. *Respondeo*, inquit, *dicendum*,
„ *quod sensu apparet, facta consecratione,*
„ *omnia accidentia panis remanere*. Nec
„ alterius quicquam seu ibi, seu alibi
„ addit, quasi probaturus id esse de fi-
„ de: quamvis ipse, ut & alii Theolo-
„ gi communiter, ex principiis philo-
„ sophiæ, quam sequitur, existimet re-
„ manere ea accidentia.

„ Quarto, modus iste dicendi vi-
„ sus est eo congruentior, quo Theo-
„ logi omnes, etiam illi, qui tenent ea
„ accidentia, ipseque D. Thomas, dum
„ applicandam suscipiunt sensibilita-
„ tem hujus Sacramenti, utuntur indif-
„ criminatim voce accidentium, & vo-
„ ce specierum. Quod quidem nititium
„ esse potest non leve, significari nunc
„ nobis voce accidentium idem, quod
„ olim (ante scilicet susceptum in
„ Scholis Christianis Aristotelem) so-
„ la significabatur specierum voce.
„ Præsertim cum hæ ipsæ species re-
„ vera sint reales formæ, objectum,
„ cujus & a quo sunt, constituentes in
„ ratione sensibilis; idemque sint ejus-
„ dem accidentia realia; videlicet ac-
„ cidentia sensibilia *per se*, atque *ut quo*,
„ non autem per aliud, & *ut quod*, si-
„ cut ex supradictis est quantitas, & co-
„ lor &c., quæ indigent specie sui a se
„ distincta, per quam, seu qua median-
„ te, & non aliter, sub sensu cadunt;
„ propterea que sic sunt sensibilia, ut
„ possint vere ad sensum demonstrari,
„ dicendo de eorum quolibet, ac mul-
„ to magis de toto eorum omnium ag-
„ gregato *Hoc*; & similia; quo posito
„ necesse est, ut importent falsitatem
„ apertam in formula consecrationis;

„ *Hoc*

„ *Hoc eſt corpus meum*: nec enim ullum „ eorum, aut omnia ſimul ſumpta, ſunt „ corpus Chriſti. Quale tamen incommodum nullatenus reperiri poteſt in „ iis, quæ dictæ ſunt, ſpeciebus, & formis, & accidentibus per ſe tantum, „ & ut *Qua* ſenſibilibus; quia iſta ſic afficiunt ſenſus, ut non ſuo quaſi nomine afficiant, ſed ſolum nomine objecti, cujus, & a quo naturaliter ſunt; „ quatenus illa eidem ſunt id formale, „ quo viſus, aliique ſenſus ab ipſo afficiuntur: unde eſt ut non poſſint ipſæmet ullatenus ad ſenſum demonſtrari, dicendo de eis *Hoc*, ſicut de iis, „ quæ ſenſibilia ſunt ſolum per ſpecies „ a ſe diſtinctas, & ut *quod*.

„ Quinto, modus iſte dicendi videri potuit eo congruentior, quo D. „ Thomas eum uſurpat in re fere conſimili, ubi nimirum agitur de ſenſibilitate carnis, vel pueri apparentis „ miraculoſe in hoc Sacramento; & „ etiam ipſius Chriſti Domini apparentis *in alia effigie* (ut ait Matth. 18.) „ *diſcipulis euntibus in villam*, ſive in „ Emmaus. Nam 3. p. q. 76. art. 8. in „ corp. *Hoc contingit, ait, ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſſe viderent alterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum ..... Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in Magorum præſtigiis: quia talis ſpecies divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam; ad hoc ſcilicet, quod manifeſtetur vere corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento, ſicut etiam ipſe Chriſtus abſque deceptione apparuit diſcipulis euntibus in Emmaus* „ &c. Huic, inquam, D. Thomæ loquendi modo ſimilis eſt per omnia „ (ſi non omnino idem eſt) ille, quo „ ſuperius dicebatur: *Sanctiſſimum Sacramentum, in quo veraciter Chriſti Corpus continetur ſub ſpeciebus panis; & ita de ſanguine ſub ſpeciebus vini; excluſa ejuſdem panis, & vini tota ſubſtantia, ſenſibile eſſe per id ipſum, & ſolum, per quod panis (& ſimiliter vinum) ante conſecrationem erat vere & proprie ſenſibilis, videlicet per panis, ac vini propriam ſolamque ſpeciem*. Modus namque iſte in id reſolvitur totus, ut in eo ad inſtar & æque, ſicut in „ illo cogitetur Deus poſito per conſecrationem corpore Chriſti in locum „ panis, & ſanguine in locum vini, ſimulque amotis inde pane, & vino, „ immutet identidem oculos, alioſque „ ſenſus omnes, tali immutatione, ac ſi „ expreſſe ibidem exterius viderent, „ ac ſenſibus aliis perciperent panem, „ & vinum. Hanc vero immutationem „ faciat Deus agens in ſenſus nunc per „ ſe ſolum eo omni modo, quo prius „ agebat concurrens cum ipſo pane, ac „ vino: & quidem ſic agat non ſolum „ ad breve tempus aliquod arbitrarium, ſed inſuper (ex lege ſcilicet, „ quam ipſe inſtituens hoc Sacramentum, ſibi præſcripſit) toto eo tempore, quo ex vi agentium naturalium perſtitiſſent panis, & vinum. Neque hoc pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in Magorum „ præſtigiis: quia tales ſpecies divinitus formantur in oculo, & aliis ſenſibus ad veritatem figurandam; quæ „ eſt, vere corpus Chriſti, & ſanguinem eſſe ſub hoc Sacramento. Sicut „ etiam ipſe Chriſtus abſque deceptione apparuit diſcipulis euntibus in „ Emmaus. Nempe apparitio hæc, etſi „ facta non per propriam ſolitam Chriſti ſpeciem, fuit nihilominus abſque „ deceptione, quia fuit ad manifeſtandam ipſiuſmet perſonæ Chriſti veram „ realemque præſentiam. Sed quia per „ alienam ſpeciem, puta Peregrini, fiebat apparitio; idcirco ut eatenus *tenebantur*, ut ait Evangeliſta, *oculi „ eorum, ne eum agnoſcerent*: cum autem „ in fractione panis, *aperti ſunt oculi „ eorum, & agnoverunt eum*; id eatenus „ factum eſt, quatenus eis tunc dedit „ Chriſtus propriam ſolitam ſui ſpeciem: ac demum quod evanuit *ex „ oculis eorum*; id factum eſt, quia nullas tunc eis de ſe Chriſtus dedit ſpecies, neque ſcilicet propriam, neque „ alienam. Similiter autem oculi fidelium, ut cæteri ſenſus, *tenentur* ne „ Chriſtum in Sacramento tanquam „ ipſum agnoſcant; ſed tamen ut firmiter credant ipſumet ibi re vera eſſe; „ accipiunt ab eo ſimul cum ſpeciebus „ hinc panis, hinc vini, verum iſtud ipſius verbum, *Hoc eſt corpus meum*, ex „ quo firmatur omnino fides, quod ſub „ iiſdem ſpeciebus continetur verum „ Chriſti corpus, veruſque ſanguis.

„ Ex his porro licet intelligere, „ ſpecies euchariſticas, quibus juxta „ propoſitum hactenus dicendi modum „ cernitur exterius, panis eſt, qui vere

„ non

„ non est; & quibus eatenus fit sensibile Sacramentum; esse formas non minus veras, nec minus reales in genere physico essendi, nec minus a deceptione alienas, ac demum non minus idoneas, quam illæ sint, quibus mediantibus D. Thomas docet contigisse, vel fuisse factam apparitionem hinc pueri, vel carnis, in Sacramento, hinc ipsius Christi in via ad Emmaus. Quæ tamen omnia, sicut ingenue digessi quo melius potui modo, ita submitto libens judicio Sacræ Congregationis. Tolosæ hac die 2. Maji 1675. Ego Frater Emmanuel Maignanus, Minimus.„

Dicimus IV. Species panis & vini in Eucharistia, salvari non posse in hypothesi Cartesii, Gassendi, Callii, & aliorum, si qui sunt, recentium Philosophorum.

I. probatur Conclusio contra Cartesiū. Ex Cartesio nihil in Eucharistia remanet vere ex pane; sed hoc est contra fidei veritatem, & Ecclesiæ definitionem; ergo in hypothesi Cartesii species Eucharisticæ non bene explicantur. Probatur major. Secundum principia cartesiana remanent solum impressiones, quæ prius fiebant a pane & vino in aere, qui circa ipsos aderat; sed hæ impressiones nihil erant panis & vini, sed potius totæ erant aeris circumstantis: ergo in hypothesi cartesiana nihil remanet vere panis & vini. Vult enim Cartesius, quod unusquodque corpus imprimat speciem sui, seu imaginem, tanquam sigillum, aeri sibi circumstanti; & in hoc casu aer ille circumstans, quanvis retineat speciem corporis, nihil tamen re vera corporis habet; sicut imago Petri picta vel in tabula, vel in tela, nihil habet Petri, quanvis habeat Petri imaginem, illamque inspicientibus representet.

II. probatur contra Cartesium, qui asserit in Eucharistia post consecrationem remanere superficiem illam, quę erat media inter singulas particulas panis & vini, & corpora eas particulas ambientia: Superficies illa panis & vini ante consecrationem erat impenetrata cum substantiis panis & vini ex Cartesio, quia diversum locum occupabat: ergo destructa panis substantia, vel remanet locus vacuus, vel illum occupat aliud corpus; sed neutrum dici potest: ergo &c. Probatur minor. Non primum, quia juxta Cartesium non potest dari neque divinitus locus vacuus; neque secundum, quatenus aliud corpus non potest esse corpus Christi, quia hoc est inextensum, & non potest occupare locum extensum; neque alia corpora, quæ gratis admitterentur de novo producta, & sine aliquavis necessitate.

III. probatur contra eundem Cartesium. Superficies hæc vel pertinet ad panem, vel non? Si ad panem: ergo remanet aliquid substantiæ panis: si non ad panem: ergo nihil remanet panis. Unde restat, vel quod dicant Cartesiani, superficiem illam esse accidens peripateticum, vel esse substantiam. Utrumque autem est contra Cartesii principia, & ultimum contra fidei veritatem.

IV. probatur contra Gassendum. Gassendus putavit accidentia eucharistica esse substantiales quasdam tenuissimas, sive particulas aeris, furfuris pulveris, vel alterius materiæ, quæ latitabant intra poros panis & vini, & quæ illis ita erant permixtæ, ut totam substantiam panis & vini ex integro obvelarent; eo sane modo, quo particulæ ignitæ minutissimæ ita immiscentur ferro, ut totum obtegant, illudque rubrum undequaque exhibeant. Sicut igitur si divinitus sola ferri substantia in nihilum abiret, eodem situ particulæ igneæ remanentes, idem adhuc compareret ferrum candens, quod antea; ita destructa per miraculum tota substantia panis, in eodem situ remanentibus minutissimis illis corpusculis, idem adhuc apparet panis, qui antea. Hoc posito, sic reprobatur sententia Gassendi. Substantiæ illæ tenues vel essent a substantia panis diversæ, vel essent panis & vinum substantialiter; sed neutrum dici potest; ergo &c. Probatur minor. Si essent diversæ, nihil panis representarent; si non essent diversæ, aliquid panis remaneret; sed hoc est contra fidei veritatem, & Ecclesiæ definitionem: ergo &c.

V. probatur contra Gassendum. Si in Eucharistia remanerent particulæ illæ tenuissimæ, falsa redderetur forma consecrationis; sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur minor. Quia

præ-

Digitized by Google

prædicatum hujus propoſitionis *hoc eſt* non identificaretur cum ſubjecto: ergo propoſitio eſſet falſa. Probatur antecedens. Quia ſubjectum eſt pronomen *hoc*, quod ſignificaret duas ſubſtantias, ſcilicet corpus Chriſti, & ſubſtantias illas tenues; prædicatum vero, quod eſt corpus Chriſti, unicum tantum ſignificaret, quod eſt corpus Chriſti: ergo prædicatum non identificaretur cum ſubjecto: ergo propoſitio eſſet falſa.

VI. probatur contra Callium argumento P. Boucat, quod ipſe vocat efficaciſſimum, & ſub his verbis proponit: *Illud ſyſtema abnuendum eſt, in quo utique exſufflatur tranſubſtantiatio; Atqui tranſubſtantiatio in Callii ſyſtemate deſtruitur. Ergo &c. Probatur minor. Facta conſecratione juxta iſtius Auctoris opinionem, remanet panis & vinum, quandoquidem adeſt utriuſque ſubſtantiæ nedum materia, ſed & forma: Ergo &c. Jam iſtud probatur antecedens. Ex Callio materia non poteſt eſſe ſine aliqua partium ſuarum diſpoſitione, ſine ſitu, textura, configuratione, & Corpora eatenus ſolum differunt, quatenus diverſas habent mechanicas affectiones, nec ulla datur in corporibus præter mechanicas illas diſpoſitiones: Atqui poſt conſecrationem remanent eædem mechanicæ affectiones, eadem partium figura, idem ſitus, eadem configuratio, quæ ſunt eſſentia corporis ſecundum Callium: Igitur non modo manet materia panis & vini, ſed & utriuſque forma, ſicque non fit tranſubſtantiatio in explicatione Callii. Non dicat Callius, animam rationalem informare materiam panis & vini, & per illam unionem ſubſtantialem non amplius remanere formam panis & vini, nam cum hæc materia ex Callio ſemper eaſdem ſervet affectiones mechanicas, vi unionis, non converteretur panis & vinum, nec auferetur materia & forma panis & vini. Erit quidem Chriſti Corpus, ſed erit etiam verus panis, & vinum purum. Sicut enim ex eo quod in Incarnatione caro unita fuerit & cum anima rationali Chriſti, & cum natura ac perſona divina, non ideo converſa fuit caro, ſed vera tranſiit caro; ita ex eo præciſe quod panis & vinum unirentur in unitate naturæ cum anima rationali, & in unitate Perſonæ cum Verbo, non ideo fieret converſio panis & vini; ſed verus panis, verumque vinum debent remanere, licet ſubſtantialiter unita ſint animæ rationali, & Verbo divino: Ergo remanent ſemper materia ſimul & forma panis & vini, adeoque tranſubſtantiationem deſtruit ipſa Callii opinio. Ergo &c.*

Arguunt I. Species in Syſtemate P. Magnani opponuntur doctrinæ Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 8. damnantis propoſitionem Wiclefi: *Accidentia panis & vini non manent in eodem Sacramento ſine ſubjecto.* II. opponuntur Catechiſmo Concilii Tridentini docenti, accidentia panis & vini nullo ſubjecto inhærere; ſic enim ait par. 2. num. 43. *Tertium reſtat, quod hoc Sacramento maximum atque mirabile videtur; panis videlicet, & vini ſpecies in hoc Sacramento ſine aliqua re ſubjecta conſtare; nam cum antea demonſtratum ſit corpus Domini & ſanguinem vere in hoc Sacramento eſſe, ita ut nulla amplius ſubſit panis & vini ſubſtantia: Quoniam ea accidentia Chriſti corpori & ſanguini inhærere non poſſunt: relinquitur ut ſupra naturæ ordinem ipſa ſe nulla alia re niſa ſuſtentent. Hæc perpetua & conſtans fuit Eccleſiæ Catholicæ doctrina.* III. Secundum doctrinam P. Magnani in Euchariſtia nihil remanet; ſed hoc eſt contra naturam tranſubſtantiationis: ergo &c. Probatur minor. Non remanet ſubſtantia, ut conceditur; non remanent ſpecies, quia hæ ſaltem numero ſunt mutatæ. IV. In ſyſtemate eodem multiplicantur miracula ſine neceſſitate; ſed hoc fieri non debet: ergo &c. Probatur major. Si accidentia nihil aliud ſunt juxta Magnanum, quam impreſſiones divinitus factæ in ſenſibus noſtris, ſequitur quod tot erunt admittenda miracula, quot erunt homines unam videntes hoſtiam, & aſpicientes; immo tot miracula in uno homine patrari neceſſe eſt, quot diverſæ in diverſis ſenſibus impreſſiones fiunt: igitur miracula ſine neceſſitate in hoc Syſtemate multiplicantur. Et hic eſt diſcurſus prædicti Pat. Boucat. V. in hoſtia conſecrata debet remanere aliquid, quod frangatur; ſed in hac hypotheſi nihil remanet, quod frangatur, niſi dicatur remanere quantitatem panis, quæ eſt accidens abſolutum, ſine proprio ſubjecto, quæ remanere debet, & de

qua

qua verificetur, quod frangatur. VI. Accidentia, quæ remanent in Eucharistia, debent habere proprietates, quas non habent species P. Magnani, & habent accidentia peripatetica; & probatur ab eodem P. Boucat. *Accidentia secundum communem opinionem primo possunt agere, & immutare externa corpora: Secundo, corrumpi valent: Tertio, ex iis vermes generari possunt: Quarto, nutrire queunt: at quomodo id præstarent accidentia ab Auctore excogitata, quæ non sunt nisi meræ impressiones in sensibus nostris; quasi vero impressiones nutrirent, & ex eisdem vermes generarentur.*

Respondemus ad I. distinguendo propositionem illam; & Concilium loquitur verbis Wiclefi, quem damnat; conceditur; & Concilium loquitur verbis propriis & suis; & negatur. „ Re vera, ait P. Saguens, „ Multum discriminis est inter modum „ loquendi usurpatum a Concilio, rem „ aliquam Fidei decernente, & alium „ loquendi modum usurpatum ab Hæ„ retico errante in re Fidei: prior enim „ merito censetur proponi tanquam „ sacer & amplectendus, at è contra „ posterior tanquam prophanus & vi„ tandus. Quare verius ego inferrem „ ex Concilio Constantiensi damnante „ articulum prædictum secundum Wi„ clefi, *Accidentia non manent sine sub„ stantia in eodem Sacramento*, reproba„ tum, & damnatum fuisse. simul cum „ hæresi in illo contenta; modum eam „ exprimendi per substitutionem re„ centissimi nominis *accidentium*, loco „ alterius antiquissimi *specierum*. Ergo „ ex hoc capite saltem Concilium „ Constantiense non exposuit nomen „ istud per illud, quia illud a se ipso „ non usurpavit; sed potius damnavit „ tanquam ab Hæretico usurpatum; „ Præterquamquod, si voluisset Con„ cilium Constantiense, approbando „ modum loquendi Wiclefianum, ex„ plicare, aut sic explicandum propo„ nere nomen *specierum* per nomen „ *accidentium*, neque id ignorassent „ Patres Concilii Florentini, annis tan„ tum post viginti quatuor celebrati; „ neque restituissent nomen specierum, „ spreto nomine accidentium, neque „ tandem imitatores ejusdem suæ lo„ cutionis habuissent eos, a quibus lon„ ge post celebratum fuit Concilium „ Tridentinum, in quo ad majorem „ cautelam, ac strictiorem exclusio„ nem realitatum omnium in pane & „ vino præexistentium, non tantum de„ cernitur species panis & vini manere „ sed species, *duntaxat*; ut hinc intel„ ligatur, nihil post factam transubstan„ tiationem manere, quod non sit spe„ cies: at accidentia, ut sæpius proba„ tum est, vel non sunt species, vel „ non sunt species duntaxat, quia vel „ non sentiuntur, vel emittunt suas „ species, & sic sunt aliquid præter „ species. „

Ad II. idem P. Saugens respondet verbis „ hisce, „ Respondeo, neminem hactenus „ fuisse, qui Catechismo Romano parem „ a Concilio Tridentino pro determi„ nandis rebus Fidei authoritatem tri„ buendam esse, duxerit: quare saltem „ non erit articulus fidei id, quod pro„ bant, aut probare se putant Adver„ sarii, intelligenda esse per *Species* Cõ„ cilii Tridentini *Accidentia* Scholæ „ Peripateticæ. Et revera Theologi „ communiter affirmant authoritatem „ Cathechismi Romani non excedere „ illam, quæ gravibus Doctoribus tri„ buitur, exponendo res fidei; quapro„ pter assumunt sibi, ut assumendam „ putant, licentiam impugnandi non „ pauca, quæ in prædicto Catechismo „ docentur spectantia ad disputationes „ Scholasticas, sive de Sacramentis, „ sive de auxiliis divinis &c. Præter„ quamquod mens Concilii Tridentini „ hæc fuit, ut per Catechismum, cujus „ editionem decernebat, veritates ca„ tholicæ explicarentur fidelibus popu„ lis modo, non qui subtilior, sed „ qui facilior esset, & accommoda„ tior ad eas persuadendas; quare opus „ fuit eas exponere juxta eum loquendi „ modum, qui in populis erat vulgatior, „ & ad communiores hominum tunc „ temporis philosophantium opiniones „ magis accedens: hinc factum est, ut „ Catechismus Romanus *Species* voca„ verit aliter *Accidentia*, quia sic com„ munius vocabantur. Neque tamen „ in hoc commutando vocabulo veri„ tati ullatenus præjudicavit; species „ enim, quas duntaxat manere Conci„ lium Tridentinum definiit, sunt vere „ accidentia, eaque omnino realia, sed „ omnino distincta ab illis, quæ in Scho„ la Aristotelis admittuntur: sicque „ con-

Digitized by Google

„ controverſia noſtra non eſt de nomi-
„ ne *Accidentium*, ut vides, ſed de re,
„ per nomen illud intelligenda. Unde
„ tandem nihil ex Catechiſmo jam to-
„ tieſ laudato probatur, niſi ſpecies eu-
„ chariſticas poſſe vocari accidentia,
„ ſed certe non probatur eas eſſe acci-
„ dentia, qualia olim Ariſtoteles finxit,
„ eademque tunc ficta, nunc pro veris
„ plebs Ariſtotelica recipit: certe ſacra
„ Scriptura, ut ſe captui noſtro accom-
„ modet, dicit tres viros apparuiſſe
„ Abrahæ in Convalle Mambre, qui
„ nihilominus erant tres Angeli, non
„ autem tres viri, multo minus tres
„ tales viri: potuerunt ergo ſimiliter,
„ imo, ſi volueris, debuerunt *Species*
„ vocari *Accidentia*; ſed hinc non ſe-
„ quitur, eas talia eſſe accidentia, pro
„ quibus Ariſtotelici certant. Igitur,
„ quod probandum ac explicandum
„ toto hoc articulo propoſueram, nihil
„ ex ſacris Conciliis afferri poteſt veri
„ ac ſolidi, quo vel ſatis inſinuetur
„ ſpecies euchariſticas accipiendas eſſe
„ pro accidentibus quantitatis, gravi-
„ tatis, coloris &c. Neque tandem vi-
„ deo cur non potius omiſerint Adver-
„ ſarii mentionem Concilii Colonien-
„ ſis, quod neque niſi Provinciale fuit,
„ neque fuit approbatum, neque niſi
„ exponendo, minime autem decer-
„ nendo, pronunciavit *Accidentia*. At
„ expoſitio conciliaris, etiam approba-
„ ta Decreti, non facit rem de fide pe-
„ tinde ac Decretum, ut apud Cano-
„ niſtas convenitur: quare non immo-
„ ror pergoque ad alia. „

Ad III. Si ſemel verificetur, quod poſt conſecrationem panis remaneat in Euchariſtia eadem ſimilitudo ejuſdem panis ut quanti, ut gravis, ut colorati, ut figurati &c. Illico verificabitur etiam, quod remaneant ſpecies omnino eædem, quæ præerant ante conſecrationem. Quod quidem per hæc verba explicatur & confirmatur ab Authore præcitato: *In omni actione, per quam objectum ſe repreſentat quantum, grave, coloratum, figuratum &c. Attendendam eſſe & actionem ipſam, quæ eſt actio extendendi, gravitandi, colorandi, figurandi, &c. Et ſimilitudinem objectivam tali actione expreſſam: in qua utique ſimilitudine ſic expreſſa vere ac ſtricte conſiſtit idea ſpeciei objectivæ. Quare dummodo verificetur remanere poſt conſecrationem panis v. g. euchariſtici eandem ſimilitudinem ejuſdem panis ut quanti, ut gravis, ut colorati, ut figurati &c. nunquid non verificabitur remanere ſpecies omnino eaſdem, quæ præerant? At illud ita verificatur, ut ad ſenſum viſus, tactus &c. Omnino pateat, ſicuti patere neceſſe eſt ad occultationem myſterii. Præterquamquod ſi ſupradictæ actiones extendendi, gravandi, figurandi &c. attenduntur rurſus ſecundum impreſſiones, quas progignunt in effluviis permeantibus, aut in mediis permeatis, aut tandem in potentiis, in quibus ſenſationem convenientem perficiunt; comperietur rurſus impreſſiones illas omnino eaſdem remanere: nam v. g. ſive panis lucem reflectat, ſive Chriſtus vice panis, eadem eſt, & ejuſdem potentiæ viſivæ immutatio. Quare non alia eſt differentia, quam principii agentis, aut naturalis, quod eſt panis, aut ſupernaturalis, quod eſt Chriſtus: imo quia Chriſtus id agit in quantum Deus; Deus autem antea concurrebat ſimul cum pane ad prædictam lucis reflexionem &c. Supereſt id tantum ex parte principii reflexivi eſſe diſcriminis, quod Deus ſolus id præſtet, quod præſtaret ſimul cum pane, ſi adeſſet. Itaque gratis ab Adverſariis inculpamur, quaſi juxta noſtram ſententiam non remaneant eædem ſpecies panis; cum non poſſint remanere magis eædem, quam quo jam dictum eſt modo; & juxta quem ſimul evidenter non remanet ſubiectum earum naturale, quod erat panis non conſecratus. Ergo remanent eædem, & nihilominus earum ſubiectum naturale non remanet: hoc autem utrumque nonne ſufficit ad verificandam infallibilitatem Decretorum Conciliarium de remanentia ſpecierum abſque ſuis ſubjectis?*

Ad IV. dicitur, quod miracula fiunt ex parte agentis, non autem ex parte recipientis impreſſiones illas, de quibus loquimur. Agens autem quia agit loco panis, & impreſſiones illas immittit, quas panis, quando aderat, immittebat, unus eſt, nempe ſolus Chriſtus; adeoque unum miraculum ipſemet operatur, immittendo ſcilicet impreſſiones, quas deberet immittere panis, ſi adeſſet: idem dicitur de vino, ſi adeſſet. Accipientes autem impreſſiones, etſi in magno numero ſint, non multiplicant tamen miracula, quia eundem agendi mo-

Digitized by Google

dum tam cum uno, quam cum multis operatur Christus, species illas, seu impressiones, loco panis immittens.

Ad V. dicitur, quod sicut verificatur carnem Christi esse verum cibum, & sanguinem Christi esse verum potum, quanvis status Christi opponatur manducabilitati & potabilitati veris: ita etiam verificabitur corpus Christi esse verum corpus, quanvis opponatur divisibilitati, frangibilitati &c. Quibus subjacent hostiæ consecratæ. Quod præcitatus Author sic prosequitur. „ Nam nunquid ex fine, ad „ quem Sacramentum eucharisticum „ ordinatur, opus est carnem Christi „ esse verum cibum, & sanguinem ejus„ dem Christi esse verum potum? Opus „ certe est; alias non verificabitur, quod „ Christus dixit: *Caro mea vere est cibus „ & sanguis meus vere est potus*. At si „ hoc unum, alterumque verificatur; „ ideſt, si status Christi eucharisticus „ non oponitur manducabilitati & po„ tabilitati prædictis, quare opponetur „ divisibilitati, frangilitati, lacerabi„ litati &c. Quibus subjacent hostiæ „ consecratæ? Sed neque opponetur „ activitati idoneæ ad sensus nostros „ afficiendos; quia, ut patet ex formis „ consecratoriis, corpus & sanguis Chri„ sti exigunt demonstrari ad sensus, „ nempe sub speciebus panis & vini; de„ monstrari autem non possiunt, nisi „ per sensuum affectionem: ergo &c.„

Ad VI. dicitur, quod quæ fiunt per accidentia peripatetica, prout in objectione enarrantur, Magnanistæ dicunt fieri a Christo agente loco panis per impressiones illas, seu species, quas panis immitteret, si adesset, & quas quando non adest, supplet ad occultandum miraculum, & immittit Christus. Unde S. Anselmus tract. de Sacram. Corp. & Sang. Domini docet; in Sacramento Eucharistiæ *esse substantiã dominici corporis, sed absque visibili specie sua: & e contra esse visibilem speciem panis, absque ejus substantia*. Quæ verba exponens P. Saguens, ait: *Sic enim argumentando ad hominem, dico S. Anselmum hic intellexisse sub uno vocabulo speciei, vel species reales, quas tuetur Respondens, vel intentionales quas tueor: at non intellexit priores: alioquin, sicuti juxta mentem Respondentis manent in Eucharistia accidentia panis & vini absque suis substantiis, sic in eadem Eucharistia maneret corpus Christi, absque suis accidentibus, quod non admittet. Ergo intellexit posteriores, ad hoc ut sensus sit, adesse in Sacramento eucharistico actiones objectivas tum panis, tam vini absentis; & e contra non adesse species ullas objectivas proprias corporis Christi præsentis: unde accidit adesse Christum, & non videri; & e contra videri panem ac vinum, quamvis non adsint. Atque hæc pauciſſima verba S. Anselmi, si bene perpendantur, complectuntur universam, quam propugnamus doctrinam de speciebus panis & vini* Solis *manentibus*.

Objiciunt pro Gassendo ejusque sequacibus I. Substantiæ illæ, quæ includuntur in hostiæ foris, non sunt hostiæ substantia: ergo non importantur per pronomen *Hoc*: ergo non est inconveniens, quod in Christi corpus non convertantur. II. Pro Cartesio: superficies illæ, in quibus consistunt species cartesianæ, nec pariter sunt demonstrabiles per pronomen *hoc*: ergo nec pariter convertuntur. Consequentia sequitur, quia vox illa *hoc* demonstrat tantum substantiam solidam, scilicet panis ante consecrationem, & corporis Christi post consecrationem; velut si quis diceret hoc est aqua, demonstrando vas plenum aqua. III. Post consecrationem eadem est superficies corporis Christi, ac erat superficies panis non consecrati: ergo eodem modo sensus afficit post consecrationem, quo antea.

Respondemus ad I. quod illud omne importetur per pronomen *hoc*, quod est apta materia ad consecrationem; sed substantiolæ illæ sunt apta materia ad consecrationem: & probatur; quia vel sunt aliquid panis & vini, & sunt apta materia ad consecrationē; vel sunt nihil panis & vini, & sic non possunt representare panem & vinum. Ulterius; quicquid demonstratur, vel directe, vel indirecte, per pronomen *hoc*, est apta materia ad consecrationem; sed substantiæ illæ tenues, vel directe, vel indirecte, demonstrantur per pronomen *hoc*: ergo sunt materia apta ad consecrationem; quod tamen, Adversarii non concedunt.

Ad II. dicitur, quod superficies illæ licet careant profunditate, vere tamen sunt demonstrabiles, quia constant du-

Digitized by Google

duplici dimensione, longitudine scilicet, & latitudine; quod sufficit, quia secundum profunditatem non est demonstrabilis, donec penetretur, nec visibilis, donec opacacitatem deserat, & diaphana fiat.

Ad III. superficies corporis, secundum Cartesianos, est a corpore realiter indistincta; unde mirum est, quod Cartesiani, qui negant entitatulas aristotelicas posse a substantia separari, modo inducantur ut dicant, modum posse divinitus a subjecto separari.

DISSERTATIO CCCCXVI.

De adoratione Christi in Eucharistia. Qui fidei hostes adorationem Christi in Eucharistia negarunt? Quæ Catholicorum argumenta, quibus eadem adoratio vindicatur? An extra sacrificium reservari possit Eucharistia, ut ad adorationem proponatur? Vel ut fidelibus ministretur? Vel ut ad absentes, præcipue infirmos, deferatur?

INter fidei hostes, qui Christi adorationē in Eucharistia denegarunt, primo loco ponimus Gentiles; qui, ut diximus, Christianorum fidei circa Eucharistiam, non apertam, sed confusam, habuerunt notitiam, & iisdem Christianis crimini vertebant adorationem, quam ab iisdem Eucharistiæ exhiberi audierant. Unde Maximus, Maudaurensis, Idololatra, Augustino scribebat, ut videre est in epist. 43. inter illas ejusdem Augustini; *Quæso, vir sapientissime .... ipsa re approbes, quis sit iste Deus, quem vobis Christiani quasi proprium vendicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis?* Postquæ, Christianorum praxi, qui sacra sua in occulto faciebant, opponit Idololatras, qui in aperto numina sua venerabantur, dicens: *Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos, atque aures omnium mortalium, iis precibus adoramus, & per suas hostias propitios nobis efficimus, & a cunctis hæc cerni & probari contendimus.*

Secundo, errarunt Philosophi, quibus displicuit hæc Christi adoratio in Eucharistia; proinde de Averroe refertur, quod illi quum præ omnibus sectis Christiana placeret, in hoc tamen displicebat, quod Christiani Christum Deum suum adorarent, & manducarent. Unde apud Espenceum, dicebat: *Sed quoniam Christiani Deum suum, quem adorant, etiam devorant, moriatur anima mea cum animabus Philosophorum.*

Tertio, Judæi impie asserunt, Christianos esse idololatras, quia procumbentes ante Eucharistiam, illam, quam creaturam dicunt, profundissime adorant.

Quarto, Ariani, qui Christi divinitatem negabant, Eucharistiæ quoque adorationem inficiebantur. Etsi enim faterentur, Christum substantialiter in Eucharistia contineri, illi tamen Latriæ cultum, quod creaturam crederent, non concedebant.

Quinto, Nestoriani, quia Christo divinitatem negabant, Christo etiam in

Eucharistia debitũ Latriæ cultũ non admittebant. Unde Nestorius dicebat apud Cyrillum: *Audite, attendentes verba*, Qui manducat carnem meam &c. *Memores estote, quod de carne sermo est, quod non a me carnis nomen adjectum est; ne videar sinistre interpretari. Non ait*, Qui manducat meam divinitatem; sed qui manducat me; *Qui manducaturus divinitatem, an carnem?* Ad quæ verba sic reponit Cyrillus. *Unionis modum destruit ut commune inveniatur Christi corpus, non jam Verbi omnia vivificare volentis proprium.... Quoniam minime editur divinitatis natura, propter hoc commune dixerit quis sanctum Christi Corpus? Scire autem operæ pretium est, quod proprium est corpus Verbi, quod omnia vivificat.*

Sexto, Donatistæ, sunt qui dicunt, quod absolute negaverint adorationem Christi in Eucharistia; & sunt qui dicunt, quod negaverint adorationem Christi in Eucharistia, quam Catholici conficiebant, quia falso arbitrabantur, ratam & validam non esse Eucharistiam, quæ extra suam Sectam conficiebatur. Utrique pro sua opinione asserunt contra eosdem hæc Optati Milevitani verba lib. 2. contra Parmenianum Donatistam: *Episcopis eorum* (Donatistarum) *jubentibus & præsentibus, Catholici diaconi super altare occisi.... Omnia sacro-sancta ab eorum Episcopis violata, Eucharistia canibus fundi, projicique juxta canes, non sine divini judicii signo, accensi rabie, Dominos suos quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice ut ignotos, & inimicos dentes laniarant.*

Septimo, Græcis Schismaticis a quibusdam imponitur, quod Eucharistiam non adorent. Hoc autem, si verum est, de illa tantum Eucharistia Græci intelligunt, quæ in azymo fit, & quam proinde invalidam, quanvis falso, supponunt. Unde in Concilio Florentino, cui Græci interfuerunt, definitum est: *Definimus, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici,*

Octavo, Berengarius, Calvinus, Zuinglius, aliique omnes Sacramentarii, nos omnes Catholicos Idololatras vocant, ex eo quod Eucharistiæ consecratæ adorationem exhibeamus; ipsi enim, ut dictum est, in Eucharistia Christum substantialiter non recognoscunt, sed merum panem, & merum vinum.

Nono, Lutherus adorationem Eucharistiæ primo dixit indifferentem, secundo dixit necessariam, tertio illam admisit in sacrificio, sed non extra sacrificium, quarto etiam in sacrificio noluit hostiæ consecratæ elevationem, ne adstantes ad adorationem ejusdem provocaret.

Decimo, Melanchton voluit, Christum in pane non esse corporaliter præsentem omni tempore, sed tantum quando ipsum fideles sumunt in Communionis actu; Et hæc est disciplina, quã Viclebergenses & Lipsienses amplexati sunt, & quam modo, ubique fere, Lutherani omnes sequuntur.

Dicimus I. Adorationem Christi in Eucharistia sufficientissime probari Traditione, & Ratione.

I. probatur prõ Traditione testimonio Chrysostomi in Ecclesia Orientali hom. 28. ad populum Antiochenum: *Tempore, mi frater charissime, non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant; habent sibi tempus ad id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes movere Reges consueverunt, eoque arboris genere misericordiam humanitatemque commemorant; Sic Angeli tunc pro ramis oleaginis ipsum Domini corpus protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant; Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem oppeteres, animam in cruce efflares; Pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem; pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.* Idem his aliis verbis confirmat S. Doctor homil. 1. in hæc Isaiæ verba *Vidi Dominum: non cogitas, quod Angeli huic stupendæ assistant mensæ, & hanc cum reverentia circumvallant? Verum tu iste non cogitas, quoniam, ea quæ in theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt, & ideo quæ illic geruntur, in Ecclesia ritus indutis.* Idem lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. sic comprobat: *Quum ante ille & Spiritum Sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore ac reverentia plenissimum per-*

Digitized by Google

perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato.... Angeli Sacerdoti assident, & Cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Post Chrysostomum citantur pariter Cyrillus Hierosolymitanus, qui Catechesi 5. mystagogica præcipit illos, qui Eucharistiam sunt suscepturi, accedant *proni, & adorationis in modum.* Gregorius Nazianzenus, qui in oratione funebri sororis suæ germanæ, Gorgoniæ, asserit, illam fuisse solitam procumbere coram altari, *ipsumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocasse.* Theodoretus, Episcopus Cyrensis, Dialogo 2. qui inscribitur *Inconfusus*, scribit: *Symbola mystica..... quæ intelliguntur ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur.*

II. probatur ex usu Græcorum, qui etiãnum hodie in Missis, secundum Chrysostomi Liturgiam, inclinatis in terram capitibus, sacram Eucharistiam adorant, & fidelibus præcipiunt, ut idem ipsi faciant: & hæc sunt verba Liturgiæ: *Sacerdotes sequuntur Diaconũ, & vadunt ad oblationem. Et capitibus in terram ter inclinatis, sumunt hic quidem corpus, ille sanguinem. Et paulo post Diaconus exclamat, Capita vestra Deo inclinate; Sacerdos orat, cælitus respice, Domine, ad servos tuos inclinantes tibi sua capita. Non enim inclinaverunt carni & sanguini, sed tibi metuendo & humano Deo. Et, attende Domine Jesu Christe Deus noster de de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui in excelsis una cum Patre sedes, & hic nobiscum invisibiliter ades &c.* Insuper hoc ipsum intelligit idem S. Doctor homil. 3. in epist. ad Ephesios: *Hic dum profertur sacrificium, ante lata est hostia, Christus, idest, ovis dominica immolatur: quando audieritis (oremus omnes communiter) cum vela videris, & bifores adyti valvas subductis repagulis retrahi, & aperiri, tunc tecum reputa cœlum superne deduci, & reserari, & Angelos descendere cogita.*

III. probatur ex Traditione Occidentalis Ecclesiæ. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. ad illa verba Psalm. *Adorate scabellum pedum ejus*, hæc habet, *Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi*, QUAM HODIE QUOQUE IN MYSTERIIS ADORAMUS, *& quam Apostoli Jesu adorarunt.* Augustinus Epist. 120. ad Honoratum, exponens hæc verba, *manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ*; hæc scripsit cap. 27. *Divites terræ superbos intelligere debemus, si recte superius pauperes humiles intelligebamus.... Neque enim frustra ita distincti sunt ut de pauperibus supra diceretur (Edent pauperes, & saturabuntur) hic vero (manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ) & ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus.* SED ADORANT TANTUM, *non etiam saturantur, quia non imitantur.* Idem S. Doctor in Psalm. 98. hæc ait: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit,*

IV. probatur Ratione, quam affert Jueninus in Commentario dissert. 4. de Eucharistia uti est Sacramentum q. 4. §. 2. sub his verbis: „ Christi corpus „ hypostatice Verbo unitum est: ergo „ debetur illi latriæ cultus, ubicumque „ extiterit; Ergo cum substantialiter „ sit in Eucharistia, non tantum dum „ Liturgia celebratur, ut Luthero placuit, non tantum in actuali illius sumptione a fidelibus, ut docuit Melanctou, sed donec panis & vini species „ conservantur, ipsi, donec hujusmodi „ species evanuerint, latriæ cultus exhibendus est. Tanti roboris visum „ est etiam Melanctoni, hoc argu„ gumentum, ut adorationem donis „ consecratis denegare non potuerit, „ quin evangelica verba, *Hoc est corpus „ meum*, detorserit in hunc sensum, „ *Hoc erit corpus meum*, cum nempe „ quis ipsum actu sumet. „

Opponunt I. Non est credendum Chrysostomo, qui ait, se vidisse Angelos altaribus assistentes: ergo verba Chrysostomi nihil probant. II. Christus præcepit usum Eucharistiæ fidelibus, sed non adorationem. III. Apostoli, quando Christus iisdem Eucharistiam ministravit, eidem non exhibuerunt latriæ cultũ, quia ad latus inclinati accumbembant mensæ, in qua Christus Eucharistiam porrigebat, quod non

est

est reverentiæ,& multo minus adorationis signum. IV. Nestorius fuit dictus a Cyrillo idololatra, quia Christi humanitatem latriæ cultu adorabat: ergo licet Christi corpus sit præsens substantialiter in Eucharistia,non est tamen latriæ cultu adorandum. V. Non debetur creaturæ latriæ cultus;sed nomine Sacramenti, cui Concilium Tridentinum latriæ cultum præscribit, intelliguntur species panis & vini; quæ sunt creaturæ: ergo &c. VI. Quando Eucharistiæ Sacramento latriæ cultus exhibetur, in dubio apud conspicientes remanet: An cultus ille exhibeatur Christo, vel speciebus panis & vini: ergo ut evitetur hoc scandalum, Eucharistiæ Sacramento exhibendus non est latriæ cultus.

Respondemus ad I. Quod Chrysostomus illud, quod asserit de Angelis assistentibus, alieno testimonio confirmat, dicens: *Ego vero commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret senem quemdam, virum admirabilem, & cui multa revelationum mysteria divinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a Deo esse, ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) candidis vestibus indutorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat. Id quod facile mihi persuadeo. Item & alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, Spiritum efflaturi, & ab Angelis ipsos satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc recta in Cœlum abducantur.* Ad quæ addit Jueninus citatus: „ Præterea, si Angeli „ sacræ mensæ adorantes adsint, scopum attingimus nostrum, in Ecclesia „ nimirum Constantinopolitana, cui „ Chrysostomus præerat, credidisse fideles cum sapientissimo suo Præsule, „ Eucharistiæ consecratæ adorationem „ deberi; audiisset quippe ut idololatra, si Angelos ob sui gregis oculos „ posuisset tanquã qui adorarent quod, „ ex adversariis, revera non erat adorandum? „

Ad II. Hoc ipso quod Christus præcepit Apostolis ut crederent sub speciebus panis & vini esse verum suum corpus, & verum sanguinem; præcepit quoque, ut utrumque vero latriæ cultu adorarent; quo quidem cultu suum corpus & sanguinem adorare tenebantur, ubicumque reperiretur.

Ad III. Quia antiquis temporibus, qui Eucharistiam suscipiebant non eodem prorsus situ componebantur, alii enim stantes sumebant, alii genuflexi, alii etiam sedentes; hinc est quod non potest certa ratio desumi pro statuenda adoratione, quæ Eucharistiæ debetur a situ illorum, qui ad eam sumendam accedebant.

Ad IV. Ideo Cyrillus arguebat Nestorium Eucharistiam adorantem uti Idololatram, quia Nestorius non admittebat substantialem, sed tantum accidentalem unionem humanitatis Christi cum Verbo. Et quia hoc pariter modo juxta Nestorium debebat esse in Eucharistia, & hoc modo humanitati Christi adoratio latriæ non debebatur; inde est quod nec etiam juxta Nestorii principia eadem adoratio Eucharistiæ concedenda erat. Unde pro hoc usurpant Theologi S. Anastasii verba, quæ scripsit in Epist. ad Adelphium: *Non creaturam, absit: in Ethnicos, & Arianos istiusmodi delictum competit: sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Dei Verbum, adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum; attamen Dei corpus effecta est, neque hujusmodi corpus seorsim discriminatum a Verbo adoratione prosequimur; neque Verbum adoraturi, Verbum a carne longe seponimus, sed cum sciamus (ut dictum est) Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus.*

Ad V. In Eucharistia considerantur duæ partes, quarum una est præcipua, & altera minus præcipua. Pars præcipua, quam Concilium intelligit sub nomine Sacramenti, est Christus, quem Eucharistia substantialiter continet, & ei debetur latriæ cultus. Pars verò minus præcipua sunt species panis & vini, quæ remanent post consecrationem, & iisdem ex eodem Concilio Tridentino Latriæ cultus exhibendus non est.

Ad VI. Hæc reponit citatus Jueninus: „ „ Periculum, quod Calviniſtæ timent, „ fictis-

Digitized by Google

„ fictitium esse ; quasi vero fideles non „ sint docti, Latriæ cultum, quem exhibent Eucharistiæ, ad Christum ipsum, non autem ad creaturam aliquam terminari ; sed habent panis & „ vini species sicut fasciæ, quibus Christus in præsepio involutus erat ; sicut „ vestes, quibus induebatur ; quemadmodum igitur nemo Magos, qui „ Christum adorarunt in præsepio, Leprosum, qui (ut ait Mattheus) *veniens „ adorabat eum*, idololatras dixerit; ita „ nec eo nomine censeri debent, qui „ Christum (ut supponatur in Eucharistia sub speciebus panis & vini realiter præsentem) adoraverint. Audiendus est Chrysostomus, qui adducto „ Magorum exemplo, qui Christum in „ præsepio jacentem adorarunt, fideles hortatur, ut ipsum sub panis & vini speciebus latitantem adorent, *Hoc „ corpus* (inquit in I. ad Corinth.) *in „ præsepe reveriti sunt Magi, & viri „ barbari, longo itinere confecto, cum „ timore & tremore plurimo, adoraverunt. „ Imitemur ergo barbaros, nos cœlorum „ cives. Illi cum præsepe tantum & tugurium, nec eorum quicquam, quæ tu „ nunc intueris, viderent, summa cum „ reverentia & honore accesserunt : Tu „ vero id non in præsepe, sed in altari : „ non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed „ Sacerdotem præsentem, & spiritum perabunde super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simplex, aut simpliciter, „ ut illi, corpus intueris, sed & ejus potentiam, & omnem cognoscis administrationem .... Tu vero* (inquit idem S. Doctor in oratione de B. Philogonio) „ *ne breve quidem spatium emeriri sustinens, ut hoc sælici spectaculo „ perfrucaris : Nam, si cum fide accesserimus, proculdubio videbimus eum in „ præsepe jacentem ; Hæc siquidem mensa „ vicem explet præsepis : Nam & hic ponitur corpus dominicum, non quidem „ fasciis, sicut tunc, sed undequaque Spiritu Sancto vestitum. Qui mysteriis „ initiati sunt, intelligunt, quæ dicuntur.* „

Pro III. tandem Dissertationis Parte, in qua quæritur, an extra sacrificium reservari possit Eucharistia, ut ad adorationem fidelibus proponatur ; primo inter Hæreticos hoc negantes ponimus Sacramentarios omnes, qui post Zuinglium & Calvinum dixerunt, Eucharistiæ Sacramentum non magis servari posse, quam aquâ, per quam baptismus administratur. Principium, cui nituntur Sacramentarii, hoc est ; quia falso putant, Eucharistiæ Sacramentum, non esse Sacramentum permanens, sed transiens, cujus tamen contrarium in superioribus nos probavimus.

Secundo, Lutherus voluit, quod peracto sacrificio Eucharistia reservari nō possit, ut ad adorationem proponatur, vel ad fidelium communionem retineatur, vel ad absentes, præcipue ægrotos, deferatur.

Tertio, Kemnitius Luthero suscripsit, cum hoc tamen discrimine, quod voluit, Eucharistiam, etiam terminata Liturgia, remanere integram, dummodo ad infirmos immediate deferatur.

Quarto, quanvis Lutherus voluerit Christi corpus permanere in pane & vino a consecratione usque ad Communionem illorum, qui adsunt inclusive; Melanchthon tamen, ac Theologi Wittembergenses, ac Liptienses, voluerunt, Christi corpus esse in Sacramento in usu tantum, seu in ore fidelium, a quibus sumitur ; proinde ab his Lutheranis, qui hanc doctrinam amplexi sunt, ne brevi quidem momento reservatur, nec reservari posse, contenditur.

Dicimus II. Eucharistiam, peracto sacrificio, vere & pie reservari, vel ut ad adorationem proponatur, vel ut fidelibus ministretur, vel ut ad absentes, præcipue infirmos, deferatur.

I. Conclusionis pars contra Sacramentarios I. probatur ex Scripturis. Ex verbis Evangelii Matth. habemus, Eucharistiam esse verum Sacramentum independenter ab usu: ergo, sive ante usum, sive post, semper est Sacramentum ; sed quando est Sacramentū reservari potest; ergo, sive ante, sive post usum, reservari potest. Probatur primo antecedens. Ex instanti Eucharistia est verum Sacramentum, quo proferuntur verba evangelica, *hoc est Corpus meum ; hic est Sanguis meus* ; sed hæc verba proferuntur independenter ab usu: Ergo Eucharistia est verum sacramentum independenter ab usu. Probatur antecedens. Eo momento Eucharistia est sacramentum, quo Christi corpus exitit sub speciebus panis & vini; sed

Chri-

Digitized by Google

Christi corpus exiſtit ſub ſpeciebus panis & vini eo inſtanti, quo verba illa evangelica proferuntur: ergo &c. Probatur major. Si Chriſti corpus non exiſteret ſub ſpeciebus panis & vini eo momento, quo verba illa proferuntur; verba illa in ore Chriſti non fuiſſent vera; ſed hoc eſt impium dicere: ergo &c. Probatur minor; quia per verba illa importatur, quod Chriſti corpus eſſet præſens; dicitur enim *Hoc eſt Corpus meum*, non autem *hoc erit Corpus meum*: & nihilominus per Adverſarios non fuit Chriſti corpus, niſi dum actu ab Apoſtolis recipiebatur; quod eſt omnino contra legitimam & obviam verborum illorum intelligentiam.

II. probatur contra Lutherum, Kemnitium, & alios, qui Sacramenti permanentiam concedunt, ſaltem a Conſecratione uſque ad communionem Sacerdotis, & Populi. Corpus & Sanguis Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis & vini dum peragitur Liturgia, & ante uſum: ergo & pariter poſt liturgiam, & poſt uſum. Antecedens admittitur ab Adverſariis; conſequentia autem ſequitur; quia ut, ait Jueninus; *Non eſt quod ad aliud uſque tempus reſervetur. Melanctoni ac Theologis Witembergenſibus & Lipſienſibus viſum eſt, Chriſti Corpus eſſe in Sacramento in uſu tantum, ſeu in ore fidelium a quibus ſumitur, proindeque ab iis Lutheranis, qui illi doctrinæ ſubſcripſerant, ne brevi quidem momento reſervari debet.*

III. probatur. Chriſti Corpus ab eo momẽto adorandũ eſt, quo in Euchariſtia ſit præſens; ſed in Euchariſtia ſit præſens, quando proferuntur evangelica verba: ergo ab eo momento Chriſti Corpus adorandum eſt in Euchariſtia, quo evangelica verba proferuntur: atqui hoc eſt contra Adverſariorum doctrinam, qui volunt corpus Chriſti in Euchariſtia præſens non eſſe, niſi quando a ſuſcipientibus ſumitur; quemadmodum, ut ipſi ajunt, non fuit præſens in Cœna Domini, niſi quando ab Apoſtolis actu receptum eſt: ergo &c.

IV. probatur. Si Corpus Chriſti fuit præſens in Euchariſtia dum peragebatur Liturgia, & dum perdurabat illius uſus, non eſt cur amplius non perſeveret: ergo durat ſemper ejus præſentia uſque dum ſpecies conſumentur. Conſequentia ſequitur; non enim proferuntur verba, quæ Chriſti abſentiam importent; nec unius particulæ uſus inducere poteſt abſentiam alterius, ſeu abſentiam Chriſti ab altera particula. Addit citatus Juvenius: *Id Melanctoni tanti roboris viſum eſt, ut niſi corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in ſolo uſu admittatur, reſervationem, ſicut moris eſt in Eccleſia Romana, tolli non poſſe cum Theologis Witembergenſibus profeſſus ſit.* Alterũ pro concluſione argumentum petitur ex traditione, qua conſtat antiquitus, etiam peracto Sacrificio, ubique gentium, & quidem ob multiplices fines, reſervatam fuiſſe Eucariſtiam.

Exempla reſervationis Euchariſtiæ non pauca adduximus in Diſſertationibus ſuperioribus; hic autem aliam ſuperaddimus in confirmationem dictorum, quæ a præfato Juvenino profertur, his verbis: „ 1. Euchariſtia „ olim Romæ a ſummis Pontificibus „ reſervabatur, ut ad diſtantes Epiſcopos in ſignum communionis eccleſiaſticæ mitteretur; Ejus moris teſtis „ eſt Irenæus, Lugdunenſium Archiepiſcopus, qui ſecundo ſeculo uſque ad „ tertii initium floruit. In epiſtola, „ quam, & ſuo, & totius Eccleſiæ Lugdunenſis nomine, ad Victorem Papam conſcripſit, aſſerit, ſummos „ Pontifices, qui illum in Apoſtolica „ Sede præceſſerant, Anicetum nempe, Pium, Hyginum, Teleſphorum, „ Xiſtum, licet in celebrando paſchate „ & jejunii forma ab Aſiaticis diſſiderent, tamen pacem coluiſſe, ac miſiſſe Euchariſtiam, qua mutua Communio foveretur, & obligaretur, „ *Præceſſores tui, Romani Epiſcopi, aliter „ quam nos paſcha licet obſervantes, noſtratibus Epiſcopis* (de Aſiaticis ut ex „ Aſia oriundis loquitur) *ſuo more, atque ſecus quam vos, id obſervantibus, „ Euchariſtiam tamen miſerunt, ejuſque „ illis miniſterium pacis & honoris ergo, „ Romæ permiſerunt.*

„ 2. Conſecratam Euchariſtiam in „ templis fideles domum aſportabant, „ ut dum ſæviebat perſecutio, ea ſe „ quotidie reficerent; Piam illam conſuetudinem Cyprianus Libro de Lapſis, his verbis confirmat, *Cum quædam arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet „ ape-*

Digitized by Google

„ *aperire, igne inde surgente deterrita* „ *est, ne auderet attingere. Et alius, qui* „ *& ipse maculatus, sacrificio a Sacerdo-* „ *te celebrato, partem cum cæteris ausus* „ *est latenter accipere; Sanctum Domini* „ *edere, & contrectare non potuit, cine-* „ *rem ferre se apertis manibus invenit.* „ *Documento unius ostensum est, Domi-* „ *num recedere, cum negatur, nec im-* „ *merentibus ad salutem prodesse, quod* „ *sumitur, quando gratia Salvatoris in* „ *cinerem sanctitate fugiente mutatur.*

„ 3. Eucharistia quondam reserva- „ batur, ut in itinere tanquam firmum „ præsidium a peregrinantibus depor- „ taretur; Idq; colligitur ex Ambrosio, „ qui in oratione funebri, quam habuit „ pro fratre Satyro, sic loquitur; „ *Quid ejus observantiam erga Dei cul-* „ *tum prædicem, qui nondum perfectio-* „ *ribus initiatus mysteriis, in naufragio* „ *constitutus, cum, qua vehebatur, na-* „ *vis, scopulosa illisa vado, urgentibus hinc* „ *inde fluctibus, urgeretur, non mortem* „ *metuens, sed ne vacuus mysterii e vita* „ *exiret, ab initiatis divinum illud fide-* „ *lium poposcit Sacramentum; neo ut cu-* „ *riosos oculos arcanis insereret, sed ut* „ *fidei consequeretur auxilium: Etenim* „ *ligari fecit in Orario, & Orarium in-* „ *volvit in Collo, atque ita se dejecit in* „ *mare, non requirens de navi compage* „ *resolutam tabulam, cui supernatans tue-* „ *retur, quia fidei solius arma quæsierat;* „ *quibus se tectum munitumque satis cre-* „ *dens, alia non desideravit auxilia .....* „ *Non deseruit spes, nec fefellit opinio.* „ *Primus servatus ex undis, & in por-* „ *tum terrenæ stationis evectus, Præsu-* „ *lem suum, cui se crediderat, recogno-* „ *vit, ... Dei requisivit Ecclesiam, ut* „ *ageret gratias liberatus, & mysterie* „ *æterna cognosceret.*

„ 4. Majores nostri Eucharistiam in „ sacris ædibus reservarunt, ut eam „ præsenti populo dispensarent, & ut „ ferrent ad absentes. Perantiquæ il- „ lius consuetudinis meminit Chryso- „ stomus in priore ad Innocentium Pa- „ pam epistola. Asserit quippe milites „ in sui occasionem ab Imperatore „ missos sanguinem effudisse asserva- „ tum ad Neophytorum communio- „ nem; *Locum, in quo sancta condita* „ *servabantur, ingressi sunt milites, quo-* „ *rum aliquos scimus nullis initiatos my-* „ *steriis, & viderunt omnia, quæ intus* „ *erant, quin & sanctissimus Christi san-* „ *guis, sicut in tali tumultu contingit,* „ *in prædictorum militum vestes effusus* „ *est.*

„ 5. Ab Orientalibus reservata fuit „ Eucharistia ad missam præsanctifica- „ torum, singulis jejuniorum diebus „ celebrari solitam, & apud Latinos, „ semel in anno, feria sexta in para- „ sceve. Illam præsanctificatorum mis- „ sam injunxere Trullani Patres can. „ 52. ubi hæc habentur; *In omnibus sa-* „ *cræ quadragesimæ diebus, præterquam* „ *Sabbatho & Dominica, & sancto An-* „ *nunciationis die, fiat sacrum præsan-* „ *ctificatorum ministerium.* Disciplinam „ illam primi non invexerunt mox lau- „ dati Patres, quippe quam Laodicæ- „ ni, ineunte quarto seculo, canon. 49. „ injunxissent. Ex his patet eos, qui „ Ecclesiæ Romanæ vertunt crimini, „ quod Eucharistiam peracto sacrificio „ reservet, ejusdem criminis insimula- „ re antiquos omnes, tum in Oriente, „ tum in Occidente, Pontifices. „

Arguunt I. verba illa evangelica, *hoc est &c., hic est &c.* fuerunt prolata dum actu corpus Christi manducaretur, & actu sanguis Christi biberetur: ergo non ante usum. II. Eadem verba evangelica non continent traditionem, sed promissionem; quia per eadem Christus promittit illis, qui iisdem uterentur, virtutem carnis suæ, & sanguinis sui; dicit enim: *Accipite, & comedite.* III. Christus voluit, ut in Eucharistia contineretur corpus suum ad usum fidelium, scilicet ad manducationem spiritualem ipsorum, ideſt ad medicinam, refectionem, fortitudinem & cætera hujusmodi: ergo debet consistere tantum in usu. IV. Si Christus esset in Eucharistia ultra usum, esset alligatus mansioni sub illis speciebus, & exercere non posset suam libertatem, ut recederet quando vellet; sed hoc est indecens Christo: ergo &c. V. Olim erat mos in Ecclesia, ut comburerentur hostiæ consecratæ, quæ remanebant post Eucharistiæ dispensationem; sed non fuisset hoc factum, si in hostiis illis consecratis, & quæ comburebantur, remansisset vere & realiter Christus: ergo ultra usum Christus non remanet in Eucharistia. VI. Patres non pauci præcipiunt, ut comburantur hostiæ consecratæ, quæ remanent post Eucharistiæ dispensatio-

Digitized by Google

tionem : ergo Christus est tantum in Eucharistia in usu sumptionis, & non amplius.

Respondemus ad I. dicendo cum citato Juenino, primo, ut etiam observat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3 „ Apostoli nondum Eucharistiam de „ manu Domini susceperant, cum ve„ re tamen ipse affirmaret, corpus suum „ esse, quod præbebat. 2. Licet ex Mat„ theo videatur, quod Christus panem „ discipulis tradiderit antequam ipsum „ consecraret, *Accepit Jesus panem & „ benedixit ac fregit, dedisque discipulis „ suis & ait, Accipite & comedite, Hoc „ est corpus meum*: Tamen revera con„ secratio distributionem & usum præ„ cessit, siquidem consecratio contine„ bat rationem, cur panis & vinum su„ mi deberent a discipulis, idque deno„ tat particula causalis, *Enim*, quam „ Mattheus refert cap. 26. *Hic est enim „ sanguis &c.* Unde quamvis Mattheus „ res ipsas enarret, non servavit tamen „ ordinem rerum : sicut nec Marcus „ cum cap. 14. hæc ait de calice, *Et ac„ cepto Calice, gratias agens, dedit eis, „ & biberunt ex illo omnes, & ait illis, „ Hic est sanguis meus novi Testamenti*, „ quasi vero de vino, cujus ne minima „ pars superstes esset, dici potuerit „ quod esset Christi sanguis. 3. Apostoli ex eodem calice sanguinem hausе„ runt, ac proinde alter post alterum; „ necesse igitur fuit ut verba evangelica fuerint prolata antequam singuli „ bibissent, atque ideo oportuit Chri„ sti sanguinem extitisse in calice ante„ quam hauriretur; alioquin falsa fuis„ sent Christi verba, *Hic est sanguis „ meus*, cum eodem instanti, quo pro„ lata fuerunt, ex Adversariis, vinum „ sanguis Christi non fuerit. „

Ad II. negatur, quod in illis verbis contineatur Eucharistiæ promissio: & hoc primo patet, quia Christus usus est verbo præsentis temporis, non vero futuri; sicut debuisset, si promissio fuisset: Secundo, quia manducatio panis non præcedebat Christi præsentiam, ut falso credit Calvinus, sed sequebatur, ut communiter Patres docent.

Ad III. dicitur, quod si argumentum hoc valeret, posset etiam quivis argumentari, quod & vinum factum ex aqua in nuptiis Cana fuisset tantum, quando a Convivis bibebatur; & aquæ Mara tantummodo dulces fuissent quando Israelitæ biberunt; sicut enim Eucharistia facta est propter usum fidelium, ita pariter aquæ illæ, & vinum illud, propter usum Israelitarum, & Convivarum.

Ad IV. pariter addimus, quod sicut Christus non excidit a libertate sua, quando fasciis fuit involutus, funibus alligatus, Cruci affixus, quia sic ipse voluit; ita pariter, nec libertatem suam perdit quando sub speciebus eucharisticis remanet, quia sic ipse disposuit.

Ad V. morem illum describi in epistola 2. quæ falso attribuitur Clementi Papæ I. & quæ nullius est authoritatis. Concilium vero Matisconense & historia Gregorii Turonensis, explicantur de superabundanti Eucharistiæ reservatione; quia scilicet post pacem a Constantino datam Ecclesiæ, Eucharistia servabatur in ea solum quantitate, quæ fidelium, & ægrotorum communioni, necessaria fuisset.

Ad VI. negatur antecedens; & ratio est, quia Eucharistiæ reservatio etiam apud Græcos locum obtinet; ut testatur Arcadius lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ cap. 17. *Quod attinet ad Sacramentum, quod ægrotis inservit pro viatico, equidem optarem meliorem modum in eo conficiendo. Nam Græcorum Presbyteri primum multas majores particulas in præparatione liturgiæ, ad eum modum, quo & majorem illam præcipuam, quam consumunt in sacrificio, & iisdem verbis parant, quod fortasse ab imperitis Græcorum posteris introductum est, cum super centum & mille hostiis satis sit, semel eam ceremoniam adhibere, ac non iterare toties eadem verba: Eas deinde particulas suo tempore in eodem sacro consecrant; Post insusta dividunt pro singulis ægrotis; tum sanguine tingunt; prostremo contra tanti Sacramenti dignitatem, in furno vel sole exsiccant .... At quam satius esset prius particulas pro infirmis præparare, neque semel in anno conficere, sed congruo tempore ante ullam speciem corruptionem renovare, quam in hæc observanda incidere.*

Pro cæteris vero Conclusionis partibus adducimus testimonia Patrum, atque etiam Conciliorum, a quibus memorantur Ecclesiæ consuetudines, ad ipsas probandas; & sunt Justinus Martyr

Digitized by Google

tyr in apolog. 2. Antonino Imperatori oblata, pro Christianorum defensione anno 150., ubi sic dicitur; *Distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ actæ sunt, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur*: Dionysius Alexandrinus in epist. ad Fabium Antiochenum, quam recitat Eusebius lib. 6. Historiæ cap. 44. eundem morem latè describit verbis hisce: *Erat in hac urbe Serapion quidam Senex, e numero fidelium, qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat; sed in persecutione lapsus, sæpenumero veniam petierat, nec quisquam ei attendebat, eo quod sacrificasset. Idem postea morbo correptus, vocis usu, sensuque omni carens, triduo permansit: quarta demum die paululum recreatus, nepotem ex filia ad se vocat; Et quousque tandem me detinetis? Properate, quæso, & me quantocius absolvite. Accerse mihi unum ex Presbyteris. Hæc cum dixisset, rursus illum vox destituit. Puer ad Presbyterum cucurrit, jam nox erat: Presbyter autem ægrotabat, sed quoniam in mandatis dederat, ut morituris si peterent, & maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, qua bona spe pleni ex hac vita migrarent, exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens. Et cum appropinquasset, priusquam ingrederetur; recreatus iterum senex, Venisti, inquit, Fili, ac Presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu vero fac citius quod imperatum est, & dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, & in os senis infudit; qui ea paulatim absorpta, continuo animam exhalavit. An non igitur perspicue apparet, eum reservatum fuisse, aut tantisper in vita permansisse, quoad reconciliaretur, & deleto jam crimine, pro multis, quæ gesserat, bonis operibus, a Christo agnosci posset, & prædicari?*

DISSERTATIO CCCCXVII.

De adoratione Christi in Eucharistia. De Festivitate Corporis Christi; a quo, & per quid instituta? De processione Corporis Christi; a quo, & quando instituta? De publica expositione Corporis Christi, a quo primum instituta, & per quid, et quomodo facienda?

PRO Sanctissimi Corporis Christi Festivitate, quæ prima est præsentis Dissertationis pars, conveniunt omnes, eam fuisse ab Urbano IV. Anno 1264. institutam; qui de ea, die octava Septembris Constitutionem fecit, ac promulgavit. Hæc autem Constitutio in Concilio Generali Viennensi sub Clemente V. Anno 1311. est publicata, & ab eodem Clemente in juris Canonici corpus relata; prout legitur in Clementina unica lib. 3. de Reliquiis & Venerat. Sanct. Hoc totum clare constat, tum quia ante Urbani Decretum, præfato anno editum, nullum aliud legitur de hoc festo editum: tum etiam, quia Durandus Episcopus Mimatensis, in Rationale divinorum officiorum, quod conscripsit anno 1286. hoc est viginti duobus annis post Urbani mortem, nullam fecit mentionem hujusce Festi, quanvis de aliis Ecclesiæ festivitatibus longum sermonem habuisset. Post vero Concilium Viennense Urbani Constitutionem, a Clemente V. in præfato Concilio promulgatam, Martinus V. & Eugenius IV. confirmarunt, & Indulgentias auxerunt, quibus antea ditata fuerat. Denique Concilium Tridentinum, ut Novatorum errores contra hoc Sacramentum pessundaret, ejusdem Festivitatem novo Decreto confirmavit. Et per hoc satisfactum credimus primo primæ partis puncto, scilicet a quo festivitas hæc fit instituta?

Secundo autem puncto ejusdem primæ partis, quod est, per quid fit instituta, sufficenter quoque responsum putamus, si rationes enumerabimus, quibus motus fuit Urbanus ad eam instituendam. Hæ autem rationes in eadem Urbani Bulla, seu Constitutione, inveniuntur, & quas nos hic enumerare instituimus. Et prima quidem est gratitudo Ecclesiæ erga immensam illam charitatem, quam Christus Eucharistiam instituens, exercuit. Et hæc comprehenditur in hisce ejusdem Bullæ verbis: *In institutione hujus Sacramenti dixit ipse Christus Apostolis; Hoc facite in meam Commemorationem, & præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum, & venerabile Sacramentum, memoriale (inquam) mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo innovata sunt signa, & mirabilia immutata .... Hujus memorialis debemus continuum celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cujus donum, vel munus frequentius aspicimus, hujus memoria strictius retinetur.* Secunda ratio desumpta est ex victoriis, quas retulit Ecclesia ab Hæreticis undecimi Seculi. Ait proinde Urbanus: *Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur; & dignum, ut de ipso saltem*

se-

semel in anno, ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam, & insaniam, memoria solennior & celebrior habeatur. Tertia ratio fuit, ut resarcirentur irreverentiæ, quæ quotidie fiunt in Eucharistiam, per solemnem cultum, qui ab Ecclesia in illa stata die solemnitatis suæ exhiberetur. Et hoc pariter innuit Urbanus in Constitutione præfata: *Si nihil obstantibus festis Sanctorum, quæ quotannis celebrantur in Ecclesia, instituta est peculiaris solemnitas omnium Sanctorum meritis consecrata, ut quidquid aliis in festis peccatum esset, vel omissum, in illa resarciretur; potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum Corporis & sanguinis Jesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria & corona, ut festivitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur, & fideles, festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis, secularibus forsitan agendis impliciti, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana, minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animi puritate, restaurent*.

Quæ omnia Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas, Opusc. 57. his verbis explicavit. „ Convenit itaque devotioni Fidelium, solemniter recolere institutionem tam salutiferi, tamque mirabilis Sacramenti: ut ineffabilem modum divinæ præsentiæ in „ Sacramento visibili veneremur: & „ laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur: nec non & de tam salubri, „ tamque suavi beneficio exolvantur „ Deo gratiarum debitæ actiones. Verum etsi in die Cœnæ, quando Sacramentum prædictum noscitur institutum, inter Missarum solemnia „ de institutione ipsius specialis mentio „ habeatur: totum tamen residuum „ ejusdem diei officium ad Christi passionem pertinet, circa cujus veneratione Ecclesia illo tempore occupatur. Ut autem integro celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelium: Romanus Pontifex Urbanus IV. hujus „ Sacramenti devotione affectus, pie „ statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta Feria post octavam „ Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari: ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore „ specialiter recolamus, quo Spiritus „ Sanctus corda discipulorum edocuit „ ad plene cognoscenda hujus mysteria „ Sacramenti. Nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari. Ut autem prædicta quinta Feria, & per octavas sequentes, ejus salutaris institutionis „ honorificatior agatur memoria, & solemnitas de hoc celebrior habeatur: „ loco distributionum materialium, „ quæ in Ecclesiis Cathedralibus largiuntur assistentibus Horis Canonicis „ nocturnis, patiterque diurnis, præfatus Romanus Pontifex eis, qui ejusmodi horis in hac solemnitate personaliter in Ecclesiis interfuerint, stipendia spiritualia largitione concessit: quatenus per hæc fideles ad tanti „ festi celebritatem avidius & copiosius „ convenirent. „

Quæ omnes publicæ sunt causæ, quibus motum Urbanus se dicit ad festum illud instituendum. Duas tamen alias invenimus, quas veluti peculiares & privatas dicere possumus; & quidem unam in miraculo consistentem, quod accidit in loco non longe ab Urbeveteri distante, qui dicitur Bolsena, & quod a Pagi in Breviario Romanorum Pontificum ad Urbanum IV. sic enarratur: „ Anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, in loco „ non longe ab Urbeveteri sito, Bolsena dicto, insigne miraculum accidit, „ cujus occasione Urbanus Pontifex solemnitatem Corporis Christi indixit. „ In ejusdem loci Ecclesia Sacerdote „ celebrante, cum post confectionem „ Sacramenti gutta aliqua sanguinis ex „ Calice profluxisset in Corporale, Sacerdos ad occultandum defectum suæ „ negligentiæ, cooperuit partem corporalis pluribus plicis, sed reperta est „ per omnes plicas transisse, & reliquisse ibi rubeam ad modum sanguinis „ formam hostiæ in pluribus partibus „ corporalis. Ita S. Antoninus part. 3. „ tit. 19. capit. 13. §. 1. Joannes vero „ Diæstemius Blærus Prior S. Jacobi „ Leodiensis Ordinis S. Benedicti art. 8. „ Comentarii de institutione Corporis „ Christi, sub annum 1496. ab eo com-

„ po-

Digitized by Google

„ positi, ait, Sacerdotem Bolsenæ ce-
„ lebrantem „ *Inter verba consecrationis dubium in fide, vidisse carneis oculis Hostiam in forma pietatis, & de ea sanguinem fluere in Calice. Quo territus, dum conaretur occultare, & cooperire de corporali, apparuit mox forma Pietatis in singulis partibus corporalis, & ita coactus est populo assistenti miraculum patefacere: quod ubi Populus comperit, ad Urbemveterem properans, Summo Pontifici mirabilia, & stupenda, quæ viderat, nunciavit.* „ Pon-
„ tificem corporale ad Urbemveterem
„ transtulisse, tradit S. Antoninus loco
„ laudato: „ *Quod quidem corporale*, inquit, *ad perpetuam rei memoriam in Ecclesia Cathedrali Urbisveteris pro reliquiis reservatum est, & aliquando populo ostenditur cum magna veneratione.*
„ In miraculi memoriam Cives Urbe-
„ vetani nobilissimum templum con-
„ struxerunt, cujus primam fundamenti
„ lapidem Nicolaus IV. propriis manibus sacravit ac posuit anno 1290. ut
„ scribit Onuphrius in Adnotatione ad
„ Platinam, & ipsemet Nicolaus asserit
„ in Epistola 450. lib. 4. sui Regisiri apud
„ Raynaldum anno 1291. num. 64. In-
„ signis hujus miraculi occasione Urba-
„ num Pontificem sacratissimi Corpo-
„ ris Christi solemnitatem, annuatim
„ quinta feria post octavam Pentecos-
„ tes, perpetuis temporibus cum solem-
„ ni supplicatione celebrandam indi-
„ xisse, refert idem Diætemius, qui
„ post laudata verba subdit: „ *Stupente autem Curia, per summum Pontificem (qui necdum oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lambertum resideret) interveniente consilio, & assensu dominorum Cardinalium deliberatum est, quod festum Corporis Christi per universam Ecclesiam semel in anno solemniter, feria quinta post octavas Pentecostes, in toto terrarum Orbe celebraretur; & vocato B. Thoma de Aquino, qui tum præsens aderat, præceptum fuit, ut Officium de tali festo, secundum usum omnium Ecclesiarum, componeret.* „
„ Concessit autem Pontifex iis, qui eo
„ officio interessent, centum dierum
„ Indulgentiam. Qua de institutione
„ extat præclara & elegans ejusdem
„ Urbani Constitutio Bullarii Tomo 1.
„ ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Præla-
„ tos: quam postea ob bellicos tumul-
„ tus, quibus pene tota Europa agitaba-
„ tur, parum, pauciscque locis observa-
„ tam, Clemens V. in Generali Con-
„ cilio Viennensi recepit, & confirma-
„ vit: ejusque successor Joannes XXII.
„ iterum publicavit, aliique deinceps
„ Romani Pontifices gratiis, & privi-
„ legiis exornarunt. Cæterum de so-
„ lemni hujus diei processione ne mi-
„ nimum quidem verbum habetur in
„ Urbani IV. Bulla, qua hanc solemni-
„ tatem instituit. Non diu tamen post
„ festi erectionem institutam fuisse, do-
„ cent antiqui libri, & rituales circa
„ ista tempora scripti, ut asserit Ed-
„ mundus Martene in Tractatu de An-
„ tiqua Ecclesiæ disciplina cap. 29.

Ante nihilominus miraculum hoc præcesserat revelatio quædam pro eadem festivitate facta Leodii quibusdam sacris Virginibus, quæ fuerat a gravissimis Theologis examinata, ab Episcopo recepta, & ab eodem Urbano IV. qui tunc temporis erat Archidiaconus Leodiensis, cognita atque defensa; & de qua citatus Pagi hæc subnectit: „ Fuisse nihilominus
„ jam antea hujus festivitatis celebra-
„ tionem divinitus indicatam nonnullis
„ sacris virginibus Leodiensibus, & a
„ gravissimis Theologis diligentissime
„ examinatam, atque ab illius Urbis
„ Episcopo receptam, necnon a qui-
„ busdam Cardinalibus Legatis Apo-
„ stolicis confirmatam, ab ipsoque
„ Urbano Papa, dum esset Archidiaco-
„ nus Leodiensis cognitam, certis illo-
„ rum testimoniis, aliisque ejus tempo-
„ ris monumentis ostendunt, qui pro-
„ priis tractatibus de his egere; Joan-
„ nes nempe Diætemius mox laudatus,
„ & Joannes Chapeavilla Canonicus,
„ & Vicarius Ecclesiæ Leodiensis tom.
„ 2. Pontificum Leodiensium in fine.
„ His addo bullam ipsius Urbani, in
„ qua ait: „ *Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis revelatum festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.* „ *Viderat enim Urbanus, tunc Leodii Archidiaconus, institutam hanc novam festivitatem, ex revelatione facta B. Julianæ Cornelienſi, allaborante venerabili Eva ad S. Martini Ecclesiam Recluſa, & cui haud parum in pro cœpto urgenda faverat. Unde statim ac hanc festivitatem in Urbeveteri instituit, non distu-*

Digitized by Google

distulit Pontifex dilectam sibi Evam consolari nuncio optatissimo, per scriptum ad eam Breve; quod, licet editum a Bollandianis die quinta Aprilis post vitam B. Julianæ ante sexennium quam istæ fierent defunctæ, denuo tamen repræsentavit Papebrochius Urbani IV. in Conatu Chronico-Historico, quo Brevi decretum ei mittens, gratulatur impletum ejus votum, novumque officium ei commendat. Datum *illud* apud Urbem veterem sexto Idus Septembris Pontificatus *Urbani* anno quarto. *Quæ si Onuphrio Panvinio cognita fuissent, assertionem de revelatione facta B. Julianæ, & Evæ non adeo facile rejeciſſet. Cæterum hanc solemnitatem ab Urbano pro universali Ecclesia institutam anno 1264. præter laudatum breve, mense Septembris ejusdem anni datum, confirmare videtur Theodoricus Vallicolor, ita canens:*

Sic digne statuit, ut in anno Corporis hujus
Tam festum celebre fiat in Orbe semel,
Post Pentecostes Octavas luce Jovis, nam
Consumi Christus fecerat ista die,
Hocque sui terno Papatus fecit in anno,
Officiumq; novum continet ista dies.

Ex quibus duo ervo. Primum hanc institutionem factam sub finem anni tertii Pontificatus Urbani, cum Breve ad Evam datum sit anno quarto ineunte; secundam, jam antea fuisse aliud officium de eadem solemnitate, Leodii nempe, cum Theodoricus Vallicolor referat, istud festum continere novum officium, illud scilicet quod est a S. Thoma compositum, quodque Urbanus ad Evam misit, & commendavit. „

Objiciunt I. Quia nemo ex Romanis Pontificibus, qui præcesserant Urbanum, hoc peculiare festum Corporis Christi instituerat, nec pariter debebat Urbanus ipse primus in Ecclesiam inducere, quia novitates in Ecclesia semper sunt suspectæ, etiamsi de rebus laudabilibus & piis agatur. II. Sicut tempore Victoris II, multa fuit dissensio in Ecclesia propter Paschatis celebrationem, quanvis hæc fuisset quæstio de ritibus; ita pariter quanvis festivitas hæc ad ritum pertineret, non erat tamen in Ecclesiam inducenda, vel eo maxime, quia per tot secula ante inducta non fuerat. III. Quum tempore illo Urbani hæretici plures essent in Ecclesia, qui præsentiæ reali Christi in Eucharistia bellum gerebant, non erat conveniens ut illorum insultibus, vel irrisionibus, Christi præsentia exponeretur. IV. Tunc temporis erant etiam inter Christianos multi Judæi, qui veritatem præsentiæ Christi in Eucharistia aversabantur; ergo etiam ad evitandas illorum perturbationes, non erat expediens ut Christi majestas publicæ derisioni subjecta esset.

Respondemus ad I. Potiores rationes fuisse in Urbano, quam in præcedentibus Pontificibus, ut solemne Christi Corporis festum instituteret; ac proinde non mirum, si Urbanus instituit, quod cæteri instituere non cogitarunt. Et quidem inter alias fuit aperta hæc solennis Berengarii conjuratio contra realem Christi præsentiam in Eucharistia; ob quam opportunum sane judicavit Pontifex summus apertæ oppugnationi manifestam, & publicam opponere solennitatem.

Ad II. Nulla Urbani tempore erat dissensio inter Catholicos circa publicam Christi adorationem in Eucharistia; ac proinde non erat eadem ratio circa Paschatis celebrationem tempore Victoris. Et quanvis Berengarius tunc temporis insurrexisset contra realem Christi præsentiam, ejus tamen audacia erat singularis, & non erat silentio comprimenda, sed publica totius Ecclesiæ consensione, quæ in solemni illo festo celebrando conveniebat, & de Berengarii errore triumphabat.

Ad III. Negatur, quod plures hæretici, qui Eucharistiam negarent, essent tempore Urbani. Solus Berengarius erat, ut dictum est, & sequaces ejus pauciſſimi; unde tantum aberat ut ipsorum insultus timerentur, quod potius eorumdem suppressio sperarentur.

Ad IV. Si qui Judæi erant inter Christianos Urbani temporibus, erant proculdubio & numero pauci, & conditione viles, & viribus debiles, ac proinde nihil ab iisdem formidandum occurrebat, quod a Christianis & potentia, & numero, & authoritate, supe-

Digitized by Google

superioribus opprimendum non esset.

Ad Secundã modo Dissertationis partẽ devenientes, in qua quæritur de Processione Corporis Christi, a quo, & quando instituta? Primo exponimus Hæreticos, qui ipsam aperto calamo, atque apertissimo odio, persequuti sunt; deinde Pontifices enarrabimus, qui eam induxerunt; & postremo universalis Ecclesiæ consuetudinem adducemus, qua ipsa recepta & confirmata est apud fideles,

Primo, Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 17. §. 37. contra solemnem Corporis Christi circumgestationem oblatravit, scribens: *Nunc vero, quo pretextu se Christum in illo pane honorare jactant, quam nullam habeant hujus rei promissionem? Consecrant hostiam (ut vocant) quam circumferunt in pompa, quam spectandam, colendam, invocandam solenni spectaculo exhibeant.*

Secundo, Melancton Calvini erroris sectator etiam fuit, quem pariter sequuti sunt cæteri omnes, qui eum in aliis sequebantur, de quibus scribit Jueninus §. 2. *Melanct., ac sibi adhærentes, cum Caroli V.* Interim *urgerentur, ut inter dies festos ab Ecclesia receptos, & hunc quoque, de Christi Corpore, retinerent; causati sunt, id fieri non posse, etiam non admissa Sacramenti circumgestatione; satius est (inquiebant) habere sermonem de Eucharistiæ usu, quam processiones in ejus honorem celebrare: Quæ tum Calvinus, tum Melancton, hac in causa effutierunt, cohæret cum eorum principiis; cum enim ille contendat, Christum nusquam esse corporaliter præsentem in Eucharistia; iste vero præsentiam astruat quidem, sed in usu tantum; mirum non est quod tanquam idololatras traducant eos, qui illud populo adorandum cum pompa solemni circumgestant.* His positis

Dicimus II. Nec Urbanus IV. nec Martinus V. nec Eugenius IV. publicæ supplicationis, in qua Corpus Christi solenniter circumfertur, authores fuerunt.

I. probatur de Urbano; tum quia in sua Bulla pro festivitate, quæ incipit *Transiturus*, nullam facit mentionem de ejusmodi circumgestatione; tum etiã, quia in eadem Bulla indulgentias concedit illis, qui horis Canonicis, non vero, qui processioni intererant; tum quoque, quia Authores Urbano suppares festivitatem institutam ab ipso narrant, non vero processionem; tum denique, quia S. Thomas in suo Opusc. citato, de festivitate, non de processione loquitur.

II. probatur de Martino, & Eugenio; quia ille in Bulla, quæ incipit *Ineffabile Sacramentum*, edita die 26. Maii Anni 1429. iste autem in sua Constitutione, quæ incipit *Excellentissimæ*, edita die 26. Maii Anni 1433. meminerunt quidem hujusçemodi processionis, sed non tanquam rei, quam ipsimet, vel aliquis ex ipsis, de novo instituissent. Unde conjicitur, quod hæc processio suam habuerit institutionem post Urbanum, & ante Martinum, & Eugenium. Et primo celebratam esse in Italia, ut conjicit Jueninus citatus per hæc verba: „ „ Verisimile est, ritum illum cœpisse „ post Urbanum, sed ante Martini & „ Eugenii tempora; factitatum prius „ in aliquibus privatis Ecclesiis ex Epis„ coporum, & Populi pietate; usurpa„ vit demum tota Occidentalis Eccle„ sia; nec mirum, ea enim, quæ ad di„ sciplinam spectant, obtinent aliquan„ do sine scriptis legibus, usurpata a„ privatis Ecclesiis sensim sine sensu, „ postea apud omnes invalescunt. Es„ pencæus in suo de Eucharistia libro „ conjicit, processionis illius usum „ cœpisse in Italia, ac deinde in alias „ Orbis Christiani Provincias invectum; „ utitur vero hac narratione „ *Historia* (inquit lib. 2.) *Mediolanensis sic habet: Die Jovis 29. Maii anno 1404. Corpus Christi solenniter, ut postea factitatum est, per Papiam Urbem circumferri cæptum fuit, decem plus minus centum annis ante Concilium Constantiense, in quo creatus Pontifex Martinus V. Indulgentias, ab Urbano pro festo datas, duplicans, alias etiam addidit ejus festi vigiliam jejunantibus, & in festo communicantibus, & sequentibus eodem die Sacramentum, & quando ad infirmum defertur, quas rursum Eugenius IV. post duplicavit; Illius historiæ Mediolanensis authore Espencæus laudat Donatum Bossium.*

Nos in Dissertationibus nostris Ecclesiasticis, quas Romæ recitavimus in Accademia Conciliorum, quæ tunc magno Eruditorum concursu habebatur in Collegio Urbano *de Propa-*

gan-

Digitized by Google

ganda fide, & quas in Civitate Rebellensi, ubi tunc temporis Episcopale munus exercebamus, typis dedimus anno 1710. tom. 1. Dissert. 8. de hac re fuse scripsimus, & idem, quod nunc sustinemus, de hac processione judicium dedimus: scilicet aliquod habuisse initium in Italia, ut narrat præfatus Espencęus, sed ante hoc initium, diximus quoque præludia quædam præcessisse & in Gallia, & in Hispania. Pro Gallia quidem dicitur, quod tempore Gregorii Magni in Ecclesiis Gallicanis Eucharistia, peracto sacrificio, ad Oratorium Episcopi solemniter deferebatur, & deinde iterum ad Templum ad diem alium solemni cum pompa eandem deducebant; quod narrat Gregorius Turonensis, Gregorio Magno suppar, lib. 1. de gloria Martyrum capit. 86. per hæc verba: „ Dies passionis erat Policarpi, Martyris magni, & in Ricomagensi vico Civitatis Arverniæ ejus solennia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre Diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit assequi, quod non alia actum credimus de causa, nisi quod pollutus erat in conscientia; sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. „

Pro Hispanis vero non multo post Gregorii Turonensis ævum hunc morem legimus in can. 5. Synodi Bracarensis 3. habitæ circa annum 652. ut invenitur apud Espencęum sub his verbis: „ Bona quidem res est, divina Sacerdotibus contrectare mysteria; sed cavendum ne hoc ad suæ quisque pravitatis usum detorqueat, unde soli Deo de bona conscientia placare debuerat. „ Ut enim detestanda quorumdam „ Episcoporum præsumptio nostro se „ cætui intulit dirimenda quosquam ex „ iis agnovimus in solemnitatibus martyrum ad Ecclesiam progressuros, „ reliquias collo suo imponere, ut majori apud homines fastus gloria intumescant, & quasi sint ipsi reliquiarum arca, Levitæ albas induti, in „ sellulis eos deportant: Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia „ debet, ne sub specie sanctitatis simulata vanitas sola prævaleat, si modum „ cujusque ordinis suum reverentia non „ agnoscat; Et ideo antiqua hac in parte solemnisq; consuetudo servabitur, „ ut in festis quibusque diebus Arcam „ Domini cum reliquiis, non Episcopi, „ sed Levitæ in humeris gestent, quibus „ & in veteri lege onus idem impositum „ novimus esse præceptum. Quod si „ Episcopus reliquias per se deportare „ elegerit, non a Diaconis ipse vehatur in sellata, sed eo potius una cum „ populo pedestri progressione ad conventicula sanctarum Ecclesiarum procedente, sanctæ Dei reliquiæ per eundem Episcopum portabuntur; jam „ vero qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quando in officio „ fuerit, a sacrificando cessabit. „ Ad quæ verba hæc alia pro explicatione subjungit sæpe laudatus Jueninus: *In eum Synodi Braccarensis canonem observare est* 1. *non novam cudi consuetudinem, sed antiquam, dempto tamen abusu, confirmari; & non agi de circumferendis Martyrum, sed Eucharistiæ reliquiis; cum quod de divinis mysteriis agatur, quorum nomine passim Eucharistia intelligitur; tum etiam quod reliquias, quas recenset,* Arca Dei *contineri asserat; qua quidem voce nullus e veteribus usus est, ut vasculum, quo includuntur Martyrum reliquiæ, significet.* Et nos etiam de hoc in citatis Dissertationibus nostris verbum fecimus.

Denique pro Ecclesia Græca, quod nulla fuerit antiquitus facta processio, in qua Corpus Christi solemniter circumgestaretur, Scriptores consentiunt; & ratio ipsorum est, quia hujuscemodi processionis nulla fit mentio in Liturgiis & Euchologiis Græcorum. Attamen volunt pariter, quod apud Orientales quædam fiebat, & modo etiam fit, processio, quæ cum nostris habet similitudinem; scilicet, ut ex Chrysostomo narrat Jueninus: „ Totius nimirum Liturgiæ „ initio, recitatis pluribus super oblata „ precibus, ea magno cum apparatu „ parvo altari ad maximum solenniter „ deferunt, & *benedicti fumo incensi diffuso super sancta munera* (verba sunt

Liturgiæ Chrysostomi) *proficiscitur ad sanctam mensam Diaconus cum Sacerdote, & tribus vicibus simul inclinans &c.* „ Totus populus ad genua pro„ volutus, tunc Christum, non quidem „ præsentem, cum dona nondum sint „ consecrata, sed mox futurum, sup„ plex adorat; Catechumeni inclinato „ capite idem facitare mox jubentur. „ In Liturgia Basilii, ubi hæc leguntur „ *Diaconus orate fideles pro Catechumenis; postulantes, ut eis Dominus misericors sit. Populus, Kyrie eleison; Diaconus, Catechumeni, capita vestra Domino inclinate: Pontifex secrete orationem Catechumenorum; Domine Deus noster, qui in Cœlis habitas, & respicis in omnia opera, respice in servos tuos Catechumenos, qui inclinaverunt cervices suas in conspectu tuo: impone eis Domine leve jugum: fac eos membra Ecclesiæ tuæ, & idoneos eos fac lavacro regenerationis &c.*

Pro III. denique Dissertationis parte, in qua quæritur de publica Expositione Corporis Christi; a quo primum instituta? Et per quid? Et quomodo facienda? Supponimus I. Laudabilem ac piam esse consuetudinem, qua Eucharistiæ Sacramentum aliquando in Ecclesiis publice omnium oculis exponitur; & hoc clare patet, quia quum mos exponendi publice omnium oculis sacram Eucharistiam ab aliquot Seculis in Ecclesia Occidentali invaluerit, nequit omnino dici, Ecclesiam in hoc errasse. Supponimus etiam II. Quod neque Ecclesia potest pro hoc accusari, quia fundamentum habuit hoc ipsum faciendi a publica Eucharistiæ processione, quæ per Summos Pontifices in Ecclesia legitime est introducta. Quod pariter sequentibus documentis ad oculum usque ostenditur. Et quidem I. quia expositio non legitur facta ante quam processio introduceretur. II. quia antiquitus non solum Eucharistia non exponebatur publice, sed etiam Catechumenis, & Pœnitentibus subducebatur. III. quia fideles etiam apud Græcos nunquam Sacramento inducuntur, nisi quando facta consecratione omnium oculis a Sacerdote adorandum proponitur. IV. quia hæc expositio primum ortum habuit, quãdo in Ecclesia in usu posita fuerunt tabernacula portatilia, seu ostensoria, de quibus nos etiam in præfatis nostris Dissertationibus, citato loco late loquuti fuimus. Cohærenter igitur ad inibi dicta.

Dicimus III. Publicam Eucharistiæ expositionem sustinendam esse in Ecclesia, observatis conditionibus ab eadem Ecclesia præscriptis.

Primo contra hanc Conclusionem surrexit inter Novatotes Albertinus lib. 3. ubi scriptit: „ Quod Urbanus IV. „ anno 1264. ad revelationes quasdam „ fictitias, precesque Mulierculãrum „ Leodiensium, festum cum octavis „ suis in honorem Sacramenti statuit.... „ Circa annum 1364. nova erga Sacra„ mentum incœpit superstitio. Festo „ enim ante centum annos instituto, „ ab Urbano IV. addita est circumge„ statio publica ad pompam: Id unicum „ videbatur tanto errori deesse, ut ve„ luti curru triunphali deferretur.

Secundo, Cassander, ab eodem Albertino citatus, in consultatione ad articulum 22. scripsit: „ Consuetudo, „ qua panis Eucharistiæ in publica pom„ pa conspicuus circumfertur, ac passim „ omnium oculis ingeritur, præter ve„ terum morem, & mentem, haud ita „ longo tempore introducta, & recepta „ videtur. Illi enim hoc mysterium in „ tanta Religione, ac veneratione ha„ buerunt, ut non modo ad ejus perce„ ptionem, sed ne inspectionem quidem „ admitterent, nisi fideles, quos Christi „ membra, & tanti mysterii participa„ tione dignos esse existimarent. Quare „ ante consecrationem Catechumeni, „ Energumeni, Pœnitentes, denique „ non communicantes, Diaconi voce, „ & Ostariorum ministerio, secludeban„ tur. „

Tertio, Judæi, ac Gentiles, hujuscemodi publicis Eucharistiæ expositionibus opponebantur, vi quidem & metu; quatenus intensissimo odio Catholicorum ritus persequebantur. De his testimonium perhibent Christianus Lupus, & Emmanuel a Schelestrate, quorum verba nos in Dissertationibus nostris retulimus, & hic iterum recitamus. Christianus Lupus in Dissert. de sanctissimi Sacramenti expositione cap. 2. hæc scribit: „ Publicas cum „ Eucharistia Processiones non cohæsis„ se cum disciplina antiquæ Ecclesiæ. „ Ista nanque disciplina sacrosanctam „ Eucharistiam rigidissime absconde„ bat,

Digitized by Google

„ bat, non Judæis duntaxat ac Gentili-
„ bus, sed etiam Catechumenis, ac Pæ-
„ nitentibus..... Hæc igitur disciplina nullatenus patiebatur, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum publice exponi in apertis Basilicis, aut Oratoriis; longe minus circumferri per plateas. Plateæ enim tunc erant plenæ oculorum, & aurium, quæ sacrosancta nec videre poterant, nec audire. In omni Civitate erant Gentiles, Judæi, Catechumeni, Pœnitentes. „ Et postmodum in cap. 9. concludit; *Quod hæc expositio primis Ecclesiæ Seculis non fuerit, est manifestum.* Emmanuel autem a Scheleſtrate in Dissert. apolog. de disciplina Arcani, hæc alia scribit: „ Quod vetus Ecclesia nullam solemnem festivitatem Corporis Christi celebrarit, Corpus Christi publice in processionibus non circumtulerit, Eucharistiam in apertis Basilicis, aut Oratoriis omnium oculis non exposuerit, non ex eo provenit, quod publicum fidelium cultum non meruerit, sed profanorum vilipensioni, & non initiatorum ludibrio debuerit subduci. Quod autem juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam usu receptum fuerit, Eucharistiam publice in Templis exponi, in processionibus circumferri, festo solemni celebrari, merito introductum fuit post Gentilium Conversionem, Judæorum servitutem, Catechumenorum, & Pœnitentium abrogationem. Horum enim metu introducta olim fuit disciplina Arcani, fueruntque Gentilium ludibria, & Catechumenorum scandala dispersa, nubium instar, splendidam Solis faciem obscurantium. Sicut enim fugatis nubibus Solis faciem intuentur, & miranturmortales; ita extinctis Gentilibus, & Catechumenis, sacrosanctum Christi Corpus, & Eucharistiæ Sacramentum, Solis instar mortalium oculis exponi debuit, ut mirarentur omnes infinitam Christi charitatem, qua Genus humanum complexus, se ipsum præbuit. „

I. probatur Conclusio. Publica sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositio consequuta est publicam ejusdem Sacramenti processionem: ergo est pia & laudabilis. Antecedens ex nuper dictis supponimus probatum. Consequentia ostenditur. Quoties pia est, & laudabilis aliqua actio, ad quam consequitur altera ab ea dependens, toties etiam hæc altera pia, & laudabilis dicenda est: ergo si laudabilis & pia est processio, sic etiam dicenda est expositio.

II. probatur. Eandem habet antiquitatem in Ecclesia processio, quam habet expositio; sed ratione illius antiquitatis præcipue processio in Ecclesia est sustinenda: ergo pariter ratione ejusdem antiquitatis sustinenda est expositio,

III. probatur II. Conclusionis pars, enumeratione, & Conditionum, quæ subquuntur, & requisitorum, quæ prçcedere debent, ad publicam & laudabilem Sacramenti Eucharistiæ expositionem. Utrumque exhibemus verbis Juenini citati; & quidem primo in Concluſ. 3. hæc habet: „ Conclusio 3. Ut frequens sit Eucharistiæ „ expositio, variæ conditiones requiruntur. Probatur enumeratione illarum conditionum. I. Oportet ut „ causa gravis urgeat, quæ scilicet ad „ publicum bonum, religionis nempe conservationem pertineat, *Ne quavis „ causa Eucharistia palam, & opere exponatur* (inquit S. Carolus Borromæus „ in XI. sua Synodo Diæcesana) *sed publica tantum, eaque gravi; aliis vero „ de causis orationem licebit instituere, „ sed non Sacramento aperte exposito.* „ „ Idem in Synodo Provinciali Mechinensi sub Pio Papa V. anno 1570. „ statutum est, *Sacramentum Eucharistiæ* „ (inquit capite 7.) Pie & utiliter ad „ populi devotionem interdum in publicis supplicationibus defertur, potissimum vero in festo sacro Christi „ Corpori proprie consecrato, ejusque „ octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra præ„ dicta tempora id fiat, & non nisi in „ arduis causis pacis aut publicæ necessitatis: in illis autem processionibus, „ ad quas populus non tam orandi, „ quam spectandi gratia confluere solet, abstineatur; in communibus autem supplicationibus circumgestari „ poterunt sanctorum reliquiæ. In Comitiis generalibus Cleri Gallicani „ ann. 1625. & 1635. publicam causam „ ad Eucharistiæ expositionem requiri „ decretum est. „

2. Palam exponi non potest venerabile „ Sacramentum sine expressa Episcopi

„ diæcesani facultate; eam nimirum „ conditionem non semel præscripse- „ runt statuta Synodalia variarum Pro- „ vinciarum, Comitia generalia Cleri „ Gallicani, quibus Ludovicus Magnus, „ Gallorum Rex, tanquam constitutio- „ num Ecclesiasticarum defensor, ro- „ bur addidit; siquidem ex sanctiore „ ejus Consilio anno 1665. decretum „ exiit, quo prohibetur ne Sacerdotes „ tum seculares tum regulares ineant „ contractus ad fundationes, quibus cer- „ tis diebus SS. Sacramentum exponere „ teneantur, nisi id causa publica, quæ „ prius a loci Ordinario probata sit, re- „ quirat; decretum vero sic Latine red- „ dit Meibesius Summæ Christianæ „ tertia parte; Plurimi privata sua au- „ thoritate peculiaris cujusdam cultus „ studio suscipiunt & accipiunt funda- „ tiones, quibus Augustissimum Eucha- „ ristiæ Sacramentum suis in Ecclesiis „ in aperto & propatulo exponere te- „ neantur. Quod quidem debitam tan- „ to Sacramento reverentiam immi- „ nuit & elevat. Ad coercendam hu- „ jusmodi licentiam, plenissime veta- „ mus illud ipsum Sacramentum ad „ opertum altari exponere, & in pro- „ cessionibus circumferre, præterquam „ eo tempore, quo Ecclesia officium „ Corporis Christi celebrabit, vel iis „ diebus, quibus fideles incumbent in „ extraordinarias orationes susceptas „ pro causa publica, eaque ab Episcopo „ approbata; itaut facultati ab ipso fa- „ ctæ prædicta expositio accepta refe- „ ratur. Præterea non licebit deinceps „ Sacerdotibus, sive Secularibus, sive „ Regularibus, qualicumque privilegio „ gravissis, inire contractus, aut con- „ ventiones, quibus sanctissimum Sa- „ cramentum adopertum exponere te- „ neantur, aut admittere fundationes „ in eum finem factitatas, nisi illas Epis- „ copus Diœcesanus suo mandato, vel „ consensu ratas habuerit. „

„ 3. Ut frequens fiat expositio necesse „ est, ut ita ferat laudabilis consuetudo, „ quæ nimirum, post Episcopi judicium, „ augendæ fidelium pietati conferat. „ Confirmari potest ea conditio ex re- „ gula, quam S. Augustinus epist. 118, „ ad Januarium his verbis tradit. „ *Totum hoc genus rerum, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, liberas habet observationes; nec disciplina est in iis melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesia, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.*

Postmodum ad Requisita descendens, eadem quoque probat enumeratione in Conclusioue 4. per hæc verba: „ „ Conclusio 4. Multa requiruntur, qui- „ bus venerabile Sacramentum palam „ expositum prosequi oporteat. Pro- „ batur enumeratione. 1. Requiritur „ ut altaria, in quibus SS. Sacramen- „ tum exponitur, honeste ac decenter „ ornentur; *Quod* (inquit S. Carolus in „ Concilio quarto Mediolanensi (*ut „ cum dignitate, decore, religioseque aga- „ tur, Altaris, vel Capellæ, ubi expone- „ tur*) SS. Sacramentum (*ornatus de- „ cens sit ac religiosus.*)

„ 2. Necesse est, ut plures cerei in al- „ tari coram SS. Sacramento perluce- „ ant; quinam vero debeat esse cereo- „ rum numerus, una ratione non est „ ubique definitum. S. Carolus in quar- „ to Concilio Mediolanensi huncce nu- „ merum præfigit, *Cerei præterea in „ altari ac censi, ad summum, decem, „ minimum vero, sex, decenti crassitudi- „ ne, ac longitudine colluceant. Lampa- „ des item ne plures quam duodecim, aut „ tredecim, nec vero pauciores, quam tres. „ Licebit tamen Episcopo ob causas per- „ mittere, ut major luminum numerus „ aliquando adhibeatur.* Sed observa- „ tum velim, eo loci S. Carolum agere „ de expositione, quæ fiat iis diebus, „ quibus quadraginta horarum oratio „ celebratur; alio enim tempore tan- „ tum cereorum ac lampadum nume- „ rum S. Præsul non requisiit. In pagis „ & vicis ob locorum paupertatem „ nonnullis Episcopis visum est satis esse „ ut duo cerei in altari coram SS. Sa- „ cramento ardeant. „

„ 3. Meminerint fideles, eos ritus ex- „ ternos adhiberi quidem ut debitus „ Deo cultus exhibeatur, sed præterea „ ut ad fidem, ac pœnitentiam exci- „ tentur. Presbyteri dent operam „ oportet, ut quisque situ ac modestia „ quam preseferat exterius, internam „ erga SS. Sacramentum reverentiam „ testetur. „

Tandem idem Jueninus citato loco §. 4. quærit; an possit vel debeat Christi Cor-

Digitized by Google

Corpus deportari ad incendium aliquod restinguendum? Et respondet negative; tum quia nulla sunt in Ecclesia monumenta, quibus dicta deportatio probetur; scilicet nulli sunt Canones, nulli sunt Ritus: tum etiam, quia sunt momenta, quibus probatur hujusmodi deportationem non expedire. Et hoc quidem hac ratione probat, quia Sacramentum Eucharistiæ ad triplicem tantum finem fuit a Christo Domino institutum; nempe ut fidem nostram exerceret; ut per eam Christus Deo Patri in sacrificium offerretur; & ut per esum sui animas nostras nutriret ac corroboraret. Inter hos autem tres fines extinctio incendii non adnumeratur. Insuper in Concilio 3. mediolanensi sub S. Carolo Borromæo, Cardinali Archiepiscopo, vetitum est deportare Eucharistiam ad imminentes tempestates arcendas: ergo pariter ad incendia extiguenda. Verba Concilii sunt: *Cum nimbi, procella, turbines, aut grandines impendunt; ne Sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur. Sed tabernaculum, ubi illud in altari reconditur, patefaciat: tumque in ejus conspectu litanias, aliasque religiosas preces, ejus rei causa institutas, pie sancteque pronuntiet.*

Et quanvis aliqua afferantur exempla in contrarium; idem tamen citatus Author his verbis refert & exponit; „ „ Nulla quidem exempla proferuntur, „ quibus constet, a viris, alioquin piis, „ ad incendia extinguenda eucharistiam „ deportatam fuisse; Legimus nimirum „ (Merbesio teste) in Chronico Episcoporum Albigentium, & Abbatum „ Castrentium, tempore Geraldi XVIII. „ Castriorum Abbatis, qui vivebat anno „ 1090. oblato Christi corpore extinctum esse incendium, quod igne cœlitus delapso Monasterium Castrense „ corripuerat, ut narratur Tomo 7. „ Spicilegii D. Lucæ d'Acheri part. 34. „ Idem contigit (ait mox laudatus „ Merbesius) die 31. Julii anno 1638. „ quo Antissiodorum grassante incendio conflictatum est; sed quæ nonnulli ex extraordinario S. Spiritus impulsu factitarunt, in regulam & exemplum trahi non debent, alioquin enim „ liceret sacrum corporale in flammas „ injicere, quo compescantur; quod „ tamen sub anathematis pœna prohibet Salegunstadiense Concilium celebratum anno 1023. sic enim loquitur, can. 6. „ *Conquestum est etiã in sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut quando incendium videant, corporale dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem projiciant; ideoque decretum est sub anathematis interminatione, ne ulterius fiat.*

Hanc alteram responsionem subdidit citatus Author, ut exemplis occurreret, per hæc verba: „ Licet nonnunquam „ ad Eucharistiæ præsentiam, incendia „ extincta sint; contigit tamen aliquando, & iterum contingere potest, quod „ incendia extincta non fuerint, & quod „ non sint extinguenda; Tunc vero „ nonnihil fidei & pietatis erga SS. Sacramentum detrahitur in mulierculis, „ cæterisque, qui nonnunquam de rei „ sanctitate ex miraculis judicant; tunc „ etiam hæreticorum, & perditorum „ quorumdam exponitur ludibrio. Periculum est ne deportatio Eucharistiæ „ ad incendia extinguenda, illicitia sit „ Dei tentatio, de qua hæc habet S. Thomas 2. 2. quæst. 97. art. 1. in corpore. „ *Homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis; verbis, quando Deo colloquimur orando: Unde in sua petitione expresse aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem. Factis autem expresse aliquis Deum tentat, quando per ea, quæ facit, intendit experimentum de Deo sumere, divinæ potestatis, sive pietatis, aut scientiæ. Sed quasi interpretative Deum tentat, qui etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem, vel cognitionem. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim in 2. Paralip. cap. 20.* „ Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. „ *Quando vero hoc agitur absque necessitate, & utilitate, hoc est interpretative Deum tentare; unde super illud Deuteronomii 6.* „ Non ten-

„ tentabis Dominum Deum tuum, *dicit Glossa; Deum tentat, qui habens quod facit, sine ratione committit se periculo, experiens utrum possit,*

DISSERTATIO CCCCXVIII.

De Ordinariis Eucharistiæ Ministris. An fuerint soli Episcopi? An sint etiam Sacerdotes? An Sacerdotes dispensare illam possint extra Missæ sacrificium?

DUPLEX actio distinguenda venit per Eucharistiæ Ministros; actio scilicet, quæ est consecratio, & quæ consistit in Eucharistiæ confectione; & actio, quæ est dispensatio, & quæ consistit in Eucharistiæ distributione. Minister autem ejusdem Eucharistiæ dupliciter pariter intelligendus occurrit; ordinarius nimirum, ad quem ex proprio munere spectat Eucharistiam conficere ac distribuere; & extraordinarius, qui eam aliquando dispenset, sed nunquam conficit. Ut autem juxta nostram consuetam methodum procedamus, errores primo loco proponimus.

Primo, fuerunt Hæretici quidam, de quibus suppresso nomine loquitur Tertullianus lib. de Præscription., qui omnem subvertere nitebantur Ecclesiæ disciplinam, ac ordinum, & functionum Hjerarchicarum distinctionem penitus confundere intendebant. Et hæc sunt verba Tertulliani cap. 41. citati libri: *Ordinationes eorum, temerariæ, leves, inconstantes ..... alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui erat Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam & Laicis Sacerdotalia munia injungunt.*

Secundo, Marcus hæreticus, & ejus Asseclæ, dicti Marcitæ, potestatem dabant mulieribus conficiendi Eucharistiam. Testatur S. Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 9. scribens: *Mulieribus dat calices mixtos, ipsas gratias agere jubet, præsente se. Et ubi hoc factum est, ipse alium calicem multo majorem quam est ille, in quo illa seducta Eucharistiam facit, proferens, & transfundens a minori, qui est ab eo allatus multo majorem, statim dicens ita &c.* Et hoc potissimum de præstigiis loquens, quæ ab eodem Marco in conficienda Eucharistia adhibebantur, & de magica impostura, in qua ipse erat peritissimus; ut cap. 8 ejusdem libri idem Irenæus asserit.

Tertio, & de Pepusianis affirmat S. Epiphanius hærs. 49. & de Collyridianis tradit pariter hærs 79. quod *mulieres* apud eosdem Episcoporum, ac Præsbyterorum munia obibant; & Collyridianos præcipue in Mariæ nomen panem offerebant.

Quarto, Waldenses volebant, quemlibet Laicum, si vir probus esset, posse Sacerdotis officium implere. Testatur Reynerus lib. contra Waldenses cap. 5. qui etiam asserit, quod iidem Hæretici nullam existimabant Eucharistiam, quam impius Sacerdos conficere tentaret.

Quinto, Lutherus lib. de Captivitate Babylonica cap. de Ordine, & libro de abroganda Missa, docuit, secundum hæc verba, quæ scribit Tournely de Sacramento Eucharistiæ quæst. 5. art. 2. „ Christianum quemlibet habere „ ex Baptismo potestatem consecrandi „ eucharistiam, ita tamen ut nemo of„ ficium istud aggredi debeat, nisi qui „ legitime vocatus sit, ut vitetur con„ fusio, quæ maxime foret, si quilibet „ mi-

Digitized by Google

„ miniſterium hoc ſibi vellet arrogare.„ Sexto, Anonymus quidam anno 1638. publici juris fecit Diſſertationem, in qua, ut idem Tournely ſcribit citato loco: „ Totus ille eſt, ut oſtendat, „ omnibus Chriſtianis ex æquo conceſ- „ ſam fuiſſe a Chriſto poteſtatem con- „ ſecrandi Euchariſtiam: ea tamen lege, „ ut id aſſumere ſibi non debeat Laicus, „ ſi vel nulla urgeat neceſſitas, vel præ- „ ſens adſit Sacerdos; iſto vero abſente, „ ac præmente periculo, non tantum „ hoc poſſe, ſed debere facere quemli- „ bet Laicum, ſicut ipſi licet eo in caſu „ baptizare. Adverſus Anonymum ſtylũ „ diſtrinxit doctiſſimus Petavius edita „ Diatriba de poteſtate conſecrandi. „

Dicimus I. Solos Sacerdotes habere poteſtatem conficiendi ſeu conſecrandi Euchariſtiam.

I. probatur ex Scripturis. Scripturæ docent illos habere poteſtatem conficiendi ſeu conſecrandi Euchariſtiam, quibus Chriſtus Dominus eandem contulit poteſtatem; ſed ex iisdem Scripturis Chriſtus Dominus contulit hanc poteſtatem ſolis Sacerdotibus: ergo ſoli Sacerdotes hanc poteſtatem habent. Minor probatur. Illis tantum Chriſtus Dominus hanc contulit poteſtatem, quibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ſed Chriſtus Dominus dixit hæc verba Apoſtolis, & ſub ipſorum nomine Epiſcopis, & Presbyteris qui ſolum ſunt Sacerdotes: ergo ſolis Sacerdotibus Chriſtus Dominus hanc contulit poteſtatem.

II. probatur. Si Chriſtus Dominus verba illa Chriſtianis omnibus dixiſſet, Chriſtiani omnes non ſolum poſſent, ſed etiam deberent Euchariſtiam conficere & conſecrare; ſed hoc eſt falſum: ergo ſolis Apoſtolis & conſequenter ſolis Sacerdotibus verba illa dixit. Probatur major; quia verba illa continent præceptum, quod quidem præceptum extenditur ad Chriſtianos omnes, ſi verba illa, ut Adverſarii contendunt, Chriſtianos omnes complectuntur.

III. probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. can. 18. his verbis reprehendit Diaconos, qui hac poteſtate uſi fuerant; & dicit: *Quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt Chriſti corpus accipiant*. Concilium Alexandrinum, quod refert S. Athanaſius Apolog. 2. credit hominem privatum non poſſe retinere in domo ſua Calicem conſecratum: ait enim: *Quomodo homo privatus, in privata domo habitans, poculum myſticum habere credatur?* Igitur ſi homo Laicus non poteſt retinere domi calicem conſecratum, multo minus poterit Euchariſtiam conficere, & conſecrare. Concilia Arelatenſe I. Ancyranum, Laodicænum, & alia, prohibent Diaconis ne offerre præſumãt; nomine autem offerre venit conſecrare. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. *Hoc itaque Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, Jeſus Chriſtus*. Concilium Florentinum in Decreto, *Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*. Concilium Tridentinum in ſeſſ. 22. capit. 1. *Sub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem*. Et can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit*.

IV. probatur ex Patribus. Juſtinus Apolog. 2. *Eum, qui fratribus, ideſt Chriſtianis, præeſt* (nempe Epiſcopum vel Preſbyterum) *rerum univerſarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offerre Euchariſtiam*. Epiphanius Diaconum ordinavit in Preſbyterum in Monaſterio S. Hieronymi, *ne multitudo fratrum ibidem degentium privarentur ſacris myſteriis, cum non haberent qui ſibi divina ſacramenta conficerent*; ſunt verba S. Epiphanii in epiſt. ad Joannem Hieroſolymitanum tom. 2. operum S. Epiphanii pag. 312. Hieronymus contra Diaconos ſcribens, qui hoc jus ſibi uſurpabant, adverſus Luciferianos, dicit, eos non habere Eccleſiam, quia Sacerdotem non habebant, qui Chriſti corpus conficeret, ſed Diaconum dumtaxat; & hæc ſunt ejus verba: *Hilarius cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam con-*

Digitized by Google

conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens. Et epist. 101. alias 85. ad Evangelium, *Quis patiatur ut supra eos se tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?*

V. probatur Rationibus. I. Illi sunt Ordinarii Eucharistiæ ministri, qui ex officio illam conficiunt & administrant; sed hi sunt soli Episcopi, & Presbyteri: ergo &c. Minor probatur ex I. ad Corinthios cap. 4. ubi Apostolus dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Et quanvis nomine mysteriorum intelligantur omnia Sacramenta, præcipue tamen intelligitur Eucharistia, quæ inter ipsa præcipuum obtinet locum. II. Soli Episcopi, & Presbyteri jure divino conficiunt, & dispensant Eucharistiam: ergo ipsi soli sunt ordinarii Eucharistiæ ministri. Antecedens probatur, quia soli Episcopi & Presbyteri ad hoc munus sunt ordinati, quam rationem affert S. Thomas 3. part. quæst. 82. art. 3. ubi hæc scribit: *Ipse* (Sacerdos) *consecrat in persona Christi: Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in cœna, ita & aliis sumendum dedit: unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio.* III. Ille est ordinarius Eucharistiæ minister, qui in omni Ecclesia & omni tempore, eam & confecit & ministravit; sed hi fuerunt soli Episcopi & Presbyteri: ergo &c. Minor patet ex Concilio Tridentino sess. 3. cap. 8. ubi dicitur, quod semper in Ecclesia mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem reciperent. IV. Quod conceditur alicui in aliquo munere constituto, ejusdem successoribus in eodem munere intelligitur concessum; sed ex una parte Apostolis fuit a Christo data potestas ut ex proprio ipsorum munere sacram Eucharistiam consecrarent & ministrarent; & ex altera in eodem munere, quantum ad corpus verum, & naturale Christi, Episcopi, & Sacerdotes sunt Apostolorum successores: ergo &c.

Arguunt I. ex I. Petri cap. 2. Omnes fideles sunt Sacerdotes; dicit enim, totum populum alloquens: *genus electum, regale Sacerdotium*: & ex Apocalypsi I. *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo Patri suo*: II. Illi sunt ordinarii Eucharistiæ ministri, quibus a Christo dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*: sed verba hæc fuerunt a Christo dicta toti Ecclesiæ in persona Apostolorum; ergo omnes ex Ecclesiæ Hierarchia sunt ordinarii Eucharistiæ ministri. III. Tertullianus existimavit, omnes Christianos teneri lege Monogamiæ, sicut eadem lege omnes tenentur Sacerdotes: ergo Tertullianus existimavit, omnes Christianos veros esse Sacerdotes. Verba Tertulliani in libro de exhortatione castitatis cap. 3. hæc sunt, „ Inde „ igitur apud nos plenius atque instructius præscribitur, unius matri- „ monii esse oportere, qui adleguntur in „ in Ordinem Sacerdotalem. Usque „ adeo quosdam memini digamos loco „ dejectos. Sed dices: Ergo cæteris li- „ cet, quos excipit, Vani erimus, si „ putabimus quod Sacerdotibus non „ liceat, laicis licere. Nonne & Laici „ Sacerdotes sumus? Scriptum est, „ Regnum quoque nos fecit, & Sacer- „ dotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem, „ constituit Ecclesiæ auctoritas, & ho- „ nor per ordinis consessum sanctifica- „ tus a Deo. Ubi ecclesiastici ordinis „ non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus; sed ubi „ tres, Ecclesia est, licet Laici: unus- „ quisque enim sua fide vivit, nec est „ personarum acceptio apud Deum. „ Igitur si habes jus Sacerdotis in te- „ metipso, ubi necesse est, habeas opor- „ tet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi „ necesse sit habere. Digamus tingis? „ Digamus offers? Quanto magis Lai- „ co digamo capitale est agere pro Sa- „ cerdote, cum ipsi Sacerdoti digamo „ facto auferatur agere Sacerdotem? „ Sed necessitati, inquis, indulgetur. „ Nulla necessitas excusatur, quæ po- „ test non esse. Noli denique digamus „ deprehendi, & non committis in ne- „ cessitatem administrandi, quod non „ licet digamo. „ IV. Idem Tertullianus tribuit omnibus Christianis, quæ tantum propria sunt Sacerdotum; nimirum ut observent Monogomiam; insuper ut baptizent, offerant, & alia munera exerceant, quæ Sacerdotes exercent &c. V. Idem Tertullianus loco citato dicit, quod hoc solum discrimen sit inter Clerum, & plebem,

Digitized by Google

bem, quod eſt ab authoritate Eccleſiæ, & ab honore conſeſſus: ergo non eſt ratione alicujus poteſtatis. VI. Idem Tertullianus citato loco docet, ibi eſſe veram Eccleſiam, ubi ſunt tres, quanvis Laici ſint: ergo, quum Eccleſia non poſſit eſſe ſine vero Sacerdote, Tertullianus putavit Laicos eſſe veros Sacerdotes. VII. Theodoretus lib. 1. hiſtoriæ cap. 23. refert hiſtoriam quandam cujuſdam Frumentii Laici, qui voluit, potuiſſe Mercatores Laicos celebrare divina myſteria, quia ibi nullus aderat Sacerdos. VIII. S. Laurentius, quum Diaconus eſſet, S. Sixto Pontifici, quando ad mortem rapiebatur, dicebat apud S. Ambroſium lib. 1. de officiis capit. 41. *Quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Nunquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras. Quid ergo in me diſplicuit pater? Num degenerem me probaſti? Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis conſecrationem. Cui Sacramentorum conſumandorum conſortium, huic tui ſanguinis conſortium negas?* Ex quibus verbis deducitur, quod poterant olim Diaconi Chriſti ſanguinem conſecrare ex Epiſcopi commiſſione vel delegatione.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo antecedens, improprie & metaphorice; ratione ſcilicet ſpiritualis hoſtiæ, quam offerunt Deo per preces & per opera pia, conceditur: vere & proprie; ratione ſcilicet ordinationis & poteſtatis conſecrandi euchariſtiam, negatur. Diſtinctionem explicat idem S. Petrus eodem cap. verſ. 5. dicens: *Ipſi tanquam lapides vivi, ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum.* Et Auguſt. explicat clarius lib. 20. de Civitat. Dei cap. 10. ubi ait, quod improprie & metaphorice *omnes Chriſtiani ſunt membra unius Sacerdotis ſummi, nempe Chriſti*: proprie vero *ſoli Epiſcopi & Presbyteri in Eccleſia vocantur & ſunt Sacerdotes*. Sic pariter reſpondetur ad illud Apocalyp. & dicitur, quod eodem modo Deus fecit omnes Chriſtianos Sacerdotes, quo fecit Reges; ut habetur in Apocalypſi citata; ſed Reges fecit myſtice & improprie: ergo ita pariter fecit Sacerdotes.

Ad II. dicimus, quod verba illa dicta fuerunt toti Eccleſiæ; cum conditione tamen, quod eſſent exequutioni demandanda per certas perſonas, & non per omnes, quæ in Eccleſia ſunt; videlicet, per Epiſcopos, & Sacerdotes. Sic reſpondet Auguſtinus lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 17.

Ad III. Tertullianus exiſtimavit omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes propter capacitatem, quæ in ipſis eſt, ut in Sacerdotes eligantur, & conſecrentur; non vero propter traditam ipſis poteſtatem Euchariſtiam conſecrandi, & alias veri Sacerdotis functiones obeundi. Hanc doctrinam per hæc verba explicat Tournely de Sacram. Euchariſt. quæſt. 5. art. 2. concl. 2. „ Itaque in ea mente revera fuit Tertullianus, „ omnes ſcilicet Chriſtianos „ lege monogamiæ teneri duabus de„ cauſis: 1. quia ſunt Sacerdotes. 2. quia „ in veros Sacerdotes eligi & conſecra„ ri poſſunt. I. Sacerdotes appellat „ omnes Chriſtianos, latiori quodam„ ſenſu, nempe propter ſpirituale ſa„ cerdotium, quo ſpiritualis hoſtia ex „ fide & pietate Deo in orationibus, ac „ charitatis operibus offerunt. Seipſum „ non obſcure exponit Tertullianus „ loco citato, cum inſinuat ſacerdotium, „ de quo loquitur, per fidem exerceri: „ *Vnuſquiſque*, inquit, *ex ſua fide vivit, „ nec eſt perſonarum acceptio apud Deum*: „ Cum vero addit, tale eſſe ſacerdotium „ illud, quale regnum, tam ſtupidus „ non fuit, ut exiſtimaverit Chriſtianos „ omnes veros eſſe reges. Præterea in „ aliis ſuis operibus exponit quale ſit il„ lud ſpirituale ſacerdotium, & in quo „ poſitum ſit. Libro ad Scapulam cap. „ 2. *ſacrificium*, inquit, *pro ſalute Impe„ ratoris, ſed Deo noſtro, & ipſius; ſed „ quomodo præcipit Deus, pura prece*. „ Et lib. 4. contra Marcionem cap. 1. „ ſit loquitur: *In omni loco ſacrificium „ nomini meo offertur, & ſacrificium mun„ dum, ſcilicet ſimplex oratio de conſcientia „ pura*. Cum igitur ſcribit, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, nomen Sa„ cerdotis in latiori ſignificatione uſur„ pat; pro eo ſcilicet, qui orationes ac „ pietatis opera Deo tanquam victimas „ ſpirituales offert. II. Omnes Chri„ ſtianos vocat Sacerdotes, remote „ ſcilicet, initate, ac diſpoſitive, quia „ veri Sacerdotes ex Chriſtianis eligun„ tur, aſſumuntur, & conſecrantur: „ unde concludit, illos in ſe exprimere „ de-

„ debere conditiones omnes in Sacer-
„ dotibus requisitas, & consequenter
„ lege monogamiæ teneri. Seipsum
„ ita exponit capite laudato libri de
„ exhortatione castitatis: „ *Omnes*
„ *nos Deus ita vult dispositos esse*,
„ *ut ubique Sacramentis ejus obeundis*
„ *apti simus ..... Usque adeo nisi &*
„ *Laici ea observent, per quæ Presbyteri,*
„ *qui de Laicis adleguntur?* „ Ex quo
„ tantum abest ut colligi possit existi-
„ masse Tertullianum omnes Christia-
„ nos esse Sacerdotes, quin potius op-
„ positum eruitur; vult enim ex Chri-
„ stianis assumi & consecrari Sacerdo-
„ tes; ergo supponit illos omnes veros
„ non esse & proprie dictos Sacerdotes
„ ante electionem, & consecrationem.
„ Idem ratiocinium post Tertullianum
„ usurpavit S. Hieromymus Epistola
„ 92. alias 11. ad Ageruchiam. *Et nos*
inquit, *putamus Sacerdotium hoc tan-*
tum esse privilegium, ut non admittatur
ad altare, nisi qui unam habuerit uxo-
rem ..... quanquam lege Sacerdotali
teneatur & Laicus, qui talem præbere
se debet, ut possit eligi in Sacerdotium.
Non enim eligitur, si digamus fuerit.
Porro eliguntur ex Laicis Sacerdotes.
Ergo & Laicus tenetur mandata per
quæ ad sacerdotium pervenitur,

Ad VI. Si omnes Christiani ex seipsis potuissent illa munera obire, non fuisset necesse ut iisdem a Tertulliano committerentur. Si autem Tertullianus ipsa eis commisit, signum est apertissimum; quod ex seipsis non habebant. Commisit autem non proprie, sed ratione spiritualis gratiæ, quæ in casu necessitatis sine ministerio datur; ut late explicat idem Tournely.

Ad V. discrimen illud inter Clerum, & Plebem verum est ab auctoritate Ecclesiæ esse, sed incohate & inadæquate, non vero complete & adæquate. Quatenus scilicet soli Christiani eligi poterant Sacerdotes, at non alii, qui Christiani non essent.

Ad VI. est utique vera Ecclesia ratione fidei, charitatis, aliorumque virtutum; at non ratione ministerii & Sacerdotii proprio & stricto sensu accepti.

Ad VII. Rufinus lib. 5. hist. cap. 9. hanc historiam narrans nullam facit Eucharistiæ mentionem, sed tantum orationum; dicit enim, quod Frumentius *adnexuit ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ ritu romano orationis causa confluerent*. Sic pariter Sozomenus lib. 2. cap. 23. & Nicephorus lib. 8. cap. 35. eandem historiam narrantes, orationis solius, & non Eucharistiæ, meminerunt.

Ad VIII. dicitur, legi in loco illo Ambrosii, non dominici sanguinis consecrationem, sed dominici sanguinis dispensationem; quæ quidem dispensatio largo modo potest dici consecratio vel sanctificatio; ut docet Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 25.

Pro altera tandem Dissertationis parte, certum habemus, quod extra Missæ sacrificium possint Sacerdotes Eucharistiam dispensare, vel ministrare; dummodo tamen aliquæ serventur conditiones, ex quarum inobservantia, & sunt qui mortale peccatum inducunt, & sunt qui asserunt induci tantum veniale. Nos & conditiones ipsas adducemus, & Theologorum pariter opiniones circa earundem defectus, si qui aliquando occurrant.

I. Pro Conditione ponunt, quod Sacerdos, etiam extra missam Eucharistiam ministrans, non debeat esse in mortali; & si sit, Suarez putat peccare mortaliter; Vasquez vero credit non peccare plusquam venialiter. Alii Theologi pro & contra adducuntur a Leandro de SS. Sacramento part. 2. tract. 7. disp. 4. quæst. 25.

II. Conditio est, quod ministret cum superpellicio: & de hoc idem Suarez scribit, quod loquendo præcise de dispensatione Sacramenti, quæ fieri potest ex præconsecratis, sufficit quod dispensatio fiat in loco sacro, aut approbato ab Episcopo, & quod minister indutus sit saltem superpellicio & stola, ut notant Turrecremata, & Jacobus de Gratiis, qui dicunt, hæc est necessaria sub præcisa obligatione: præter hoc autem nihil aliud esse videtur in rigore & ex gravi culpa præceptum necessarium.

III. Conditio est, quod ministret cum stola; & hunc defectum Philibertus putat esse veniale peccatum, & ejus verba refert citatus Leander q. 25. „
„ Non excusarem tamen a veniali eum,
„ qui stola non uteretur in administran-
„ da Eucharistia, juxta antiquissimum
„ Ecclesiæ ritum novissime a Paulo V.
„ *in Rituali Romano de Sacramento Eu-*

„ *cha-*

Digitized by Google

„ *charistiæ ad finem* innovatum regula-
„ riter. „ Ipse tamen Leander ex se-
„ ipso hæc habet: „ Sed longe proba-
„ bilius respondeo: non teneri, saltem
„ sub mortali. Quia licet præceptum
„ sit sub pœna excommunicationis in
„ *Can. Ecclesiast. dist.* 13. tamen hujus-
„ modi decretum, vel jam est usu ab-
„ rogatum, vel nunquam sub tanto
„ onere receptum. Sic Suarez disp. 68.
„ sect. 1. Navar. cap. 21. num. 54. Syl-
„ vester verb. Sacerdos 9. 4. Sa verb.
„ Eucharist. num. 31. in edit. prima,
„ nam in correcta non ita clare. Azor.
„ 1. part. lib. 10. cap. 28. quæst. 12. Re-
„ ginald. lib. 29. num. 112. Pitigianus
„ dist. 13. 9. 2. art. 5. Fagundez lib. 3.
„ cap. 4. num. 6. Henriquez lib. 8. cap.
„ num. 2. lit. N, Gavant. in Com. Rubr.
„ Missalis, tom. 1. part. 4. tit. 8. num. 7.
„ Granad. tract. 11. de Eucharist. disp. 1.
„ num. 3. Diana loc. cit. Bonac. disp. 4.
„ quæst. 6. punt. 2. num. 2. & Philiber-
„ tus tract. 7. de Ordin. part. 8. cap. 8.
„ num. 6. qui duo referunt pro hac sen-
„ tentia Naldum (quem videre pro nunc
„ non potui) eodem loco, quo Diana
„ pro contraria citaverat. „

DISSERTATIO CCCCXIX.

De extraordinariis Ministris in dispensanda Eucharistia. An Diaconi olim in utraque Ecclesia Eucharistiam dispensaverint? An dispensaverint Clerici minores? An dispensaverint Laici?

PRæmittimus hic, Theologos quosdam post Morinum lib. 8. de pœnitentia cap. 24. colligere ex antiquis Conciliis, Laodicæno, Ancyrano, & Arelatensi I. quod olim Diaconi sibi arrogaverint potestatem consecrandi seu conficiendi Eucharistiam; quod tamen ab aliis Theologis improbatur. Ulterius præmittimus Anno 828. fuisse habitam Synodum Parisiensem, quæ lib. 1. can. 45. reprimebat aliquarum mulierum temeritatem, quæ eo devenerant, *ut mysteria corporis, & sanguinis Christi populo distribuerent*.

Dicimus I. Diaconos esse ministros extraordinarios, & ex licentia, dispensationis Eucharistiæ; olim quoque eam dispensasse, tam in Ecclesia Græca, quam in Latina.

I. probatur Conclusio, quod scilicet olim Diaconi Eucharistiam dispensaverint. Justinus in apolog. 2. & S. Cyprianus tract. de lapsis afferunt, Diaconum offerre præsentibus calicem, idest porrigere & propinare. Hoc ipsum testatur S. Augustinus serm. 37. de diversis, de S. Laurentio. Insuper in Ordine Romano hæc dispensatio describitur tanquam munus & officiū Diaconorum. Denique Concilium Aquisgranense Anno 816. cap. 7. hæc habet: *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

II. probatur, quod hoc fecerint Diaconi ex licentia Episcoporum vel Presbyterorum. Concilium Carthag. IV. can. 38. *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si ne-*

Digitized by Google

si necessitas cogat, jussus eroget. Et Gelasius I. S. P. in epist. ad Episcopos Lucaniæ; *Diaconi sacri Corporis Christi prærogationem sub conspectu Pontificis seu Presbyteri, nisi his absentibus, jus non habent exercendi*. Denique Concilium Arelatense I. can. 15. *In Secretario Diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat*. Ex quibus hæc infert Tournely: „ „ Atque inde factum est, ut quoties „ Diaconi jus dispensandi Eucharistiam, „ quasi proprium ac debitum arrogare „ sibi voluerunt, strenue repressi sunt, „ & in ordinem redacti. Non amplius „ viget apud nos usus antiquus, ut Diaconi, saltem ex dispensatione ac licentia, Eucharistiam distribuant; „ Contrarium nihilominus Tournely dicto docet Juenius cap. 2. art. ic 1. concl. 2. his verbis: „ Conclusio 2. „ si necessitas urgeat, Diaconi, etiam „ his temporibus, Eucharistiam fideli„ aus dispensare possunt. Probatur I. „ Canones dispensationem Eucharistiæ „ Diaconis non prohibent, nisi, cum „ adsunt & Episcopus & Presbyter, & „ non urget necessitas, ut patet ex al„ tero Concilio Arelatensi, & quarto „ Carthaginensi quorum textus supra „ laudati sunt: Econtra cum absunt „ Episcopus & Presbyter, & urgeat ne„ cessitatis casus, iidem canones Dia„ conis indulgent ut Eucharistiam di„ stribuant, *Si necessitas evenerit* (inquit „ Alcuinus) *& Presbyter non fuerit „ præsens, Diaconus suscipiat Pœnitentem, „ & det sanctam communionem*. Ii vero „ canones nullo posteriore, nullaque „ consuetudine contraria, in non usum „ abierunt; proindeque Diaconi, ur„ gente necessitate, antiqua delegata „ facultate potiuntur. „

III. probatur ex verbis Conciliorum Arelatensis, Ancyrani, & Laodicæni, quæ quidem, quum non probent consecrationem, seu confectionem Eucharistiæ in Diaconis, probant tamen dispensationem ejusdem seu distributionem. Et quidem Concilium Arelatense I. can. 15. statuit: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*. In quibus verbis *vox offerre* non significat consecrationem, sed dispensationem, seu ministrationem, quæ fiebat a Diaconis absque licentia Episcopi, vel Presbyteri; quod late probat citatus Tournely. Concilium vero Ancyranum can. 2. præcipit: *Diaconi similiter, qui sacrificarunt, postea autem reluctati sunt, alium quidem honorem habere ipsos autem ab omni sacerdotali ministerio cessare, & panem vel calicem offerendi, vel prædicandi*; in quibus *vox sacrificare* importatur per idolis immolare, ut citatus author probat. Concilium denique Laodicænum sub S. Silvestro, Romano Pontifice, can. 25. statuit: *Non oportet ministros panem dare, vel Calicem benedicere*; hic enim agitur de Subdiaconis, non de Diaconis; & denique ex aliis momentis apud citatum Theologum videndis.

Obstant I. Diaconi sunt ministri Ordinarii dispensationis Eucharistiæ: ergo non dispensant illam ex delegatione. II. Diaconi re ipsa olim Eucharistiam dispensabant ex jure suo, ut colligitur ex S. Justino & S. Cypriano citatis locis: ergo non dispensabant Eucharistiam ex alterius commissione, III. Diaconi olim in ruribus regebant plebem: ergo facile fuit quod sibi arrogarent jus consecrandi, quod legitur in præfatorum Conciliorum canonibus. Antecedens est doctrina, quæ legitur in Concilio Illiberitano capit. 77. in literis Constantini, apud Eusebium lib. 2. de vita Constantini cap. 46. in Sancto Cypriano epistol. 11. & Concil. Tolet. anno 587. IV. Idem S. Cyprianus epistol. 13. dedit Diaconis aliquando potestatem absolvendi: ergo ex hoc poruerunt Diaconi sibi assumere potestatem dispensandi Eucharistiam proprio jure. V. Si quæ adducuntur exempla, quibus probatur Diaconos olim dispensasse Eucharistiam, nō idem tamen fuit mos apud Græcos, & apud Latinos: ergo si varia fuit consuetudo, non fuit ex traditione promanata. VI. Nec etiam certo constat, num Diaconi dispensantes Eucharistiam, eam vel ori fidelium infuderint, an vero tradiderint in manus ipsorum; ergo ex hac incertitudine inferri optime potest, quod nulla fuerit antiquitus legitima consuetudo, quod Diaconi Eucharistiam dispensaverint.

Respondemus ad I. Quod Diaconi jure ordinationis suæ nunquam habuerunt facultatem dispensandi Eucharistiam fide-

Digitized by Google

fidelibus, qui ex Apoſtolica ttaditione eam debebant aSacerdotibus accipere; ut docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 8. *Semper in Eccleſia Dei hunc morem fuiſſe, tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendentem, ut Laici Euchariſtiam a Sacerdotibus acciperent.*

Ad II. Verum eſt, quod nonnulli Diaconi, ſpreta Sacerdotum licentia, arrogabant ſibi tanquam jus debitum Euchariſtiam miniſtrare; ſemper tamen fuerunt compreſſi, & juſſi ſunt intra limites ſui ordinis ſe continere. Et ſi aliquando fecerunt, de licentia Epiſcopi vel Presbyteri id præſtiterunt. Unde iis præſentibus non poterant nec baptizare nec offerre, ſcilicet diſpenſare vel diſtribuere Euchariſtiam; ut ſcribit Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 28.

Ad III. Negatur conſequentia, & rationem affert Tournely per hæc verba: *Ea enim lege Diaconi plebem olim in ſuis Diaconiis regebant ut Baptiſmi gratiam, ac pœnitendi copiam in neceſſitate dumtaxat poſitis impertirent, nam extra neceſſitatem, nefas; deinde, ut monitis ſuis commiſſas oves foverent, ſicut loquitur S. Cyprianus epiſt. 11. Oblationes vero eoſdem a plebe exigere, vel conſecrare auſos, nemo prodidit.*

Ad IV. negatur totum quod dicitur ex S. Cypriano; contrarium enim probavimus quum de Sacramento Pœnitentiæ ageremus.

Ad V. dicitur, quod tantum abeſt ut diverſitas in conſuetudine, eam deſtruat, quod potius eandem confirmare videtur. Diverſitas autem hæc conſiſtebat in his, quæ leguntur apud Jueninum. „ Nam I. in Eccleſia Græca „ Diaconi ſolenniter & in publicis Synaxibus Euchariſtiam fidelibus diſtribuere ſolebant; ea nimirum praxis ex Juſtino, & Concilio Nicæno jam „ jam relatis non obſcure colligitur: „ Econtra in Eccleſia Latina, eam publicis in Conventibus non diſpenſabant. *Euchariſtiæ Sacramentum* (inquit „ Tertullianus lib. de Corona militis) „ *nec de aliarum manu quam de præſidentium ſumimus*; Diaconi vero paſſim „ Chriſtianorum cœtibus non præſidebant, ſed tantum Epiſcopi aut Preſbyteri, 2. Apud Orientales (ut ex „ laudatis ſuperius locis patet) Diaconi, „ etiam ubi Presbyteri aderant, Euchariſtiam Subdiaconis, minoribus Clericis, & Laicis porrigebant: Apud Occidentales vero non niſi cum Epiſcopus & Presbyter aberant, aut ſaltem „ erant impediti, *in Secretario Diacono „ inter Preſbyteros ſedere non licet* (inquit can. 15. Concilii ſecundi Arelatenſis celebrati anno 452.) *vel Corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumat.* Quod ſi fecerit, „ ab officio diaconatus abſcedat. 3. „ Diaconi Græci paſſim extra neceſſitatis caſum SS. Sacramentum erogabant, Latini vero non niſi urgente „ neceſſitate; *Si neceſſitas evenerit* (ait „ Alcuinus) *Diaconus det ſanctam communionem*. 4. Apud Græcos Diaconis „ opus non erat Epiſcopi aut Presbyteri „ ſpeciali mandato ut Euchariſtiam diſtribuerent, jure enim communi, licet per commiſſionem, ea poteſtate „ fruebantur, ut ex can. 18. Nicæni I. „ Concilii demonſtratum eſt ſuperius; „ Apud Latinos autem etiamſi neceſſitas urgeret, id non poterant niſi ſpecialiter a Presbytero, ſi tamen adeſſet, juberentur, *Ut Diaconus* (ait IV. „ Concilium Carthaginenſe can. 38.) „ *præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti Populo, ſi neceſſitas cogat, „ juſſus eroget.* „

Ad VI. ex verbis ejuſdem Juenini etiam reſpondemus: „ Diaconos, cæteroſque miniſtros, Euchariſtiam tradidiſſe „ in manus fidelium; Idque probatur I. „ ex Cyrillo Hieroſolymitano, qui Catecheſi V. Myſtagogica hæc habet, *Accedens ad communionem, expanſis manuum volis accede; neque disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjiciens dextræ, quæ tantum Regi ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe Corpus Chriſti dicens, Amen.* 2. „ Idem „ evincitur ex Baſilio, qui in epiſtola „ ad Cœſariam Patriciam, hæc ait, „ *Sacerdos particulam tradit; detinet autem eam, cum omni libertate is, qui accepit, & ſic ori admovet propria manu.* „ „ 3. Idem habetur ex Ambroſio, qui „ ſic apud Theodoretum lib. 5. hiſt. cap. „ 17. affatus eſt Theodoſium, poſt cædam Theſſalonicenſem; „ *Qui, quæſo, manus injuſta cæde & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiſdem ſacroſanctum Corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum ejus ſanguinem ori admovebis, qui furore iræ jubente tantum ſanguinem tam inique effudiſti?* „

Hic

Digitized by Google

„ Hic monendus est Lector, in susceptione Eucharistiæ inter viros, & mulieres, hoc extitisse discrimen in Occidente, quod viri nuda manu recipiebant, mulieres vero subjecto linteolo, quod *Dominicale* dicebatur. *Non licet mulieri* (inquit Concilium Antisiodorense can. 36.) nuda manu eucharistiam accipere. Ejusdem moris antea observati testis est Augustinus serm. 252. *de tempore*, ubi hæc scribit; *Mulieres quando traditum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castũ & cor mundum exhibeant.* Ejusmodi consuetudinem obtinuisse pariter apud Orientales testis est Maximus, egregius propugnator catholicæ veritatis adversus Monothelitas, quique claruit circa annum Domini sexcentesimum quinquagesimum; hæc enim ait apud Baronium ad annum Christi 51. *Omnes viri, qui communicari desiderant, prius lavent manus suas, ut mente pura, & nitida conscientia, Christi Sacramenta suscipiant; similiter & mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Christi accipiant pura mente & munda conscientia.* Tempore, quo habita est Synodus Quini-sexta, nonnullos reperire erat, qui sub pietatis obtentu vascula quædam pretiosa exhiberent, quibus exciperent eucharistiam. Orientales Episcopi in eos animadverterunt, laudatæ Synodi can. 101. ubi sic loquitur: *Corpus Christi & templum, hominem ad imaginem Dei creatum divinus magna voce appellat Apostolus. Omnem ergo sensibilem creaturam superans, is qui salutari passione cœlestem dignitatem est assecutus, Christum vel bibens vel comedens, æternæ vitæ adaptatur; animam & corpus divinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, & offerre se ad communionem, manus in crucis formam figuratus sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim, qui ex auro, vel ex alia materia, quædam, loco manus, receptacula efficiunt ad divini numinis susceptionem, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam subjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehensus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejusmodi receptacula afferunt, & ipse segregetur, & is qui affert.* Eo canone mulieres viris non æquantur, quasi nuda manu Eucharistiam excipere, ut viri solebant, jubeantur; sed abusus tollitur, quo nimirum plerique tum viri, tum mulieres, non manum offerrent, sed receptacula, quibus eucharistiam exciperent. „

Dicimus II. Minores Clericos aliquando ex Ecclesiæ indulgentia sibi & aliis privatim eucharistiam ministrasse.

I. probatur Conclusio ex facto, quod narratur a Beda, Adone, Usuardo, in suis, respective, Martyrologiis: *Romæ via Appia in Cæmeterio Callixti, natale S. Tharsitii, Acolythi, & martyris, quem Sacramenta corporis Domini deferentem Pagani cum reperissent, cæperunt disquirere, quid gereret? Is indignum ratus margaritas porcis, hoc est, discussoribus prodere, ab eis tandiu fustibus & lapidibus mactatus est, donec spiritum exhalavit: ut evolato ejus corpore sacrilegi nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut vestibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore.* Quibus addit Jueninus citato loco art. 3. „ Passus est vero Tharsitius octava persecutione sub Valeriano, & Galieno Imperatoribus; cum ergo sæviret persecutio, Acolythi, absentibus Presbyteris & Diaconis, Eucharistiam fidelibus largiebantur.

II. probatur. Theologi, qui hoc negant, loquuntur de præsenti Ecclesiæ disciplina: ergo antiquitus concedunt, id licitum fuisse Clericis inferioribus ex Ecclesiæ indulgentia. Antecedens probatur ex verbis Tournely, qui stat pro contraria opinione; verba etenim ipsius sunt: „ Quæres I. an Subdiaconi & alii inferiores Clerici, possint „ Eucharistiam fidelibus dispensare? „ Respond. ex mox dictis, id ipsis licitum non esse; neque nonnulla in contrarium facta singularia opponenda, nisi velis etiam & Laicis id etiam „ num licitum fore, exemplo veterum, „ qui eucharistiam ad absentes vel deferebant, ut constat exemplo Serapionis apud Eusebium, vel secum domum asportabant, ut eam sibi ipsis „ propriis manibus administrarent. Nihil simile jam patitur Ecclesiæ disciplina. „

Dicimus III. Laicos, etsi quandoque sibi Eucharistiam ministraverint antiquitus, modo tamen non posse, quan-

quanvis urgeat mortis periculum, ſi non obtineatur Pontificis diſpenſatio.

I. Concluſionis pars I. probatur; Antiquitus ea vigebat in Eccleſia conſuetudo, ut Laici reciperent a manu Sacerdotis, vel Diaconi Euchariſtiam, & in proprias domos aſportarent, ut in perſecutionis furore ea corroborarentur: ergo tunc ſibi ipſis Euchariſtiam miniſtrabant. Antecedens probatur PP. teſtimoniis, & præcipue Tertulliani, qui lib. 2. ad Uxorem, cap. 5. hæc ſcribit: *Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? Etſi ſciverit panem, non illum credet eſſe, qui dicitur. Et hæc ignoranti quiſque, rationem ſimpliciter ſuſtinebit, ſine gemitu, ſine ſuſpicione panis, an veneni.* Baſilii in epiſtola ad Cæſariam Patriciam: *Perſecutionis temporibus neceſſe autem habere aliquem, ſi non adſit Sacerdos, communionem propria manu ſumere, minime eſſe grave, eſt ſupervacaneum oſtendere; propterea quod longa conſuetudine etiam per res ipſas probetur. Omnes enim, qui ſunt in deſertis Monachi, ubi non eſt Sacerdos, illic habentes communionem, ex ſe ipſis eam ſumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto unuſquiſque ex Laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi ſuæ. Nam cum Sacerdos ſemel conſecerit hoſtiam, & dederit, eam accipiens & communicans tanquam a Sacerdote ſumptam participare ſe, debet credere: Etenim in Eccleſia Sacerdos tradit particulam, & cum omni poteſtate, ac libertate eam tenet, qui accipit, & ſic ſua manu ad os eam adducit.*

II. probatur. Quod ſubſequentibus Seculis ab Eccleſia legitur prohibitum, ſignum eſt, quod antecedenter erat permiſſum; ſed hæc Euchariſtiæ aſportatio ad proprias domos legitur prohibita: ergo antecedenter erat permiſſa: Antecedens probatur ex Synodo Cæſarauguſtana can. 3. ſub Hormiſda Pontifice: *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam non conſumpſiſſe in Eccleſia, anathema ſit*: Ex Concilio Tolentino I. can. 14. *Si quis acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut Sacrilegus propellatur.* Ex Concilio Toletano II. can. 22. *Cum & infidelis infideliter hæc agat, & fidelis fideliter accipiat quod naturalis neceſſitas non ſinit eum deglutire. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in mortis exitu pragravata, tanto ſiccitatis pondere deprimi, ut nulla ciborum illatione refici, vix tantum illiciti poculi gratia delectetur ſuſtentari. Quod in multorum exitu vidimus, qui votis optatum Sacræ Communionis expetentes viaticum, collatam ſibi à Sacerdote Euchariſtiam rejecerunt. Non quod infidelitate hæc agerent, ſed quod præter dominici calicis hauſtum, traditam ſibi non poſſent* (alteram ſpeciem) *deglutire. Non ergo ii ab Eccleſiæ corpore ſeparandi, qui neceſſitate, non infidelitate, hæc fecerunt. Placuit ergo definire, quòd neque fideli noceat, neque infideli inultum exiſtat. Quicumque ergo fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus, Euchariſtiam perceptam rejecerit, in nullo Eccleſiaſticæ damnationi ſubjaceat.*

II. Concluſionis pars I. probatur. Ex Synodo Remenſi, quæ refertur in cap. *Presbyter* diſt. 2. *de Conſecrat.*, ubi ſic legitur: „ Quod cum infirmitatis articulo Presbyteri quidam „ aut Laico (ut in Serapione ante vidimus ex Dionyſio Alexandrino) aut „ Fœminæ ſacrum Domini corpus ad „ deferendum infirmis traderent, ita „ divina parvi pendentes myſteria, ut „ quibus prohibetur, ne vel in Sacra„ rium ingrederentur, nec accederent „ ad altare, iis tamen Sancta Sancto„ rum committerentur, Synodus id „ quam eſſet turpe cujuslibet privati „ prudentiæ expendendum permiſit, „ interdixit vero ne quid ſimile Pres„ byteri deinceps præſumerent. „

II. probatur. Apud Latinos prohibentur Subdiaconi ſacra vaſa contingere; ergo a fortiori contingere Corpus Chriſti. Quod confirmatur ex Ordine Romano, uti legitur: *Presbyteri & Diaconi, oſculando Epiſcopum, corpus Chriſti ab eo manibus accipiant in ſiniſtra parte altaris communicaturi; Subdiaconi autem oſculando manum Epiſcopi, ore accipiant corpus Chriſti ab eo.*

III. probatur. Quod apud Græcos Laici nunquam ſibi ſacram communionem porrexerint: & quidem primo ex Concilio Trullano can. 58., ubi hæc leguntur: *Nemo eorum, qui ſunt in Ordine Laicorum, divina ſibi myſteria impertiat præſente Epiſcopo, vel Pres-*

Presbytero, vel Diacono. Qui autem tale quid ausus fuerit, ut præter ea, quæ sunt constituta faciens, una septima segregetur, & ex eo doceatur non amplius sapere, quam sapere oportet.

Insuper subdit Jueninus: „ Licet „ Laici in Græcia promiscue Eucharistiam privatas in domos non deferant, nec jam accipiant in manibus „ (ut antiquitus); nonnulli tamen, & „ præsertim Monachi, licet in Ordine Laico consistentes, eam (Arcudio teste lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ) secum solent portare, dum „ longius peregrinantur; imo & in locis, quæ Turcarum Imperio subjacent, ad Ægrotos latenter deferunt; „ *Et vero* (Arcudii verba sunt) *Græcorum populus non eam, ut olim, in manibus accipit, neque defert amplius domum, sed Monachi tantum, idque in itineribus longioribus. Quod sane in locis Christianorum fieri absurdissimum esse videtur, propter parvam reverentiam erga tantum Sacramentum. At vero in locis Turcarum & Barbarorum infidelium, alia est habenda hujus consuetudinis ratio.* „

IV. probatur. Pro Pontificia Dispensatione exemplis, quæ adducit idem Jueninus, per hæc verba: „ 1 Quondam Ecclesia dispensarat, ut sævientе persecutione Laicis sibi ipsis Communionem Eucharisticam impertirentur (ut superius demonstratum est). Ergo eandem facultatem poterit simili in casu cuilibet Laico indulgere. 2. Proxime elapso seculo „ Pius Papa V. maxime piæ Scotorum „ Reginæ Mariæ Stuart id juris fecit, „ cum ab Elizabeta, Anglorum Regina, Carholicis infensissima, in carcere detineretur; unde fertur quod „ seipsam SS. Sacramento, quod apud „ se ex Pii V. consilio permissa servabat, munierit, antequam capite „ plecteretur. „

DISSERTATIO CCCCXX.

De Eucharistiæ subjecto. An Eucharistia dispensari possit Infantibus? An dispensari debeat Energumenis? An dispensari possit Amentibus?

SUB nomine subjecti Eucharistiæ comprehenduntur illi omnes, qui Eucharistiã suscipiunt; ac proinde sunt Eucharistiæ susceptores. Et quia triplici modo potest Eucharistia suscipi, sacramentaliter scilicet tantum, spiritualiter quoque dumtaxat, & sacramentaliter simul ac spiritualiter; ut docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. his verbis: *Quoad usum recte & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem Cœlestem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul & spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant*: Nos non loquimur hic nisi de iis, qui sacramentaliter simul, & realiter suscipiunt, quos S. Justinus Apolog. 2. putat esse Christianos omnes. Ait enim: *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto,*

Digitized by Google

luto, & ita ut Christus tradidit, vivenți: Attamen hæc est prima & universalis conditio, quæ in Suscipientibus Eucharistiam requiritur; quia quum hæc sit Sacramentum novæ legis, & janua Sacramentorum sit Baptismus, proinde Baptismus omnino requiritur in Suscipientibus illam. Ultra tamen conditionem hanc aliæ etiam requiruntur, quas in præsenti & in sequentibus Dissertationibur, expendemus.

Et quidem primo occurrit de Infantibus, circa quos videndum est, quænam fuerit antiqua Ecclesiæ disciplina, & quænam sit præsens? & an præsens aliquam mereatur censuram, ut falso putant Heterodoxi?

Dicimus I. secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam, tam apud Latinos, quam apud Græcos, fuisse Infantibus Eucharistiam dispensatam.

I. probatur de Latinis, testimonio S. Cypriani lib. de lapsis hæc scribentis: *Præsente, ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recipit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis, eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc plorans concuti, nunc mentis æstu fluctuabunda jactari, velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cæpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violata Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas.* Qui quidem mos tertio Seculo vigebat. Et de seculis subsequentibus usque ad duodecimum testimonia refert illorum temporum, Tournely art. 3. sub his verbis: „ De „ tertio seculo testis S. Cyprianus, „ Tract. de lapsis; De quarto, S. Am„ brosius L. de Initiandis cap. 8. De „ quinto, S. Augustinus Epistola 217. „ ad Vitalem; De sexto, S. Gregorius „ Magnus in Libro Sacramentorum, „ Officio de Sabbato Sancto; De septi„ mo, Conc. undecimum Toletanum „ an. 675. De octavo, Ordo Romanus, „ titulo de Baptismo, quem eo seculo „ scriptum esse multi existimant, alii „ ad undecimum rejiciunt; De nono „ Ambianensis Episcopus in Epistola „ ad Sacerdotes; De decimo testantur „ duo codices manuscripti, quos citat „ Hugo Menardus in notis ad Librum „ Sacramentorum S. Gregorii pag. 11. „ quorum ipse priorem paulo ante an„ num 986., posteriorem circa annum „ millesimum scriptum fuisse docet: „ Pro undecimo testis Rodulphus Ar„ dens Pictavus in sermone habito pri„ die Paschatis: Pro initio duodecimi, „ testis Paschalis II. S. Pontifex, apud „ Baronium Tom. 12. Annal. ad an. „ Christi 1118. Hugo à S. Victore „ L. 10. de Sacramentis cap. 20. ubi te„ statur ævo suo morem hunc ab ali„ quibus sublatum fuisse, retento so„ lum aliquo ejus vestigio: nimirum „ vinum merum loco calicis consecrati „ infantium ori infundebant nonnulli, „ quos ibidem carpit Hugo. Tandem „ an. 1175. Odo, Episcopus Parisiensis, „ in Statutis Synodalibus cap. 39. Pres„ byteris mandat, ne hostias, licet non „ sacratas, ullo modo dent pueris; & „ S. Thomas, qui obiit an. 1274. 3. par„ te q. 70. art. 9. docet, juxta usum sua „ ætate confirmatum, pueris recenter „ natis danda non esse sacra mysteria; „ etsi Græci, ut ibidem annotat, con„ trarium observent. „

II. probatur ex Testimoniis, quæ affert Jueninus, & ex Consuetudine, quam dicit vigentem per duodecim priora Secula, sub his verbis: „ Idem evin„ citur ex consuetudine, quæ apud La„ tinos duodecim prioribus seculis ob„ tinuit; ferebat autem illa consuetu„ do, si præsens adesset Episcopus, ut

„ Baptismus, Confirmatio & Eucharistia, non adultis modo, sed etiam infantibus conferrentur; Seculo octavo, nono, & decimo, liber, qui *Ordo Romanus* inscribitur, quippe Gregorii Magni sacramentario posterior est, obtinebat in omnibus fere Latinorum Ecclesiis: eo autem libro asseritur eodem die parvulos Baptismate, Confirmatione & Eucharistia, solitos fuisse donari; refertur quoque jejunium naturale, quod in ipsis etiam infantibus communioni præmitti debebat; *Per illud autem parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, neque lactentur sine summa necessitate antequam communicent Sacramento corporis Christi.* „ Praxim, de qua agitur, pallim viguisse undecimo Seculo, & jam tunc alicubi prætermitti incœpisse, fidem facit Hugo a Sancto Victore, qui obiit circa annum 1049. De Sacramentis lib. 1. cap. 20. & hæc scribit, quæ conclusionis nostræ veritatem dilucide confirmant. „ *Pueris recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter suggere possunt.* Confirmat ex Augustino; *Augustinus* (ait) *ad Bonifacium contra hæresim Pelagianorum, in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo dimittuntur, peccata traxerunt. Nec illud cogitetis eos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso Domino. Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem &c. Ergo si sine periculo fieri potest, juxta primariam Ecclesiæ institutionem, Sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Unde ignorantia Presbyterorum adhuc formam retinens, sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum. Quod penitus supervacuum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem vel servando sanguinem Christi, vel ministrando pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur.* „ Solvit postea adductum ex Augustino „ textum, de quo inferius cum de hujusce Sacramenti necessitate dicetur, „ sermo redibit: „ *Nec terreant vos præmissa Augustini verba; ipse enim alibi quasi ea determinans dicit, nulli est aliquatenus ambingendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in Baptismo membrum corporis Christi efficitur. Nec alienari ab illius panis consortio, etiamsi antequam illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc seculo, in unitate corporis Christi constitutus, abscedat.*

III. probatur de Græcis, quod scilicet antiquitus Eucharistiam ministraverint Infantibus. Et quidem in omnibus Euchologiis, quibus utebantur Græci nono seculo, præcipitur, ut Infantes nuper baptizati, confirmentur, & Eucharistiæ Sacramento reficiantur. Insuper Author libri de Ecclesiastica Hierarchia sub nomine S. Dionysii Areopagitæ cap. 3. habet; *Illud vero, quod pueri quoque, qui non possunt intelligere divina, sacri Baptismatis, altissimorumque communionis sacrosanctæ signorum participes fiant.*

Dicimus II. post duodecimum seculum Infantibus tum fuisse datam Eucharistiam apud Latinos; apud Græcos vero fuisse datam, & etiam his temporibus dari.

I. probatur Conclusio pro prima parte; quia inter Latinos non inveniuntur Rituales a duodecimo seculo, qui hanc communionem præscribant; tum etiam quia S. Thomas seculo decimotertio, hæc scribit 3. par. quæst. 70. art. 9. *Ad tertium dicendum, quod eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis: unde talibus non sunt sacra mysteria danda, quamvis Græci contrarium faciant.*

II. probatur altera Conclusionis pars testimonio Arcudii, qui lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ cap. 11. asserit, Græcos tum antiquos, tum recentes, consuevisse Infantes communicare, & crimini vertere Latinis, quod ad præsens eosdem non communicent.

III. probatur ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 4. in quo utraque consuetudo, tam antiqua, tam moderna Latinorum his verbis approbatur: *Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Neque tamen ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe*

Digitized by Google

te eos nulla ſalutis neceſſitate feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.

Arguunt I. Apoſtolus exigit a communicaturis, ut antequam ad communionem accedant, ſeipſos probent; ſed Infantes nequeunt ſeipſos probare: ergo Infantibus nunquam potuit Eucharistia miniſtrari. II. Exigit quoque Apoſtolus, ut Communicaturi a prophanis cibis poſſint euchariſticum panem ſecernere; ſed hoc neque Infantes poſſunt: ergo &c. III. Si per Eucharistiæ Sacramentum dabatur antiquitus Infantibus gratiæ augmentum, injuſte modo negatur. IV. nulla fuit juſta cauſa, qua moverentur Latini ad denegandam Infantibus Eucharistiam: ergo irrationabiliter denegatur.

Reſpondemus ad I. quod probatio, quam exigit a Communicaturis Apoſtolus, in eo conſiſtit, per quod nullum peccatum mortale habens ad Eucharistiam accedat; Infantes autem nullum peccatum mortale habent, quia poſſident gratiam habitualem, quam in Baptiſmo acceperunt.

Ad II. dicitur, quod illa diſtinctio & ſecretio ciborum exigitur ab adultis, qui probare tenentur Conſcientiam ſuam antequam ad Eucharistiam accedant; & hoc ratione periculi, in quo verſantur amittendi gratiam habitualem; quod quidem periculum in Infantibus non verificatur.

Ad III. reſpondet Juenius: „ Quod „ licet Eucharistia quondam parvulis „ ad augmentum gratiæ ſanctificantis prodeſſet, Eccleſia tamen nunc „ patitur ut ſine eo augmento moriantur; eaque ratione debitæ tanto Sacramento reverentiæ conſultum eſſe „ voluit. „

Ad IV. Tournely addit rationem, qua mota fuit Eccleſia Latina ut hanc diſciplinam immutaret ſub his verbis: „ Attamen ſuam hanc diſciplinam erga Infantes Eccleſia mutavit: ſcilicet, cum uſus calicis in Occidente „ ſenſim abrogatus fuit, propter irreverentiam, quæ ex periculo effuſionis naſci poterat; abrogata quoque „ fuit praxis dandi Eucharistiam Infantibus, quæ ipſis nonniſi ſub ſpecie vini adminiſtrari ſolebat. „

Pro II. Diſſertationis parte, in qua de Energumenis fit ſermo, ſcire oportet, aliam fuiſſe diſciplinam, quæ antiquis temporibus obſervabatur, & quæ modo noſtro ævo viget: Siquidem Energumenis tum apud Orientales, tum apud Occidentales, antiquitus Eucharistia non dabatur, niſi in ultima vitæ periodo; modo autem datur, quando præcipue habent lucida intervalla. Unde.

Dicimus II. Energumenis antiquis temporibus non diſpenſatam fuiſſe Eucharistiam, modo autem diſpenſari.

I. Concluſionis pars probatur I. quia Energumeni ejiciebantur ab Eccleſia ſimul cum Catechumenis & Pœnitentibus, quando miſſæ Sacrificium offerebatur; & hoc conſtat ex can. 78. ex his, qui Apoſtolici dicuntur, ubi dicitur: *Si quis Dæmonem habeat, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur.* Inſuper legitur in lib. 8. Conſtit. quæ vocantur Apoſtolicæ cap. 7. *Et poſtea dicat Diaconus: exite Energumeni: ac poſt exitum eorum dicat: Orate qui Baptiſmum petitis.* Ulterius Chryſoſtomus hom. III. de incomprehenſibili natura Dei: *Cum eis* (intelligit Energumenos) *una cum fratribus orare non liceat.* Denique Author libri de eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. dicit: *Ad ſacra opera, atque myſteria ſpectanda non eos* (Energumenos) *convocat.*

II. probatur de Latinis; de quibus aſſerit Juenius: „ Latini Patres idem „ factitarunt. Concilium Eliberitanum canone 29. prohibet, ne nomen „ quidem Energumenorum in altari „ vocitetur; *Energumenum* (inquit) „ *qui ab erratico ſpiritu exagitatur, cujus nomen neque ab altare cum oblatione recitandum, neque permittendum „ ut ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Iis „ vero, quibus offerre non licebat, „ communio euchariſtica negabatur: „ *Epiſcopos* (ait mox laudata Synodus „ can. 28. *placuit ab eo, qui non communicat, munus accipere non debere*: Excipiebatur tamen neceſſitatis caſus; „ in ultima ſcilicet vitæ periodo Energumenis, licet ſui compotes non eſſent, Eucharistia tradebatur; *Eos* „ (verba ſunt Concilii Eliberitani can. „ 37.) *qui a ſpiritibus immundis vexantur; ſi in fine mortis fuerint conſtituti, „ baptizari placet: ſi vero fideles fuerint, „ dandam eis eſſe communionem.* „

II. Concluſionis pars ſic ab eodem Juenino I. probatur: „ Tempore S. Tho-

„ mæ, Latini, etiam extra vitæ peri-
„ culum communionem iis Energu-
„ menis largiebantur, qui interdum
„ sua ratione fruebantur, *Ad secundum*
„ inquit 3. p. qu. 80. art. 9.) *dicendum,*
„ *quod Dionysius loquitur ibi de energu-*
„ *menis nondum baptizatis, in quibus*
„ *nondum est vis dæmonis extincta, quæ*
„ *viget in eis per originale peccatum; sed*
„ *de baptizatis, qui corporaliter ab im-*
„ *mundis spiritibus vexantur, est eadem*
„ *ratio ac de aliis amentibus.* Non est
„ opus ut hic S. Doctoris pace dicatur,
„ non catechumenos modo, sed bapti-
„ zatos energumenos fuisse quondam
„ prohibitos sacrorum mysteriorum
„ conspectu, ac fuisse jussos e templo
„ discedere cum Missa fidelium inci-
„ piebat: satis est ut ex iis S. Thomæ
„ verbis disciplinam colligamus, quæ
„ illius ævo obtinebat in Occidente,
„ 2. Seculo V., quo Synodus Arausica-
„ na prima celebrata est, usus, qui his
„ temporibus viget, prima fundamen-
„ ta jacta fuerunt, & ab antiqua Illi-
„ beritanorum Patrum austeriore dis-
„ ciplina temperatum est; sancitum
„ nempe fuit, at energumenis, qui in
„ Synaxibus subjecissent se purgativæ
„ manuum impositioni, Eucharistia,
„ etiam extra mortis periculum admi-
„ nistraretur. *Energumeni jam baptiza-*
„ *ti* (inquit Concilium can. 14.) *si de*
„ *purgatione sua curent, & se felicitudi-*
„ *ni Clericorum tradant, monitisque ob-*
„ *temperent, omnimodo communicent.*
„ *Sacramenti ipsius virtute vel muniendi*
„ *ab incursu dæmonum, quo infestantur,*
„ *vel purgandi, quorum jam ostenditur*
„ *vita purgatior.* „

Ad hæc subdimus quæ de amentibus scribit Tournely, qui ait: „ Amen-
„ tes autem vel tales sunt a nativitate,
„ quibus nullus rationis radius unquam
„ illuxit; vel ex morbo & casu in amen-
„ tiam delapsi, nunquam pristinæ ratio-
„ ni redduntur; vel denique lucida
„ quædam rationis intervalia patiun-
„ tur. Amentes primi Ordinis bapti-
„ zati capaces sunt Eucharistiæ etiam
„ cum fructu percipiendæ, & aliquan-
„ do eis concessa legitur: alius tamen
„ a pluribus seculis usus invaluit. Pro-
„ batur prima pars: quia ejusmodi a-
„ mentes pro infantibus habentur: ac
„ infantibus diu in Ecclesia fuit admi-
„ nistrata Eucharistia; unde Conc. Au-
„ rasivanum I. Can. 13. decernit; amen-
„ tibus quæcumque pietatis sunt, esse
„ conferenda. Secunda pars etiam cer-
„ ta est: eodem enim tempore obsole-
„ vit usus dandi amentibus Euchari-
„ stiam, quo infantibus. Amentibus
„ vero secundi & tertii ordinis conce-
„ denda est Eucharistia, cujus aliquod
„ significarunt desiderium; & eadem
„ lex erga illos observanda, quæ erga
„ infirmos. „ Denique de iisdem
amentibus hæc scribit Frassen; „ A-
„ mentibus præterea, qui tunc a pieta-
„ tis sensu alieni sunt, Sacramenta da-
„ re minime oportet; quamvis, si an-
„ tequam in insaniam inciderint, piam
„ & religiosam animi voluntatem præ
„ se tulerunt, licebit eis in fine vitæ
„ ex Concilii Carthaginensis decreto
„ Eucharistiam administrare: modo
„ vomitionis, vel alterius indignatio-
„ nis, & incommodi periculum nullum
„ timendum sit. Porro decretum Con-
„ cilii Carthaginensis IV. cap. 76. ita
„ se habet: *Si, qui Pœnitentiam in in-*
„ *firmitate petit, si casu, dum ad eum*
„ *Sacerdos invitatus venit, oppressus in-*
„ *firmitate obmutuerit, vel in phrenesim*
„ *versus fuerit, dent testimonium, qui*
„ *eum audierunt; & accipiat pœniten-*
„ *tiam, & si continuo creditur moritu-*
„ *rus, reconcilietur per manus impositio-*
„ *nem, & infundatur ori ejus Eucha-*
„ *ristia.* Eadem autem est ratio de iis,
„ qui extra infirmitatem in amentiam
„ incidunt. Consonat Concilium Arau-
„ sicanum I. cap. 13. *Amentibus,* inquit,
„ *quæcunque pietatis sunt, conferenda*
„ *sunt.* Sub quibus verbis communiter
„ Doctores intelligunt Eucharistiam.
„ Eandem veritatem non obscure in-
„ dicat Concilium Toletanum II. can.
„ 11. dicens. *Quicunque fidelis inevita-*
„ *bili qualibet infirmitate coactus Eucha-*
„ *ristiam perceptam rejecerit, in nullo*
„ *Ecclesiasticæ damnationi subjaceat. Si-*
„ *militer nec illos cujusquam pœnitionis*
„ *censuræ redarguet, qui talia aut tem-*
„ *pore infantiæ faciunt, aut in qualibet*
„ *mentis alienatione siti, qui quod fece-*
„ *rint ignorare videntur.* „

De

DISSERTATIO CCCCXXI.

De ſubjecto Euchariſtiæ. An conferri poſſit Euchariſtia mortuis? An ultimo ſupplicio damnatis? An omnibus & quibuſcunque morituris?

DIcimus I. Mortuis dandam non eſſe Euchariſtiam.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe III. anno 397. cap. 6. *Placuit ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Dictum eſt a Domino; Accipite & edite. Cadavera nec accipere poſſunt, nec edere. Cavendum eſt etiam, ne mortuos baptiſari poſſe fratrum infirmitas credat, cum Euchariſtiam mortuis non dari animadverterit.* Synodus Quini ſexta anno 792. can. 83. *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet, ſcriptum eſt enim, Accipite & comedite; Mortuorum autem corpora non poſſunt accipere, nec comedere.* Eadem leguntur in Concilio Antiſiodorenſi in Galliis can. 12.

II. probatur Rationibus theologicis. I. Euchariſtia diſpenſari debet iis, qui ipſam poſſint comedere; dixit enim Chriſtus Apoſtolis; *Accipite & comedite*; ergo conferri non poteſt mortuis, qui ipſam comedere non valent. II. abuſus ſi quis irrepſerit in Eccleſiam privatam, vel inter fideles aliquot, propagari non debet, immo potius extirpari; ſed abuſus hic fuit dandi Euchariſtiam mortuis: ergo extirpari debet. Minor probatur ex obſervatione Albaſpinæi lib. 10. cap. 9. dicentis, hunc abuſum ex ſimplicitate fidelium originem duxiſſe: „ Qui cum intelligerent legibus Eccleſiæ cautum eſſe, ne quiſquam ex hac „ vita diſcederet, quin prius Eccleſiaſticæ Communionis factus eſſet particeps; exiſtimabant ſubito abſque tali „ communione mortuis poſſe hanc ipſis reſtitui; atque quoddam ſalutis „ ſubſidium conferri, ſi Euchariſtia illis, quamquam mortuis, concederetur. „ III. Si quæ ſunt exempla, quæ ad hanc diſciplinam probandam referuntur, nullius ſunt authoritatis; ſed imitari non poſſumus, quæ nullam habent authoritatem: ergo exempla, quæ referuntur, pro nihilo valent. Minor patebit in ſolutione argumentorum, quæ in contrarium fiunt.

Objiciunt I. Amphilochius in vita S. Baſilii refert cap. 8. quod S. Præſul morti proximus divinam Euchariſtiam ſuſcepturus, eam in tres partes diviſit, quarum unam ſumpſit, alteram juſſit ſecum ſepeliri, & tertiam in aurea columba includi & ſuper Altare ſuſpendi. II. Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. cap. 24. hanc hiſtoriam de S. Benedicto, & de quodam ejus Monacho narrat. *Quadam die dum quidam puerulus Monachus parentes ſuos ultra quam deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, ſine benedictione de monaſterio exiiſſet, eodem die mox ut ad eos pervenit, defunctus eſt. Cumque eſſet ſepultus, die altera projectum foras corpus ejus inventum eſt; quod rurſus tradere ſepulturæ curaverunt. Sed ſequenti die iterum projectum exterius, atque inhumatum, ſicut prius, invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris veſtigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei ſuam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu ſua protinus communionē dominici corporis dedit, dicens, Ite, atque hoc dominicum corpus ſuper pectus ejus cum magna reverentia ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit.* III. Surius

rius narrat in vita S. Oethomani anno 720. die 16. Novembris, quod in ejus tumulo reperte fuerunt quædam particulæ panis in figura orbiculata, quæ dicuntur oblatæ, & quas Episcopus cũ summa veneratione reposuit postquã sepulcrum reseraverat. IV. Si qui fideles, qui excommunicati erant, ante quã absolvantur moriantur, post mortẽ absolvuntur: ergo pariter qui in vita & prope mortem Eucharistiam suscipere non valent, eam debent post mortem suscipere.

Respondemus ad I. quod vita illa S. Basilii, quæ dicitur scripta ab Amphilochio, non est ipsius legitimus fœtus, sed illi suppositus. Quisquis autem sit ejusdem vitæ genuinus scriptor, certe fallitur in eo, quod de S. Basilio narrat; nemo enim ex Scriptoribus, qui facta Basilii scripserunt, ullam de re hac mentionem facit, immo de eadem apud S. Gregorium Nazianzenum altum est silentium.

Ad II. dicunt Scriptores, quod apud Dialogos Gregorii Magni multa leguntur, de quorum veritate, citra tanti Doctoris contemptum, dubitari maxime potest; ea enim non scripsit ut testis, qui eadem viderit, sed qui audierit, & ipse credidit, ac retulit.

Ad III. facta, quæ narrantur a Surio, majori indigent probatione, quum talia sint quæ plerumque ex vulgi vocibus collecta comperiantur: & præcipue in casu, quo narrantur panis particulæ figuræ orbiculatæ; quando earum usus in pane eucharistico non ita fuerit antiquus ut ipse credit.

Ad IV. excommunicatio quia ligat animã & corpus, non est mirum ut etiam in solo corpore solvatur; præcipue quia ad ejus solutionem etiam solvitur anima a pœna temporali, qua in Purgatorio detinetur. Et hinc est necessitas absolvendi cadaver illius, qui in excommunicatione mortuus est; quod quidem non verificatur de illo, qui mortuus est antequam in morte Christi corpus susciperet.

Pro illis vero, qui ultimo supplicio damnantur; An iisdem concedi debeat Eucharistia? Quæ est secunda Dissertationis pars: Quum non fuerit apud omnes Ecclesias eadem consuetudo, nec eadem fuerit omni tempore observata disciplina, hinc est, quod de ipsis eodem modo loqui non debemus, sed secundum scilicet regionum & temporum varietatem; quod præstabimus referendo Scriptorum, præcipue recentiorum, relationes, quibus stare jure possimus, præcipue si in iisdem consensionem inveniemus.

Et quidem Carolus Witasse tom. 4. de Euchar. Sacram. quæst. 8. art. 1. qui hæc scribit: „ Quæres 4. de iis, qui „ ultimo supplicio damnati sunt, an Eu„ charistia donandi sint? Respondeo 1. „ olim gravissimorum criminum reis „ denegatam fuisse non tantum Eucha„ ristiam, sed & absolutionem, præ„ sertim si morte dumtaxat imminente veniam petere cœpissent: ex Cy„ priano *Epistola ad Antonianum; Pœ„ nitentiam non agentes ..... prohiben„ dos omnino censuimus a spe communio„ nis & pacis; si in infirmitate atque in„ periculo cœperint deprecari.* Respon„ deo 2. utriusque Sacramenti negandi „ reis ultimo supplicio damnatis mo„ rem apud Gallias obtinuisse ad annum „ 1376. quo eum abrogavit Carolus VI. „ quoad absolutionem, de quo Gaguinus lib. 8. Morinus lib. 10. de pœnitentia cap. 1. Respondeo 3. hanc eamdem consuetudinem perstare in Gallia quoad Eucharistiæ Sacramentum: „ de hoc fusius agit Isambertus, quem „ consule. Respondeo 4. eumdem morem, quod spectat ad Eucharistiam, „ ad nostram usque ætatem apud Hispanos extitisse. Probatur testimonio „ Dominici Soto in 4. sentent. distinct. „ 12 quæst. 2. & Sylvii 3. part. quæst. 8. „ art. 6. An autem ista nunc consuetudo „ apud eos abolita sit, cum nonnulli „ recentiores affirment, penes eos sit „ historiæ fides. Respondeo 5. apud „ Germanos ab omni ævo esse usitatum, „ ut absolutionis beneficio illi non pri„ ventur. Probatur ex Synodo Mo„ guntina anno 841. habita can. 27. *Si „ omnibus de peccatis suis ..... digne „ pœnitentibus communio ..... in fine „ danda est, cur non iis qui pœnam extre„ mam* (in patibulo) *persolvunt?* Et ex „ Wormacienſi anno 868. quæ can. 80. „ iisdem plane verbis idem decernit. „ Respondeo 6. apud Italos obtinere „ insuper ut eucharistia etiam reficiantur. Probatur ex Synodo V. Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo. „ Insuper apud Tournely hæc leginus: „ Quæres 5. utrum reis ultimo suppli„ cio

Digitized by Google

„ eis afficiendis ſit concedenda Eucha-
„ riſtia? Reſpond. varium eſſe Eccle-
„ ſiarum uſum. In Italia & Germania
„ certum eſt Euchariſtiam ejuſmodi reis
„ non denegari. Conſtat ex Concilio
„ Mediolanenſi V. &c. In Gallia ann.
„ 630. Synodus Remenſis ſub Sonnatio,
„ ſtatuto 11. inquit, *Ad mortem condem-*
„ *natus reuuitur Euchariſtia? Cum iis*
„ *maxime conducat ad ſpem & ſecuramen*
„ *certi deceſſus, & præſentis agonis.*
„ Quin ante annum 1396. ejuſmodi reis
„ ſacramentalis etiam abſolutio dene-
„ gabatur. Primus, inquit Morinus
„ lib. 10. de Pœnitentia cap. 1. num. 4.
„ *Hunc multorum Procerum Eccleſiaſti-*
„ *corum & virorum Principum precibus*
„ *perſuaſus abrogavit Carolus VI. edicto*
„ *Pariſiis dato 4. nonas Februarii ann.*
„ 1396. Edictum integrum refert Fon-
„ tane tom. 1. & dictorum & Conſtitu-
„ tionum Regum Franciæ, titulo 68.
„ Poſt annum vero 1396. etſi ſacramen-
„ talis abſolutio reis ultimo ſupplicio
„ damnatis ſit indulta, conſtanter ta-
„ men denegata fuit euchariſtica com-
„ munio. Narrat eam in rem Gaguin-
„ nus lib. 10. Hiſtoriæ, *Regnante Lu-*
„ *dovico XI. Ludovicum Luxemburgum*
„ *majeſtatis reum capite damnatum, con-*
„ *feſſione more Chriſtiano expleta; Viati-*
„ *cum Corporis Chriſti poſtulaſſe, nec ob-*
„ *tinuiſſe: rem tamen divinam ſeu Miſſam*
„ *coram illo factam, & panem benedictum*
„ *oblatum, quem religioſe manducavit.*
„ *Contigit illud ann.* 1475. Mos ille de-
„ negandi reis ultimo ſupplicio afficiē-
„ dis Euchariſtiam, adhuc apud nos
„ perſeverat. Eundem etiam in Hiſ-
„ pania obſervari teſtatur Dominicus
„ Soto in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art.
„ 2. quem improbat, *cum nulla*, inquit,
„ *appareat cauſa cur ſi ſint vere pœniten-*
„ *tes*, tanto beneficio priventur. „

Eadem fere habet Jueninus per has ſe-
quentes Concluſiones, in quarum pri-
ma aſſerit, quod reis ultimo ſupplicio
damnatis Euchariſtia quondam admi-
niſtrari non ſolebat: In ſecunda, quod
in Germania & in Italia euchariſtica
communio reis ultimo ſupplicio dam-
natis adminiſtretur; & in tertia, quod
in Galliis & in Hiſpaniis euchariſtica
communio reis ultimo ſupplicio damnatis, etiam debite confeſſis, dene-
gatur. Poſt quarum probationes duo
hæc quæſita ſubjungit, quorum pri-
mum eſt, quibus momentis Galliæ
& Hiſpaniæ adductæ fuerint ut reis
ultimo ſupplicio damnatis euchari-
ſtiam denegarent? Alterum vero eſt;
unde Gallorum & Hiſpanorum mos,
de quo agitur, originem traxerit
ſuam? Ad quorum primum his verbis
reſpondet: „ Francorum & Hiſpa-
„ norum Eccleſias his adductas fuiſſe
„ rationibus. 1. Ultimo ſupplicio pro-
„ pter ſcelera damnati, non amore ju-
„ ſtitiæ, ſed tantum timore pœnæ, cri-
„ mina, quorum rei ſunt, plerunque
„ deteſtantur; ac proinde eorum pœ-
„ nitentia, non ad euchariſtiam modo,
„ ſed nec ad abſolutionem ſacramenta-
„ lem ſatis eſt, quæ tamen abſolutio
„ ipſis impenditur in extrema periodo,
„ quod dubium ſit an amore juſtitiæ aut
„ tantum timore pœnæ eos pæniteat.
„ 2. Illæ celebres Eccleſiæ judicant reos
„ hujuſmodi, morte brevi futura fere
„ examinatos, omni prorſus pietatis
„ ſenſu deſtitutos eſſe, ac proinde ine-
„ ptos, qui inter ſacrum illum cibum
„ & prophanos, ut par eſt, dijudicent.
„ 3. Vel antequam lata ſit in eos con-
„ demnationis ſententia communione
„ donarentur; vel ubi prolata fuit. Si
„ primum; perditi illi homines cum
„ parati ſint, etiam cum juramento,
„ admiſſa a ſe ſcelera coram judicibus
„ inficiari, gravis ſacrilegii periculo
„ exponerentur, ſi tunc paſcerentur Eu-
„ chariſtia; Si ſecundum, cum plerum-
„ que capite plectantur eadem die, qua
„ latum eſt condemnationis decretum,
„ ſacro Chriſti corpori irrogaretur in-
„ juria, quippe quod hominis rei cor-
„ pus, in quod intraſſet, cum omni de-
„ decore & ignominia tortoris manu
„ tractandum ſit. „

Ad II. vero hæc reponit; „ Eam con-
„ ſuetudinem debere ſuam originem.
„ 1. Antiquorum Patrum praxi, qui
„ reos quorumdam gravium ſcelerum,
„ etiam in exitu vitæ, arcebant non a
„ Communione modo, ſed etiam a be-
„ neficio abſolutionis. 2. Orta eſt ex
„ alia diſciplina, quæ quondam ferebat,
„ ut ii infirmi per pœnitentiam non re-
„ conciliarentur, qui ſani eam non pe-
„ tiiſſent. 3. Hanc aliam originem de-
„ terminat Dominicus Soto; *Et fortaſſis*
„ (inquit loco ſuperius laudato) *ortus*
„ *hujuſmodi conſuetudinis fuit, quod cum*
„ *damnati ad mortem a Communione Rei-*
„ *publicæ abſcindantur, in ſignum hujus*
„ *abſciſſionis negatur eis Sacramentum*
„ Com-

„ *Communionis tamquam Reipublicæ bo-*
„ *stibus* ..„

III. Tandem Dissertationis pars hæc est; An omnibus quibuscunque morituris Eucharistia sit ministranda? Pro qua variam legimus fuisse Ecclesiæ disciplinam; in quibusdam enim Regionibus sæverior fuit, in aliis vero mitior; unde & secundum temporum mutationem & secundum locorum diversitatem, modo concedebatur, modo autem denegabatur.

Hoc autem totum nos præstabimus referendo varias & multas tum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum, tum denique sanctorum Patrum, Sanctiones, Declarationes, & Testimonia, quæ circa rem hanc faciunt. Et quidem a Pontificibus incipientes, invenimus Innocentium I. in epistola 3. ad Exuperium, Tolosanum Episcopum, qui dicit, *quod observatio prior, durior; posterior vero, interveniente misericordia, inclinatior*: Siricius in Epistola 1. ad Himerium Tarraconensem cap. 5. hæc habet: *De his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam Sedem credit consulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum & ludicras voluptates & nova conjugia & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generari post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interesse: a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis voluptatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatici munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per Communionis gratiam volumus subveniri.* Gregorius II. qui floruit Seculo VII. hæc pariter scribit ad Bonifacium Episcopum: *De his, qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem, occiderit, ut toto vitæ suæ tempore corpus dominicum non suscipiant, nisi tempore exitus pro viatico.* Innocentius III. cap. *Quod in te*, extra de Pœnit. & Remis. habet: *Quod in te in illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus; ut nec ipsum decedentibus denegetur.*

De Conciliis modo loquentes, scribimus verba Synodi IV. Carthaginensis habitæ ann. 394. can. 76. quæ hæc sunt: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Producimus pariter verba Concilii Nicæni I. can. 13. ex interpretatione Dionysii exigui: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc antiqua lex servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore ultimo, & maxime necessario viatico* (Absolutione sacramentali) *minime privetur. Quod si desperatus & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui Communionē orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter* (post quam probaverit) *ex oblatione dare debebit.* Insuper hoc ipsum legitur in Concilio Arausicano I. can. 3. in Concilio Arelatensi I. anno 314. can. ultimo. *De his, qui apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, nequidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, nisi revelaverint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.* Denique adducitur Concilium Eliberitanum in Canonibus 1. 2. 3. 6. 7. 73. 75.

Tandem ad Sanctos Patres devenientes, adducimus Cyprianum in epist. 52. ad Antonianum, ubi innuit morem in Africa aliquando inductum, ut qui vitæ suæ decursu non egissent pœnitentiam, si in periculo mortis infirmitate præmente Ecclesiæ reconciliari postulassent, a spe communionis & pacis arcerentur: *Quia*, inquit S. Cyprianus citata epist. 52. *Rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte*

acci-

Digitized by Google

accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum. Eadem habet Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ capit. 42.

DISSERTATIO CCCCXXII.

De ſubjecto Euchariſtiæ. An extra mortis neceſſitatem concedi debeat Euchariſtia publico Peccatori? An Peccatori occulto? An illi, qui pollutionem, aut fornicationem mortalem commiſit intra eandem diem, etiamsi ſequatur confeſſio illius peccati?

Præmittimus I. communicandi permiſſionem dupliciter obtineri, vel denegari poſſe; ſcilicet vel in foro interno per pœnitentiæ Miniſtrum, qui eſt Confeſſarius: vel in foro externo, per Euchariſtiæ Diſpenſatorem. Hic non agitur de foro interno; in eo enim Confeſſarius ſecundum lumen & æquum judicium ſuum, debet Pœnitenti ſuadere privatim & ſecreto, & etiam præcipere, ut vel ad Euchariſtiam accedat, vel ut ab ea ſe abſtineat. Loquimur ergo tantum de publico Eccleſiæ Miniſtro, qui Euchariſtiam diſpenſat omnibus, qui ad eam ſuſcipiendam accedunt; ac proinde poteſt cui deneganda eſt denegare, & cui concedenda eſt diſpenſare.

Præmittimus II. publicos Peccatores multipliciter a Scriptoribus enunciari; aliqui enim dicuntur, qui ſunt infames, vel propter artem, quam exercent; vel propter gravia & publica ſcelera, propter quæ excommunicantur: aliquos vero eſſe, qui licet non ſint infames, ſunt tamen ſcandaloſi, vel quia in publico & actuali peccato verſantur; vel quia cum immodeſtia ſe exornant, ut ſunt præcipue mulieres, quibus ab Innocentio XI. denegata fuit Euchariſtia: aliquos tandem eſſe ex S. Thoma, quorum flagitia ita facta ſunt publica, ut celari non poſſint; & ſunt qui Concubinam domi alunt cum totius populi ſcandalo, vel qui ſunt publici uſurarii, vel qui ſunt publici raptores, de quibus ait S. Doctor 3. part. quæſt. 80. art. 6. *Reſpondeo dicendum, quod circa peccatores diſtinguendum eſt. Quidam enim ſunt occulti, quidam vero manifeſti; ſcilicet per evidentiam facti ſunt publici uſurarii, aut publici raptores.* Immo S. Doctor etiam ſe extendit ad illos, de quibus habetur publica & violenta flagitii ſuſpicio; ſic enim ait in IV. diſti. 9. quæſt. 1. art. 5. in ſolutione quæſtiunc. 2. *Dicendum, quod triplex eſt ſuſpicio, quædam violenta ad cujus contrarium non admittitur probatio; ſicut ſi inveniatur ſolus cum ſola, nudus in lecto, loco ſecreto & apto ad commixtionem. Alia eſt probabilis, ſicut ſi inveniatur ſolus cum illa colloquens in locis ſuſpectis, & frequenter; Tertia eſt præſumptuoſa, quæ ex levi conjectura ortum habet. Hæc autem ultima deponenda eſt. In ſecunda non debet*

bet denegari (communio) quia pœna non infligitur, ubi culpa ignoratur; sed de prima idem est judicium quod de peccato. Unde si sit suspicio procedens ex fama publica, non debet ei dari, neque in occulto, neque in manifesto. Denique sunt qui addunt, quod quibusdam in locis speciales sunt leges, quibus determinantur, quinam dicendi sint publici peccatores respectu communionis denegandæ, & hæ leges in locis hisce omnino sunt observandæ.

Præmittimus III. circa Eucharistiam vel concedendam vel denegandam hic peccatoribus, sive publicis, sive occultis, has esse Theologorum opiniones. I. Witasse censet Eucharistiam esse denegandam publicis peccatoribus a publico ministro; concedendam vero esse occultis peccatoribus si eam publice petant: si vero privatim petant, esse denegandam; excepto autem casu, quo facinus secreta confessione fuerit cognitum. II. Tournely asserit, quod si peccatum sit publicum ac notum, sive evidentia juris, ex confessione scilicet rei, vel sententia judicis: sive evidentia facti, quod nulla possit tergiversatione colari, Eucharistia est deneganda: peccatori autem occulto non est deneganda, si publice petat. III. Frassen putat, Eucharistiam denegari debere Theatricis & Histrionibus, donec a tali commercio resipuerint: insuper usurariis, raptoribus, adulteris, meretricibus, & illis denique, qui in Ecclesiæ scandalum a gravioribus criminibus, etiam moniti ut resipiscant, abstinere recusant: peccatoribus autem occultis Eucharistiam publice petentibus, quod non sit deneganda, si eam petant coram iis, qui eorum peccatum non noverunt. IV. tandem Jueninus asserit, quod publico peccatori denegari debeat Eucharistia, donec publica pœnitentia suam emendationem probaverit; quod denegari non possit impio occulto, qui eam publice petat; denegari autem debeat si privatim poscat, & minister non per confessionem sacramentalem facinus noverit.

Dicimus I. publicis Peccatoribus denegandam esse Eucharistiam; occultis denegandam quoque esse, si eam occulte petant, & sacramentalis confessio non intervenerit.

I. Conclusionis pars I. probatur ex Cypriano loquente de Histrione epist. 10. ad Encratium: *Pro dilectione tua & verecundia mutua consulendum me existimasti; Frater charissime, quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, & magister, & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscum? Quod puto ego nec majestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœderetur.* Quibus addit Jueninus: „ Si cum Ecclesiæ membris „ ille histrio, quod esset peccator pu„ blicus, communicare nec debuerit, „ nec potuerit; a fortiori per Euchari„ stiam, cum Christo, Ecclesiæ capite, „ communicare non potuit. „

II. probatur. Antiqua praxis erat, ut a mensa Domini arcerentur, & ad Pœnitentium classes redirent, sub excommunicationis periculo, illi, quorum iniquum factum per testes innotuerat: & hoc fundabatur tam in jure naturali, tam in divino, quibus indigni ab Eucharistia arcebantur, propter illa Christi verba: *Nolite dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: quibus addit idem Jueninus: „ At publici peccatores, donec conver„ sionem publica pœnitentia probave„ rint, canes censendi sunt: Licet enim „ forte in animo præteritum scelus de„ testentur, converti tamen non judi„ cantur, nisi Ecclesiæ, cui fuerunt „ scandalo, palam satisfecerint. „

II. Conclusiones pars I. probatur. Christus dispensavit Eucharistiam Judæ, qui erat proditor, quia peccatum Judæ erat occultum: ergo pariter exemplo Christi non debet denegari Eucharistia peccatoribus occultis, qui eam publice poscunt.

II. probatur. Ex disciplina, quæ quondam vigebat in Ecclesia, & sic eam citatus Jueninus exponit: „ Ferebat „ vero hujusmodi disciplina: 1. quisque „ sua scelera vel occultissima Episcopo „ detegeret, idque sub gravioris pœnæ „ periculo, si ab aliis retegerentur. 2. „ Tenebatur quisque proximi sui pec„ cata eidem Episcopo aperire; si enim „ aut non declarasset, aut declaratio„ nem diutius distulisset, pœnas dabat

pro

Digitized by Google

„ pro negligentia. 3. Si crimen ab aliis „ detectum, ipse peccator confiteretur, „ addicebatur pœnitentiæ laboribus, „ quos quidem si subire detrectaret, „ damnabatur excommunicatione, si „ crimen illius juridice coram Episco- „ po probatum fuisset; si vero probari „ non potuisset servato juris ordine, & „ ipse peccator sacramenta, ipsam etiã „ Eucharistiam popoſciſſet, dispensa- „ batur perinde ac si fidelis fuisset. Au- „ gustinus praxis hujusmodi testis est, „ variis in locis; Accusationis factitari „ solitæ meminit Homilia 49. ex 50. „ cap. 4. & 5. Invehitur in laudem, „ quam mariti impudici tribuunt pudi- „ cis uxoribus, & quod illorum impu- „ dicitiam æquo ferant animo; Ne ve- „ ro tolerent deinceps, severe prohi- „ bet, injungitque, ut Episcopo illorum „ incontinentiam retegant. *Nolo* (ait) „ *talem patientiam habeant christianæ* „ *mulieres; prorsus zelent viros suos, non* „ *propter carnem suam, sed propter ani-* „ *mas illorum, omnino ergo moneo, Ego* „ *præcipio, Ego jubeo, Episcopus jubet,* „ *Christus in me jubet . . . . Nolite viros* „ *vestros permittere fornicari. Interpel-* „ *late contra illos Ecclesiam . . . . In cæ-* „ *teris omnibus ancillæ estote virorum ve-* „ *strorum, subditæ ad obsequium &c. Sed* „ *ubi ventum fuerit ad illud negotium,* „ *ubi vos Apostolus æquavit dicens, uxori* „ *vir debitum reddat, similiter & uxor* „ *viro; clamate pro re vestra &c.* Accu- „ satos vero, imo & ab uxoribus con- „ victos, sed extra judicii ordinem, „ monitos adulteros, idem Augustinus „ asserit, se a sacra Synaxi non arcere, „ si palam ac cum cæteris fidelibus „ Christi mensæ accumbant: *Nos* (in- „ quit homilia 50. ex 50.) *a communio-* „ *ne probibere quemquam non possumus,* „ *quamvis hæc prohibitio nondum sit mor-* „ *talis, sed medicinalis, nisi aut sponte,* „ *aut in aliquo sive sæculari sive eccleſia-* „ *stico judicio nominatum atque convi-* „ *ctum. Quis enim sibi utrumque audeat* „ *assumere, ut cuiquam ipse sit accusator* „ *& judex?* Eo autem praxis, quam „ Augustinus servare se asserit, nititur „ jure, quod quisque ad propriam fa- „ mam habet, donec flagitium, quod „ admissum est, in publicam notitiam „ devenerit. „

Dicimus II. Peccatori occulto Eucharistiam privatim & in occulto poscenti, esse denegandam; dummodo deneganti non fuerit crimen per sacramentalem confessionem cognitum.

I. Conclusionis pars I. probatur. Peccator occultus, qui in occulto Eucharistiam poscit, nullum habet jus ad sacram Communionem: ergo non est ei concedenda. Probatur antecedens, Non habet jus ratione famæ, quia ei non læditur, quum sit in occulto: non ratione status, quia quum sit in peccato, non est in gratia Dei: unde remanet obligatio ut sanctitati Eucharistiæ a Ministro consulatur, Christi præceptum adimplente: *Nolite dare sanctum canibus.*

II. probatur altera Conclusionis pars ratione strictissimæ obligationis servandi secreti Confessionis sacramentalis, propter quam in nullo casu potest minister etiam ipsi pœnitenti peccatum detegere, unde reddatur odiosa confessio.

Obstant I. Judas discessit a Cœna antequam Christus Eucharistiam Apostolis dispensaret: ergo non recepit Eucharistiam de manu Christi. II. Majus est inconveniens, ut quis fiat sacrilegus per sacrilegam communionem, quam ut propriam famam amittat: ergo non obstante amissionis famę periculo, potest occulto peccatori Eucharistia denegari. III. S. Thomas docuit, quod non posſit Eucharistia denegari peccatori occulto, si illius criminis notitia per confessionem sacramentalem habita fuerit, sub his verbis in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. in solut. 1. quæstjunc. *Dicendum, quod si Sacerdos sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit per Confessionem; si est occultum & exigit in occulto, debet ei denegare, & monere ne in publico petat.* IV. Saltem ad evitandum utrũque malum posset Sacerdos in eo casu porrigere peccatori occulto hostiam non consecratam; quia sic nec peccatoris occulti fama deperderetur, nec sacrilegium committeretur.

Respondemus ad I. negando antecedens; Marci enim 14. dicitur, quod Apostoli omnes biberunt consecratum Calicem: *biberunt ex illo omnes*; Si omnes: ergo etiam Judas; Insuper S. Lucas postquam enarravit Eucharistiæ institutionem ac distributionem cap. 22. subdit: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa . . . Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis*

esset ex eis, qui hoc facturus esset? Ad quæ addit Jueninus: „ Unde concluditur, Joannis verba cap. 13. vers. 30. „ *Cum ergo accepisset ille buccellam exivit continuo*, sic intelligi debere, ut „ quamvis Judas acceperit intinctum „ panem in cœna legali, quæ lotionem „ pedum, & euangelicam cœnam præcessit, exierit quidem ante prolixam „ orationem, quam Christus, instituto „ jam SS. Sacramento ad Apostolos „ habuit, sed non nisi peracta tota cœna, quæ non modo agni Paschalis, „ sed etiam Eucharistiæ participationem complexa est. „

Ad II. respondet S. Thomas in IV. distinct. 9. quæst. 1. art. 5. his verbis: „ „ Dicendum, quod licet pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter „ sumendo Corpus Christi, quam infamari; tamen cum nemo debeat „ unum mortale committere, ut proximus aliud non committat, eligendum est potius Sacerdoti non prodere „ peccatorem, quam ut ille non peccet. Ut enim notat Augustinus lib. „ quæstionum in Genesi cap. 42. Periculosissime admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne „ alius majus malum faciat. „

Ad III. respondet Jueninus per hæc verba: „ Angelicum Doctorem in eam „ quidem opinionem abiisse cum scriberet in sententiis; sed ab ea recessisse videtur cum Summam Theologicam edidit in lucem; quippe qui licet „ aliquid directe contrarium in ea non scripserit, conjicitur tamen ipsi tunc „ probatam non fuisse, quod eo de casu siluerit omnino, quanvis hic articulo „ sexto, quo scilicet agit de impiis, „ quibus communio denegari debeat, „ mentem aperiendi suam occasio se se „ obtulerit. „

Ad IV. dicitur nunquam licere Sacerdoti in eo casu porrigere hostiam non consecratam; quia nunquam licitum est facere malum ut eveniat bonum; hostiam autem non consecratam pro consecrata porrigere, malum est, quia exponit illos periculo evidentis idololatriæ. Unde ait S. Thomas loco nuper citato: „ Hostia non consecrata nullo modo debet dari pro „ consecrata, tum quia in Sacramento „ veritatis non debet esse aliqua fictio; „ tum quia ..... daret Sacerdos (hoc „ faciens) ei occasionem idololatran„ di, qui credit hostiam esse consecra„ tam. „

Tandem pro III. Dissertationis parte supponimus, pollutionem involuntariam, non impedire pro eo die communionem, saltem sub peccato veniali. Rationem assignat Leander de SS. Sacramento, per hæc verba: „ „ Sed probabilius respondeo: nec sub „ veniali adhuc impedire, quia est inculpabilis. Sic S. Thom. quæst. 80. „ art. 7. Suarez disp. 68. sect. 2. Fagundez præcept. 3. lib. 3. cap. 6. num. 6. „ Sancius in selectis disp. 23. num. 29. „ Hentiquez, Bonac. & Layman, quos „ citat, & sequitur Philibertus 3. part. „ tract. 3. capit. 2. num. 10. & ni fallor „ Machado loc. cit. num. 5. & *lib.* 4. „ part. 1. tract. 10. docum. 5. Bassæus „ verb. Communio, circa finem. Sic „ etiam Valerius verb. Fornicatio *diff.* „ 3. num. 4. fol. mihi 116. per hæc verba: Hinc collige, (quod vel maxime observandum est; nam facit pro „ consolatione multorum spiritualium) „ tentatum videlicet a dœmone tentatione carnis tempore, quo est in oratione, vel extra eam, in lecto, vimque perferentem, & nimio ardore „ flammæ carnis, & spurcitiæ conflagrantem, posse eam licite pati, sic „ manendo; nec teneri desistere ab oratione, vel a lecto surgere, quamvis „ a dicta oratione desistendo, vel a lecto surgendo posset impedire prædictam tentationem, dummodo longe „ absit a consensu in prædictam delectationem. Quod verum est, etiam „ si venerit in pollutionem, quia totum „ illud sit a dœmone; & vir spiritualis „ vere tunc patitur, & vi opprimitur, „ nec habet in potestate illam tentationem a se tunc temporis repellere, nec „ tenetur orationem omittere propter „ eam, quia id intendit Dœmon, & ob „ id eam immittit. Unde nec convenit „ orationem omittere ne dæmon suum „ finem consequatur; esset enim satisfacere ejus malo proposito. Nam „ prædictus inimicus, cum se videt devictum, nec posse trahere virum spiritualem in suum consensum, hoc „ modo ipsum inquietare procurat, ut „ sic eum ab oratione divertat. *Et* non „ minus tunc vim patitur seruus Dei; „ quam fœmina a Tyranno, vel ab aliquo alio inique oppressa. Et sicut ista „ non tenetur ad Deum vociferare, nec

„ resi-

Digitized by Google

„ reſiſtere, ſed ſufficit ſi immota maneat, & non conſentiat tam fædo, nefarioque actui, & delectationi: Ita & vir ſpiritualis non tenetur ab oratione deſiſtere, & ſe ab ea divertere ad aliud exercitium diſtractivum: quia id eſt inſtar vociferationis, & reſiſtentiæ. Sed ſufficit ei ſi in ea permaneat immotus & tentationi non conſentiat. Quod eſt mente tenendum, & de quo ſæpius ego dubitavi; & cum primum id ipſum accepi a quodam viro ſpirituali, qui ſimilem tentationem patiebatur uſque ad pollutionem, & tamen hoc non obſtante celebrabat quotidie, ocius interrogavi eum, an poſſet divertere prædictam tentationem, & impedire pollutionem deſiſtendo ab oratione, & divertendo ſe ad alia exercitia. Cumque mihi reſpondiſſet a ſe poſſe prædictam pollutionem impediri dicto modo, expavi, eo quod ea non obſtante, quotidie celebraſſet. Nam id adhuc nec expertus, nec conſequutus fueram. Et de hoc non eſt ambigendum. Eſt namque licitum, & fundatum in doctrina ſuperius adducta. Prædictis adde, quod aliquando etiã Dæmon in prædicta tentatione ita hominem ſpiritualem vi opprimit, ut vix valeat manere immotus: ſed magna vi ipſum commovet interius, & aliquando agitat etiam exterius, donec in pollutionem cadere faciat: quod certe ipſi ſummopere abhorrent, & pleni verecundia, ac tremebundi accedunt ad Sacra. Quod ſcire erit multis gratum, ſi ſimilibus tentationibus crucientur. Huc uſque Valerus. Cujus verba, licet longa, tranſcribere volui, eo quod in facti contingentia conſultus de hujuſmodi re, eandem doctrinam pro quadam perſona ſpirituali, contra conſilium cujuſdam confeſſoris, alias docti, tradidi. „ Hoc ſuppoſito.

Dicimus III. cum eodem Leandro, non eſſe peccatum mortale accipere Euchariſtiam intra eandem diem, in qua quis habuit pollutionem aut fornicationem mortalem, dummodo præcedat confeſſio illius peccati.

Aſſerit Leander, Navarrum eſſe contrarium huic Concluſioni, qui citat pro ſua opinione S. Thomam, Fagundez, Paludanum, Adrianum, & Gabrielem. Attamen ſubdit Leander: „ Sed omnes certe citat male. Nam in primis D. Thomas vel loquitur ex aliorum opinione, ut ait Sylveſter, vel ad ſummum aſſerit, impedire communionem ex congruitate tantum, aut ſub peccato veniali. Palud. vero oppoſitum docet in 4. diſt. 9. quæſt. 4. concl. 2. ut notat Sylveſter *verb. Euch. 3. quæſt. 10. num. 10.* & Navarr. *cap. 21. num. 51. cit. in poſteriore editione.* Gabriel etiam, & Adrianus contrarium expreſſe affirmant, ut infra conſtabit, & notat Coriol. 1. part. ſect. 3. art. 3. num. 11. pag. 353. Unde longe probabilius, imo omnino certum reſpondeo: non eſſe peccatum mortale, qnia confeſſio de peccato commiſſo aufert omnem indecentiam, ob quam quis a ſuſceptione Euchariſtiæ impediri poſſet, ut clare conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. ſic docent D. Thom. *3. part. quæſt. 80. art. 7. cit. ad 1. & ad 4. & opuſc. 65. §. de Euchar.* Adrian. quæſt. 7. (non 4. ut citat Fagundez) *de Euchariſtia, verſu. Ad tertium principale, fol. mihi 77.* Grabriel lect. 8. in Can. lit. O. Cujus expreſſa verba refert Sancius *diſp. 23. num. 30.* Henriq. *lib. 8. cap. 55. num. 1.* Suarez diſp. 68. ſect 2. non 5. ut invenies citatum apud Machad. *infra*] Filliuc. *tract. 4. n. 224.* Victoria *n. 61.* Diana *3. part. tr. 4. reſol. 30.* Granado *tract. 10. de Euchariſtia diſp. 9. num. 1.* Lugo *diſp. 15. ſect. 1.* Philiber. *loco cit.* Fagundez, & Sylveſter *locis cit.* nec non meus Navarr. *cap. 21. num. 51. in poſteriore editione*, ut notat Fagundez, Coriolan., & Lugo (non Diana) ſic etiam Machado *lib. 2. part. 4. tract. 8. docum. 6. num. 4. & lib 4. part. 1. tract. 10. docum. 5.* qui etiam haud bene citat D. Thomam, & Paludanum pro contraria ſententia, & communi. „

Poſt quæ idem Leander quærit, an ſaltem ſit peccatum veniale accipere Euchariſtiam abſque aliqua juſta cauſa, poſt pollutionem mortalem, etiam confeſſione præmiſſa? Et reſpondet. „ Affirmant Valentia *diſp. 6. quæſt. 9. punct. 3. in fine.* Nuſius *quæſt. 80. art. 8. concluſ. 10. & 11.* Joannes de Cruce *part. 2. Summæ quæſt. 5. de Euchariſtia, dub. 3. concl. 2. fol. mihi 154.* Victoria *loc. cit.* Ochagavia *tract. 2. de Euchariſtia* quæſt. 11. Bonac. *diſput. 4. quæſt. 6. punct. 2. nu. 4.* Granad. *tract. 8. diſp. 9. n. 8.*

Digitized by Google

„ n.8. & Lugo *disp.* 15. *num.*4. *pag.*469. „ oppositam sententiam esse singula- „ rem,& falsam. Diana 5.*part. tract.* 13. „ *resol:*65. Sed probabilius respondeo: „ adhuc non esse veniale peccatum ob „ rationem nuper ex Trident. tradi- „ tam. Sic Sancius *in selectis disput.* 23. „ *num.*30., & apud illum D. Thom. & „ Gabriel locis citat. Azor.lib.10.c.30. „ num. 14. Navarr. Palud. & Sylvest. „ locis cit. Ægid. *quæst.*80. *art.*7. *n.*42. „ *vers. Secundo potest*. Suar. disput. 66. „ sect.8. Unde male citatur a Bonacina „ pro opoosita sententia Filliuc.*tract.*4 „ *num.* 224. Lazarius, & Chamerota „ apud Bonacinam, Hurtado *disp.*9. *de.* „ *Eucharist. diff.*13. *in fine*, & alii. Non „ ergo bene dixit Lugo, hanc senten- „ tiam tot gravissimis Doctoribus ful- „ citam, esse singularem, & falsam. „ Lege, me citato, Dianam part. 10. „ tract.16. resol.33. & Dicastill. tom.1. „ tract.8. dubit. 14. num.245. „

DISSERTATIO CCCCXXIII.

De Subjecto Eucharistiæ. An sit ministranda Eucharistia Coniugatis, qui coniugalem copulam præcedenti nocte habuerunt? An sit danda mulieribus patientibus sanguinis fluxum, vel tempore menstrui, aut partus? An possint eam petere, & suscipere Coniugati, qui coniugalem copulam voluptatis caussa exercuerunt?

PRo I. Dissertationis parte in plures Classes dividuntur Theologi; Primo enim sunt, qui affirmant esse peccatum, & mortale, ut videre est apud Machadum in 4. dist.9. qu.3. Secundo sunt alii, qui solum volunt esse veniale, nisi sit caussa aliqua, quæ ad communicandum obliget. Et hujus sententiæ sunt Sanchez de Matrimonio disp.13. num. 1. & 7. Henriq. lib.8. cap.51. num. 3. Emmanuel de verb. Eucharistia num. 21. Card. de Lugo disp. 15. num. 14. Philibertus tract.3. de Missa cap. 2. num. 16. qui dicit esse omnium sententiam. Tertio sunt, qui asserunt nullum esse peccatum, nec quidem veniale; & hi sunt Leander a SS. Sacramento tract. 7. disp.6.quæst.4.qui sequitur Angelum, Navarr., Sanc., Ægid., Hurtad., Victor, qui dicit, accedere ad Eucharistiam post legitimum concubitum nullum esse peccatum. Quarto est Mechado, qui loco cit. hos omnes omnes opinandi modos refert,& nullum expresse sequitur; ut apud Leandrum loco cit., unde patet non dixisse verum Philibertum, qui dixit sententiam suam esse sententiam omnium Theologorum, qui peccatum veniale volunt committi in casu, de quo loquimur.

Dicimus I. nullum esse peccatum, nec quidem veniale, accedere ad Eucharistiam post conjugalem copulam nocte præcedente habitam.

I. probatur Conclusio. Ubi nullum est præceptum prohibens, nulla est culpa; sed in casu, de quo loquimur, nullum est præceptum prohibens: ergo nulla est culpa. Major patet; quia culpa supponit præceptum, & ipsa præceptio præcedit transgressionem,

Digitized by Google

nem, ſive ſit gravis, quæ facit culpam gravem, ſive levis, quæ facit culpam levem. Minor etiam patet, quia nullum præceptum ab Adverſariis adducitur, quo contrarium probetur.

II. probatur. Si accedere ad Euchariſtiam poſt conjugalem copulam habitam, nullam continet irreverentiam, quæ Euchariſtiæ fiet, nullum erit peccatum, ne quidem veniale; ſed accedere modo dicto ad Euchariſtiam nullam continet irreverentiam: ergo nullum continet peccatum, ne quidem veniale. Major eſt certa; quia in hac irreverentia, quam fingunt, ut plurimum fundantur Adverſarii. Minor etiam eſt manifeſta; quia ubi actus eſt licitus, nulla eſt irreverentia; copula autem conjugalis eſt actus licitus, immo aliquando meritorius, ſi cum debito modo ac fine fiat, ut ſupponimus.

Obſtant I. Eſt conſulendum Coniugatis ut ipſo die vel nocte habitæ copulæ Euchariſtiam non recipiant: ergo ſignum eſt quod recipere aliquam contineat irreverentiam. II. S. Gregorius Magnus in reſponſione decima ad interrogationes S. Auguſtini, Anglorum Apoſtoli, quæ refertur in capite *vir cum propria*; 33. quæſt. 4. dicit: *Si quis ſua Conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolum liberorum creandorum gratia utitur, deſumendo Corporis Dominici ſanguiniſque myſteria, ſuo eſt relinquendus judicio; quia a nobis non debet prohiberi accipere*: ubi Gloſſa verb. *prohiberi* ſubdit; ideſt *ſuaderi*; & cum hac limitatione loquitur etiam Sanchez: ergo ſupponitur peccatum aliquod, ſaltem veniale, ſi contrarium fiat. III. Non licet Conjugatis petere conjugale debitum ipſa die communionis: ergo ſi petant & exerceant, ſaltem venialiter peccant. IV. Ratione copulæ, etiam ſi ſit conjugalis, frigeſcit devotio, quæ debet eſſe ardens & fervida, quando ad Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum acceditur; ſed hoc ipſum continet imperfectionem & defectum, qui ſatis ſunt ut conſtituant culpam venialem: ergo ſemper culpa venialis intervenit.

Reſpondemus ad I. verbis Leandri cit. loco quæſt. 5. „ Affirmant Angel. „ Navarr. Victoria, & alii apud Sancium *loc. citat. nu.* 12. Affirmat etiam „ Diana *loc. cit.* ſic dicens: Eſſe conjugibus conſulendum poſt habitam copulam nocte ſaltem antecedenti non „ recipere Euchariſtiam; docent 20. „ DD. quos citat, & ſequitur Sanchez „ *de Matrimonio tom.* 2. *lib.* 9. *diſpnt.* 13. „ *num.* 4. & 5. quibus addo Salazar. *in* „ *tract. de frequenti communione cap.* 9. „ §. 1. & *ſequenti*. Sic Diana, qui tamen omnino fallitur in hoc, quod „ dicit, ſuam videlicet ſententiam tenere 20. DD., quos citat, & ſequitur „ Sanchez, cum authorem nullum expreſſe citet: ſolum namque *num.* 4. „ dicit, ſuam concluſionem ab omnibus admiſſam. Verum eſt, quod *n.* 5. „ refert pluſquam 20. DD, ſed eorum „ major pars potius favet ſententiæ „ oppoſitæ, ut ſtatim videbimus. Sed „ æque probabiliter reſpondeo dicendum, quod licet conſulendum ſit „ Conjugatis, ut nocte præcedente „ Communionem a copula abſtineant „ (ut in hoc omnes DD. conveniunt) „ dato tamen quod non abſtinuerint, „ non eſt conſulendum illis, quod non „ communicent, ſi alia non adſit cauſa. Quia ſuſcipere Euchariſtiam eo „ die, quo habita eſt copula, nullum „ eſt peccatum, ut *quæſt.* 4. eſt habitum: ergo. Sic Sancius *diſp.* 23. *per* „ *totam*, Medina, & Marſila apud ipſum. „

Ad II. dicitur, quod verba Gregorii *non debet prohiberi*, & verba Gloſſæ *non debet diſſuaderi*; nullam includunt culpam, ſed potius excludunt: unde nihil probant contra Concluſionem, quam nos propugnamus.

Ad III. Idem Leander quæſt. 6. quam ſic proponit, an liceat Conjugatis ipſa die communionis petere conjugale debitum? Hanc exhibet reſponſionem: „ Negant Angel. *verb. Euchar.* 3. *num.* 44. Sylveſter *verb. Euchar.* „ 3. *quæſt.* 11. *num.* 13. Vivald. *de Martrmon.* 263. *mihi* §. *ult. num.* 13. Beja „ *caſu* 8. & alii apud Sanchez *loc. citat.* „ *num.* 16. Quia putant eſſe culpam venialem ea die petere: Sed probabilius reſpondeo: Licere (licet non ita „ deceat) non ſolum reddere (in quo „ omnes conveniunt) verum & petere, quia nulla eſt prohibitio, nulla„ ve indecentia, quæ culpam conſtituat. Ita Navarr. *cap.* 21. *num.* 51. Victoria *quæſt.* 81. *de Euchar.* Tabiena „ *verb. Communicare*, *quæſt.* 37. §. 42.

„ quos

„ quos citat, & sequitur Sanchez *loc.* „ *cit. num.* 17. Philibertus *tract.* 3. *de* „ *Sacrificio Missæ part.* 3. *cap.*2. *in fine*, „ Reginald. & Megalius, quos affert, „ & sequitur Diana *part.*3. *tractatu* 6. „ *resolut.*14. „

Ad IV. dicitur quod distingui debent peccatum mortale, peccatum veniale, & imperfectio seu defectus; quanvis igitur dicatur, quod in casu, de quo agitur, sit aliqua imperfectio seu defectus, nullum tamen est peccatum, nec mortale, nec veniale, ut satis usque modo probavimus. Imperfectio autem hoc importat, quod major esset perfectio si debitum conjugale nec peteretur, nec exerceretur, in nocte præcedente communionis diem, non per hoc tamen evincitur, quod esset imperfectio positiva, quæ induceret veniale.

Pro II. Dissertationis parte, sic casum proponit cit. Leander quæst.7. „ *An* „ *mulieri patienti fluxum sanguinis (aut* „ *tempore menstrui, vel partus) consu-* „ *lendum sit, ut ab Eucharistia abstineat?* „ Et respondet: Affirmat Suarez *disp.* „ 68. *sect.* 2. & Granados *tract.* 10. *de* „ *Eucharist. disp.*9. *num.* 13., quia exi- „ stimant esse veniale (si alia causa non „ urgeat) eo tempore ad Eucharistiam „ accedere. Sed probabilius respondeo: „ etiam causa non urgente, non esse ei „ consulendum, ut ab Eucharistia ab- „ stineat, quia in illa sua passione nul- „ lum reperitur peccatum, ut fatetur „ Hurtado *loc. citatis*. Sic Lugo *de Eu-* „ *charistia disp.* 15. *sess. num.* 15. *in fine*. „ Et debent sic sentire omnes DD. *qu.* 5 „ pro nostra sententia *citati*. Et Hen- „ riquez *lib.*8. *de Eucharist. cap.*39. *n.*1. „ Dicastillo *tom.*1. *tract.*8. *disp.* 9. *dubit.* „ 14. *num.*245. „

Insuper Hennus tom.2. tract.de Eucharist. disput.8. quæst.3. art.4. hæc scribit: „ Fluxus sanguinis, lepra, mu- „ lierum menstrua, & similia, quæ sine „ culpa patientis, eveniunt, non ex- „ cludunt ab Eucharistiæ convivio. Ra- „ tio est; quia tales corporis defectus „ non impediunt per se animi devotio- „ nem, potiusque merentur commise- „ rationem, quam punitionem. Dein- „ de si Christus invitavit ad convivium „ nuptiale cœcos, debiles, & claudos, „ cur ab Eucharistico excluderemus „ præfatos? Mulieres quidem tempore „ menstrui aut puerperii, non admit- „ tunt Græci, sed hanc Græcorum „ consuetudinem non agnoscit Eccle- „ sia Latina, saltem hoc tempore, quo „ antiquata est lex contraria, de qua „ cap.21. de Consecrat. Dist.2. „

Dicimus II. Eucharistiam esse ministrandam mulieribus patientibus sanguinis fluxum, & tempore etiam menstrui, aut partus.

I. probatur Conclusio. Sanguinis fluxus est potius infirmitas corporis quam animi; sed nulla corporis infirmitas, arcet hominem ab Eucharistia, nisi sit ab irreverentia inseparabilis, qualis certo non est sanguinis fluxus: ergo ab Eucharistia mulierem arcere non debet.

II. probatur. Græci non admittunt ad Eucharistiam mulieres tempore menstrui, & tempore puerperii; Latini autem admittunt; at qui hæc diversitas provenit, quia Græci observare volunt cæremonias Hæbreorum, quas nolunt observare Latini; quia jam sunt abrogatæ: ergo rationabilius agunt Latini, quam Græci: ergo Latinorum exemplum, & non Græcorum, proponendum est ad imitationem; quod continetur cap.21.dist.2. *de Consecratione.*

Objiciunt I. panes propositionis, qui erant figura Sacramenti Eucharistiæ, requirebant munditiam legalem: ergo multo magis requirit hanc munditiam legalem ipsa Eucharistia; quod totum patet in Achimelecho Sacerdote, qui panem propositionis dare noluit Davidi, ejusque militibus, antequam eorum munditiem noviset. II. Israelitæ debebant comedere Agnum Paschalem accinctis renibus; sed hoc importat munditiem corporalem, quæ debebatur Agno Paschali, qui erat figura Sacramenti Eucharistici: ergo hæc mundities semper est necessaria. III. mulier tempore menstrui & puerperii non potest intrare in Ecclesiam: ergo multo minus potest accedere ad altare ad Eucharistiam suscipiendam.

Respondemus ad I. quod in illo casu Achimelechis & Davidis erat sermo de abstinentia ab uxoribus, quæ potius connotat munditiem corporis, vel saltem utriusque; & non erat involuntaria, sicuti est in casu, de quo loquimur, sed voluntaria.

Ad II. eadem est responsio; & insuper Hen-

Digitized by Google

Hennus ſuperaddit : „ Legem Mo-
„ ſaicam, quæ fere tota in exterioribus
„ occupabatur, varias Cæremonias, ac
„ obſervantias exteriores requſiiſſe,
„ quas Lex Euangelica, magis interio-
„ ribus quam exterioribus regulandis
„ occupata, non requirit : Unde il-
„ larum loco exigit in noſtro caſu cul-
„ tum interiorem, ac animi devotio-
nem.„

Ad III. negatur antecedens ; quia nulla eſt lex, quæ hoc prohibeat, & nulla eſt conſuetudo, quæ hoc obſervet.

Pro III. tandem Diſſertationis parte, in qua quæritur, An poſſint Euchariſtiam petere & accipere Conjugati, qui conjugalem copulam præcedenti nocte voluptatis cauſſa exercuerunt ? Ultra Leandrum, cujus verba retulimus ſupra, afferimus etiam verba Auguſtini Michel in ſua Theologia Canonico-Morali tom. 3. tract. 3. part. 2. de Sacram. Euchariſt. ſect. 2. art. 1. *Debitum conjugale redditum aut petitum nocte communionem præcedente ex legitimo fine, cum debito moderamine, longe magis ex ſpeciali tum militantis cauſa ; quia ſe optime ad generandam prolem parentes diſpoſitos adverterunt &c. A communione non impedit ; quam in rem adducitur Sanctus Gregorius* relatus in Can. vir. cum propria cap. 33. quæſt. 4. *eſt enim tunc actus virtutis, nullatenus peccaminoſus : Ergo non impedit : curandum tamen eſt, ut pravi corporis motus, quoad fieri poteſt, ſedentur ab acceſſuro. Copula eadem nocte potius ob voluptatem, quam finem præſtitutum habita, veniale quidem peccatum non excedit, & ſic ſub mortali non ſecludit a S. Synaxi : vix tamen evaditur peccatum irreverentiæ veniale, niſi aut occurrat ſpecialis ratio tali die communicandi, veluti Indulgentiæ plenariæ; feſtum ſingularis patroni &c. Aut ſaltem animus ſtudioſe recolligatur, & occurratur evagationibus ex delectatione libidinoſa oriri ſolitis. Licet vero conſultum ſit, ut conjux altero die communicatura de hoc moneat conjugem petentem debitum, ſi tamen is urgeat, omnino reddendum eſt, cum ex juſtitia debeatur, cujus obligatio longe prævalet arbitrariæ divotioni: & caveant mulieres, ne propter frequentiores communiones, aut alias devotiunculas æquo ſæpius deprecando, aut detrectando debitum conjiciant maritum in periculum pollutionis, aut omnino adulterii, ut non raro experientia comprobavit.*

Dicimus III. actum conjugalem, etiam ob voluptatem exercitum, non impedire euchariſticam communionem.

I. Probatur. Voluptas in actu conjugali, ſi non ſit principaliter intenta, nullum inducit peccatum : ergo nullum inducit impedimentum ad Euchariſtiam percipiendam. Antecedens eſt certum ; quia in eo caſu nec eſt finis perverſio, nec modi indecentia, ut ſupponitur ; conſequentia autem ſequitur.

II. probatur. Si aliquod eſſet impedimentum, vel eſſet ratione corporis, vel eſſet ratione animi ; ſed nullum ex iis capitibus: ergo nullum eſt proſus impedimentum. Probatur minor. Non ratione corporis ; quia aliter pollutio involuntaria etiam eſſet impedimentum, cujus nos contrarium probavimus : non ratione animi; quia quum nullam inducat culpam in terminis, in quibus loquimur, nullum etiam inducit impedimentum.

Arguunt I. Deus in perſona Angeli dixit Iſraelitis Exod. 19. *extote parati in diem tertium & ne appropinquetis uxoribus veſtris*: ergo commixtio cum uxoribus erat prohibita tempore illo, de quo loquebatur. II. Apoſtolus I. ad Corinth. cap. 7. vult ut Conjuges ab actu conjugali abſtineant, ad hoc ut vacent orationi : ergo multo magis ad hoc ut Chriſti corpori communicent. III. Capite *Sciatis* 33. *quæſt.* 4. habetur : *Quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi nec de carnibus Agni comedere.*

Reſpondemus ad I. non valere argumentum ab obſervantiis in Lege Moſaica ad illas, quæ ſunt in Lege Euangelica, propter diſcrimina, quæ in ante dictis nuper retulimus.

Ad II. dicitur, illud Apoſtoli eſſe conſilium & non præceptum ; ut dicit Hennus ſub his verbis : „ Non enim
„ dat ibi præceptum, ſed conſilium :
„ Nolite fraudare invicem, inquit, niſi
„ forte ex conſenſu ad tempus, ut va-
„ cetis orationi, ubi priora quidem
„ verba important præceptum, non
„ tamen poſteriora, ut per ſe patet.
„ Nec contrarium docet Hieronymus
„ epiſt. 1. ubi licet videatur oppoſitæ
„ ſententiæ favere, ſatis tamen oſten-
„ dit, ſe nihil decidere ; cum dicat ibi-
„ dem

„ dem loquens de conjugibus: *Scio Ro-*
„ *ma hanc esse consuetudinem, ut fideles*
„ *semper Christi Corpus accipiant: quod*
„ *nec reprehendo, nec probo.* „

Ad III. Idem Hennus adducit Gloſſam, ad citatum caput dicentem, vel ibi eſſe conſilium, vel mentionem fieri de redditione libidinoſa, quæ poſt ſe relinquit mentis evagationem; Attamen nos dicimus, quod argumentum ſi probaret, nimis probaret; ac proinde nihil probat. Verba enim ſunt de redditione debiti, de qua nemo dubitavit, nec modo eſt ſermo; loquimur nanque tantum de petitione, & exercitio voluptatis cauſa.

DISSERTATIO CCCCXXIV.

De ſubjecto Euchariſtiæ. An in ſuſcipientibus Euchariſtiam neceſſario ſtatus gratiæ requiratur? An & quomodo peccet qui Conſcientia peccati ad Euchariſtiam percipiendam accedit? An præceptum præmittendi Confeſſionem ſit mere humanum?

PRimo loco, loquendo de erroribus contra catholicam veritatem, quam in præſenti Diſſertatione propugnamus, & de ipſorum defenſoribus, ponimus quoſdam Berengarii diſcipulos, qui, teſte Guitmundo, Archiepiſcopo Averſano lib. 1. de Euchariſtia, in eo errore verſati ſunt, ut putarent Chriſti Domini corpus a pravis hominibus nequaquam manducari poſſe; ſed indignis ad communionem accedentibus, carnem Domini, & ſanguinem iterum reverti in panis & vini ſubſtantiam, in quas prius converſa eſſe non denegabant. Sic apud Fraſſen, qui hæc ſcribit, teſtatur Algerus in Prologo de Euchariſtia, ubi varios recenſens Berengariorum errores, addit: *Alii vero mutari quidem in carnem Chriſti dicunt, ſed malis meritis ſumentium non permanere carnem Chriſti, ſed iterum reverti in purum Sacramentum panis & vini.* Ad quæ citatus Fraſſen hæc ſuperaddit: „ Imo nonnulli eorum ita deſipiebant, ut aſſererent partem panis
„ & vini converti quidem in corpus,
„ & ſanguinem Chriſti propter dignos
„ ſuſcepturos; partem vero immutatam permanere propter indignos,
„ quibus hæc pars, recedente corpore
„ & ſanguine Chriſti, erat tradenda, ut
„ docet idem Guitmundus circa finem
„ libri tertii. „

Secundo, Lutherus voluit, non requiri ad dignam præparationem communionis, ut quis non ſit ſibi conſcius peccati mortalis; immo quo plurium & majorum ſibi conſcius eſt, eo eſſe aptiorem ad Euchariſtiam. Inſuper etiam dixit, ad præparationem Euchariſtiæ non requiri, ut quis per confeſſionem, & pœnitentiam a peccatis juſtificetur, ſed ſatis eſſe fidem, qua certo credat ſibi in eo Sacramento omnia peccata eſſe remittenda. Sic apud Bellarminum de Sacramento Euchariſtiæ lib. 4. cap. 17.

Tertio, Kemnitius voluit Euchariſtiam accipi ad remiſſionem mortalium peccatorum: ex quo ſequitur, quod ante Euchariſtiæ ſuſceptionem non ſit neceſſaria abſolutio a peccatis.

Quarto, Calvinus lib. 4. inſtitutionum cap. 17. §. 41. reprehendit Catholicos,

Digitized by Google

cos, quod requirant ad dignam præparationem ad ſuſcipiendam Euchariſtiam ut homo ſit in ſtatu gratiæ. Refert, citatus Bellarminus eodem loco.

Dicimus I. in Suſcipientibus Euchariſtiã neceſſario requiri ſtatum gratiæ.

I. probatur ex Scripturis. Levit. 22. *Omnis homo, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt a filiis Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*: per quæ verba ſi Deus tam acriter punit qui cum immunditia peccati vaſa conſecrata tangit, quanto magis illum, qui ſacrum Chriſti corpus ſuſcipit? Apoſtolus ad Hebr. 10. *Si irritam quis faciens Legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, aut tribus, teſtibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Quæ verba citatus Fraſſen ſic explicat: „ Qui autem „ indigne corpus & ſanguinem uſurpat, „ revera Dei filium conculcat, & pol„ lutum ducit; quippe conſcientiæ ſor„ dibus illum, quantum in ſe eſt, con„ ſpurcat. I. Ad Corinth. 11. *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Hunc locum male interpretantur Hæretici volentes, probationē referri ad fidem; ſcilicet communicantes debere probari num fidem habeant. Sed per hæc verba impugnantur a Bellarmino: „ Sed longe aberrant a ſcopo „ B. Pauli. Si quidem Apoſtolus non „ reprehendit Corinthios, quod nihil „ crederent, aut quod tantum hiſtoricam fidem haberent, aut quod non „ ſatis fiderent promiſſis Dei, aut de„ nique quod non haberent propoſi„ tum vitæ mutandæ: nihil enim horum „ in toto illo capite inveniri poterit. „ Sed reprehendit Corinthios, quod „ quidam ex eis ditiores adferrent in „ Eccleſiam ſumptuoſam cœnam, quam „ ſumerent poſt communionem myſte„ riorum, & eam ſeorſim ab aliis, ma„ xime pauperibus, abſumerent: in „ quo multis modis peccabant. Nam „ & Chriſti corpus injuria afficiebant, „ dum cum illo miſcerent alios cibos, „ ut notat Auguſtinus epiſt. 118. cap. 3. „ & proximum offendebant, & Eccle„ ſiam ipſam ſcandalizabant, dum ipſi „ laute convivarentur; pauperibus vi„ dentibus, & eſurientibus: & denique „ peccabant intemperantiæ, & crapu„ læ vitio. Id patet ex verbis Apoſtoli, „ qui hæc ſola vitia reprehendit: *Alius*, „ inquit, *eſurit, alius ebrius eſt*; &, „ *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam „ Dei contemnitis, & confunditis eos, qui „ non habent*? Et in fine concludit: „ *Itaque, fratres mei, cum convenitis, in„ vicem expectate; ſi quis eſurit, domi „ manducet, ut non in judicium decidatis.* „ Cum ergo B. Paulus ſolum peccata „ quædam circa mores reprehenderit „ in Corinthiis, cum addit; *Probet ſe„ ipſum homo, & ſic de pane illo edat*: „ nihil aliud monere cenſendus eſt, niſi „ ut quiſque videat, an habeat con„ ſcientiam ejuſmodi, vel aliorum pec„ catorum: qui enim eum conſcientia „ peccati accedit, judicium ſibi man„ ducat, & bibit. „

II. probatur ex Figuris tam veteris, quã novi Teſtamenti. Et quidem in veteri Teſtamento Agnus Paſchalis, qui erat figura Euchariſtiæ, non poterat comedi, niſi ab hominibus purificatis & mundis, ut legitur Num. 9. II. Paralipom. 30. Inſuper panes propoſitionis, altera figura, edi non poterat, niſi a mundis, ut legitur I. Regum 21. Tandem qui erat aliqua immunditia pollutus, & edebat de carne ſacrificiorum, anima ejus peribat de medio populo, ut habetur Levitici 22. Ulterius in novo teſtamento Chriſtus Dominus lavavit pedes diſcipulorum, antequam eis Euchariſtiam daret. Joann. 13. Etiam dicitur Matth. 12. quod ſeveriſſime punitus fuit, qui ad regium Convivium ſine veſte nuptiali acceſſit. Et Luc. 15. filius prodigus, antequam admitteretur ad comedendum vitulum ſaginatum, fuit prius Patri reconciliatus, & veſtimentis, & annulo ornatus.

III. probatur ex Traditione, quæ conſiſtit in Patrum conſenſu, & in Eccleſiæ uſu. In Liturgiis Græcorum clamat Diaconus: *Sancta Sanctis*; & per hæc verba arcentur non ſolum Catechumeni, ut explicat Kemnitius, ſed omnes Peccatores, ut exponit Chryſoſtomus hom. 61. ad populum Antiochenum. Juſtinus in Apolog. 2. prope finem, inquit: *Porro alimentum*

hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem ablutoq, & ita, ut Christus tradidit, viventi, Cyprianus lib. 3 epist. 14. reprehendit illos, qui peccatores nondum absolutos ad Eucharistiam admittebant, dicens, *Nondum pœnitentiæ acta, nondum exomologesi, nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*. Basilius lib. 2. de Baptism. cap. 3. cui titulum prefixit: *An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis, & spiritus, edat corpus Domini?* Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 37. *Ubique mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; postea alimonia mensæ cælestis exuberat*. Hieronymus hom. 8. in epist. ad Ephes. *Cum tuli puritate accede semper, sine hoc ne præsumas unquam. Regem utique non audeas osculari, siquidem os tuum olet graviter, & Regem Cælorum impudens oscularis anima tua vitiis vlente &c.* Augustinus tract. 26. in Joannem. *Innocentiam ad altare portare*.

IV. probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. in epist. 1. Decretali: *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem*. Leo Magnus Papa I. epist. 91. ad Theodorum Episcopum: *Mediator Dei, & hominum homo, Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*.

V. probatur ex Conciliis. Concilium Ancyranum ait: *Placuit eos inter Audientes uno anno constitui, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam, tertio autem anno reconciliari Sacramentis*. Item in Canone hæc quoque leguntur: *Biennio maneant in pœnitentia, tertio vero anno communicent, sed sine oblatione. In quarto vero anno perfectionem suam recipiant*. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, Probet seipsum homo &c. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo observandum esse decernit*. Et in can. 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit*. Denique Catechismus Romanus de Eucharistia num. 59. hæc docet. „ Primam illam præparationem fideles „ adhibeant, ut discernant mensam a „ mensa, hanc ab aliis profanis, cæ„ stem hunc panem a communi. At„ que hoc fit, cum certo credimus præ„ sens esse verum corpus, & sanguinem „ Domini, quem in cœlo Angeli ado„ rant, ad cujus nutum columnæ cæli „ contremiscunt, & pavent, cujus glo„ ria plenum est cœlum, & terra. Hoc „ nimirum est judicare corpus Domi„ ni, quod Apostolus admonuit: cujus „ tamen mysterii magnitudinem vene„ rari potius oportet, quam disputa„ tionibus ejus veritatem curiosius per„ quirere. Altera vero præparatio ma„ xime necessaria est, ut unusquisque a „ seipso quærat, num pacem cum aliis „ habeat, num proximos vere atque „ ex animo diligat. Si ergo offers mu„ nus tuum ad altare, & ibi recordatus „ fueris quia frater tuus habet aliquid „ adversum te, relinque ibi munus „ tuum ante altare, & vade prius re„ conciliari fratri tuo, & tunc veniens „ offeres munus tuum. Deinde con„ scientiam nostram scrutari diligenter „ debemus, ne forte exitiali aliquo „ peccato contaminati simus, cujus pæ„ nitere necesse sit, ut prius Contrio„ nis & Confessionis medicamento il„ lud eluatur. Definitum est enim a „ sancta Tridentina Synodo, nemini „ licere, quem mortalis peccati con„ scientia stimulet, si Sacerdoti facultas „ data sit, antequam se sacramentali „ Confessione purgarit, quantumvis si„ bi contritus esse videatur, sacram Eu„ cha-

Digitized by Google

„ chariſtiam accipere. Præterea taciti „ cum animis noſtris cogitemus quibus „ divinum hoc beneficium a Domino „ tribuatur: quare illud Centurionis, „ de quo idem ipſe Salvator teſtatus eſt, „ ſe non inveniſſe tantã fidem in Iſrael, „ ex animo dicendum eſt: Domine, „ non ſum dignus, ut intres ſub tectum „ meum. „

VI. probatur Rationibus. I. Eurhariſtia habet diverſum finem, ab eo, quem habet Baptiſmus, & Pœnitentia; ſed Baptiſmus & Pœnitentia habent pro fine remiſſionem peccati, ſive originalis ſive actualis: ergo Euchariſtia habens alium finem remiſſionem peccati debet ſupponere, habitam ſcilicet vel per Baptiſmum, vel per Pœnitentiam. II Euchariſtia dabatur Neophitis immediate poſt Baptiſmum; ut legitur apud Ambroſium in lib. de iis, qui initiantur myſteriis, & apud Cyrillum Hieroſolymitanum in Catecheſibus myſtagogicis: ergo Euchariſtia non inveniebat peccata, quæ tolleret, ſed ea ſupponebat ablata per Baptiſmum. III. Eccleſia conſuevit arcere a communione Catechumenos; hoc eſt illos qui pœnitentiam agebant, ſed nondum eam compleverant; ut patet ex Concil. Nicæno I. can. 11. & 12. & ex Ancyrano cit. can. 4. 15. 16. 7. ergo poſcebat ſtatum gratiæ in iis, qui Euchariſtiam ſuſcipere volebant. IV. Heterodoxi, qui contrariam ſuſtinent doctrinam ante cõmunionem requirunt ſaltem fidem, quæ per Lutheranos ſola juſtificat; ergo, ſupponunt juſtificationem, & differunt tantum a nobis, quod illi credunt ſufficere ſolam juſtificationem per fidem, nos vero volumus etiam requiri juſtificationem per pœnitentiæ Sacramentum, vel in re, vel in voto.

Arguunt I. Chriſtus dixit: *non veni vocare juſtos, ſed peccatores*: ergo vocans homines ad Euchariſtiam, vocat peccatores, & non exigit ut ſint juſti. II. Si qui accedunt ad Euchariſtiam mundi eſſe deberent, nullus accedere poſſet ad eam, quia nullus eſt qui vere credere ſe poſſit mundum, & hoc eo magis quia nemo mundus a ſorde. III. per Sacramentum Euchariſtiæ datur remiſſio peccatorum; dicitur enim Lucæ 22. *Hic eſt ſanguis, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: ergo non eſt neceſſe ut peccatorum remiſſio ad Euchariſtiæ Communionem præmittatur. IV. continentur preces in Liturgiis, quibus oratur Deus pro peccatorum remiſſione: ergo per Euchariſtiam obtinetur. V. Apoſtolus nullã facit mentionem confeſſionis, ſed tantum probationis; dicit enim: *probet ſeipſum ante quam &c.* ergo non eſt neceſſaria confeſſio. VI. Chriſoſtomus homil. 28. I. ad Corinth. docet: *Non præcipit ut alter ab altero probetur, ſed ipſe ſine traductione faciens judicium, & ſine teſte redargutiones.* Et S. Auguſtinus ſerm. 252. de tempore: *Unuſquiſque conſideret conſcientiam, & quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognoverit; prius orationibus, jejuniis, & elemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere.*

Reſpondemus ad I. Chriſtum vocare peccatores ad ſe quando primum vocat per pœnitentiam; igitur loquitur de prima vocatione ad fidem & pœnitentiam, non vero de invitatione ad Euchariſtiam. Vocat etiam infideles ad ſe, & tamen nemo dixit quod non dandus iiſdem Baptiſmus antequam Euchariſtia donentur.

Ad II. dicitur, quod non requiri: Deus, ut qui ad Euchariſtiam accedit certus ſit ſe non habere peccata, ſed ſolum ut probet ſeipſum & faciat quod in ſe eſt ut peccatum purgetur; quod jubet Apoſtolus I. ad Corinth. 11. Proinde Bellarminus hæc ſubdit ex S. Thoma. „ Quare beatus Thomas 3. part. quæſt. „ 79. art. 3. docet eum, qui forte habet „ peccatum mortale, ſed non habet affectum, neque conſcientiam, quia „ poſt diligens examen non ei occurrit, „ & ſi occurreret, ſine dubio daret operam, ut per Sacramentum expiaretur: „ & dolorem habet omnium peccatorum ſuorum, licet non ſit is dolor „ perfecta contritio; eum, in quam, „ dicit S. Thomas non indigne, nec „ inutiliter accedere, immo plane utiliter. Quia etſi hoc Sacramentum „ non ſit inſtitutum ad peccata mortalia remittenda, tamen gratiam conferit gratum facientem, & conſequenter delet etiam peccata mortalia, ſi „ quæ inveniat in eo, qui non indigne „ accedit; gratia enim cum peccato ſimul manere nullo modo poteſt. „

Ad

Ad III. dicitur ex eodem Bellarmino, quod verba illa : *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* : non significant, bibi sanguinem in remissionem peccatorum, sed effusum fuisse in remissionem peccatorum; & hoc per Eucharistiam representari.

Ad IV. cum eodem dicitur: „Quod multis de causis oratur, ut Sacramenti „ perceptio sit in remissionem peccatorum. Primo, quia prodest ad delenda peccata mortalia, quorum non „ habemus conscientiam, ut supra diximus. Secundo, quia prodest ad tollendam pœnam, quæ remanet luenda etiam post culpam dimissam; unde „ etiam pro peccatis defunctorum oramus in Missa. Tertio, quia prodest „ ad delenda peccata venialia, & quotidiana, quæ charitatem, & vitam „ animæ non extinguunt. „

Ad V. Apostolus per illam probationem intelligit examen, per quod quilibet sibi debet esse judex, qui discernat opera sua, & diligenter inquirat, utrum sit dignus accedere ad Eucharistiam absque ulteriori probatione: an vero conscius sit alicujus peccati mortalis, quod eluere debeat per pœnitentiam, ad quam necessaria est confessio; ut ait Frassen.

Ad VI. idem Chrysostomus sibi ipsi respondet hom. 30. in Genes. ubi agit de præparatione facienda in Hebdomada sancta ad celebrandum digne Pascha, & dicit: *Nunc maxime & jejunii cursus intendendus est, & magis contendæ sunt preces, faciendaque diligens, & pura Confessio peccatorum, ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem dominicum venerimus, Domini libertate fruamur*. De Augustino vero idem Frassen subdit: „ Hinc fortasse S. Augu„ stinus, in objectione laudatus, non „ meminit Pœnitentiæ & Confessionis, „ tanquam dispositionis necessario præ„ requisitæ in peccatore ad dignam „ communionem; quia omnibus com„ pertum erat, & evidens ex continua „ Ecclesiæ praxi. „

Pro II. Dissertationis quæsito, in quo continetur: An, & quomodo peccet, qui cum conscientia peccati ad Eucharistiam percipiendam accedit? Leander a SS. Sacramento affert Vasquez, qui disp. 207. cap. 1. num. 3. affirmat dari posse casum, in quo alicui sit licitum sumere Eucharistiam cum conscientia peccatis mortalis: Verba Vasquez sunt: *Si quis in altari recordetur alicujus peccati commissi post confessionem, cujus illuc usque nullam, neque in universum habuisset contritionem, quia fortassis nunquam putavit esse mortale; tunc autem jam videt, vel vehementer dubitat, esse mortale, ita posset temporis angustiis arctari, aliisque necessariis ipsius sacrificii distrahi (quamquam raro id accidere potest) ut nisi ab eo cessaret, nullo modo ad perfectam contritionem excitari posset; ac proinde tunc ad Sacramentum in peccato mortali accederet, ad norum peccctum mortale ipsi non imputaretur, quia hoc præceptum non obligat cum tanto dispendio, ut debeat homo coram toto populo a sacrificio, cum nota sui honoris cessare, potius quam ad Sacramentum cum illo peccato accedere*. Joannes de Lugo disp. 14. num. 3. pag. 441. sequitur sententiam Vasquesii, quam pariter tenet Hurtadus disp. 9. de Eucharistia diff. 1. verba autem de Lugo sic recitat Leander cit. „ Et „ addit consequenter, & a fortiori idem „ dicendum, quando in subita Hæreticorum, vel Paganorum irruptione, „ periculum esset gravissimæ irreverentiæ Eucharistiæ inferendæ; & Catholicus in peccato existens non posset „ præ temporis angustiis disponere se „ per contritionem, aut occultare Sacramentum; tunc enim propter ejusdem Sacramenti reverentiam, sicut „ posset ex omnium sententia non jejunus, sic etiam videtur, quod posset „ in peccato existens Eucharistiam sumere ad vitandam ejus irreverentiam. Sic Lugo. „ Attamen alii apud eundem Leandrum volunt, quod in nullo casu liceat alicui accedere ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis. Et ratio ipsorum est, quia qui sic accedit, accedit indigne: ergo peccat mortaliter juxta Apostoli doctrinam. Unde in casibus allatis dicunt, quod Sacerdos, vel alius quilibet Catholicus, teneatur conari, quantum in se est, ad habendam contritionem. Citantur Suarez disp. 66. sect. 1. Diana 4. part. tract. 4. resol. 98. & alii. Denique ipsemet Leander his verbis ad dubium cum distinct. occurrit: „ Sed ego distinctius respondeo: dicendum, quod si detur „ casus, in quo peccator nec relinque-

„ re

„ re communionem, ob scandalum ibi „ futurum; nec præparare se, aut conari ad contritionem, ob angustias „ temporis possit, tunc certe non peccaret mortaliter accipiendo sacram „ Eucharistiam. Tum quia, ut bene „ Vasquez, tunc non obligat cum damno tanto præceptum divinum. Tum etiam, quia (ut 1. part. tract. 1. disp. „ 4. quæst. 8. diximus) secundum aliquos ex præcepto divino tenetur Minister ad ministranda sacramenta in „ gratia: & tamen in casu, quo necessitas proximi cogeret, & præ angustiis temporis non posset se præparare, non peccaret mortaliter ille in „ mortali ministrando: ergo nec in nostro casu qui in mortali Eucharistiam „ reciperet. Addo ego quod vix in „ Sacerdote celebrante possit contingere casus; quia optime potest ante „ communionem absque ullo scandalo „ se præparare. Rursus, in Laico communicante, licet is casus facilius concedi possit, ut si in tempore, quo illi „ Sacramentum jam porrigitur, alicujus „ mortalis recordetur: Dico nihilominus, quod licet absque novo peccato „ possit illud recipere; teneatur tamen „ antequam Sacramentum deglutiat, „ dum illud in ore detinet, ad contritionem conari, ut sic in gratia, & „ cum fructu illud recipere, & manducare possit. Legatur Dicastillo dub. „ 1. cit. num. 6. Ubi additum Card. de „ Lugo admittit, & recte: non vero „ sententiam Vasquii. „

Pro III. denique Dissertationis parte, in qua quæritur: an præceptum præmittendi Confessionem sit mere humanum? Sunt Theologi, qui affirmant, ut Navarrus, Medina, Armilla, Palacios, Richardus, & alii apud Leandrum citatum, qui existimant esse solum præceptum latum ab Apostolo Paulo 1. ad Corinth. 11. verbis illis: *Probet autem seipsum homo*. Et hanc sententiam Diana dicit esse probabilem. Leander vero probabilius dicit se respondere, quod etiam sit præceptum divinum positivum a Christo Domino latum, promulgatum vero ab Apostolo Paulo verbis illis: *Probet seipsum homo*. Leander hæc addit: „ Sic docent ex Tridentino loc. cit. Sotus in 4. dist. 12. quæst. „ 1. art. 4. Suar. disput. 6. sect. 3. Vasquez disp. 207. cap. 4. Filliuc: tract. „ 4. num. 12. Valentia disp. 6. quæst. 8. „ punct. 3. Hurtad. disp. 9. de Eucharistia diff. 5. Fagundez præc. 3. lib. 3. „ cap. 8. num. 2. & 3. Lugo disp. 14. a „ num. 69. pag. 452. Bonacina disp. 4. „ quæst. 6. punct. 1. Granados tract. 10. „ de Eucharistia disp. 7. num. 10. Cornejo quæst. 80. art. 4. disp. unica, dubit. 2. Philibertus tract. 3. de Missa „ part. 3. capit. 1. num. 1. vocans opinionem contrariam temerariam, sed „ immerito. Villalabos tract. 7. diff. „ 37. num. 1. Machad lib. 4. part. 1. „ tract. 10. docum. 6. Ludovicus quæst. „ 7. de Eucharistia art. 9. dubit. 1. Legatur enim Diana part. 9. tract. 3. resol. 2. ubi opinionem asserentem „ præceptum de præmittenda confessione ante Eucharistiam esse de jure „ ecclesiastico, nec esse improbabilem, „ ex Suario, Lessio, Soto, Amico, & „ Coninchо recte colligit, contra Nusium in 3. part. quæst. 80. art. 4. diff. „ 2. concluſ. 2. „

Dicimus II. præceptum præmittendi confessionem sacramentalem ad digne percipiendam Eucharistiam, esse simul divinum & ecclesiasticum.

I. probatur. Si Eucharistia est adultis necessaria tam præcepto divino, quam ecclesiastico; est etiam necessaria utroque præcepto confessio sacramentalis, quæ illam debet necessario præcedere; sed adultis utroque præcepto est necessaria Eucharistia: ergo etiam est necessaria utroque præcepto confessio sacramentalis. Probatur minor; & quidem est necessaria per verba Christi Domini: *Nisi manducaveritis &c.* quibus addit Witasse: „ Cum enim illa non sonent necessitatem medii, ut jam ostendimus, arguunt necessitatem præcepti divini. „ Pro II. vero parte eadem minor probatur, ut subdit idem Witasse; „ Decretis Conciliorum tum Lateranensis IV. can. omnis „ utriusque sexus; tum Concilii Tridentini sess. 13. can. 9. ubi Patres „ sanciunt, omnes ac singulos Christi„ fideles utriusque sexus, cum ad annos „ discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad „ communicandum. „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXV.

De ſubjecto Euchariſtiæ. An poſſit dari caſus, in quo quis poſſit ſumere Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis? An Sacerdoti ſufficiat contritio? An qui morti eſt proximus, & Confeſſarii copiam non habet, poſſit ſine confeſſione licite Euchariſtiam ſumere?

AD I. Diſſertationis partem Leãder citatus reſpondet, poſſe; & toties quoties deſit copia Confeſſarii, & neceſſitas ſumptionis Euchariſtiæ urgeat. Rationem hanc addit: Quia ſic habetur in Tridentino ſeſſ. 13. cap. 7. in quo legitur: *Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte; certe quo magis ſanctitas, & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum: Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit; modo non deſit illis copia Confeſſoris: quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur.* Et can. 11. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

Verum quanvis in prædictis Doctores conveniant, non conveniunt tamen in determinando, & quando quis ſit dicendus quod copia Confeſſarii careat, & quando neceſſitas communicandi urgeat; quæ ſunt duo, quæ ad præfatum caſum decidendum ſunt neceſſaria. Circa copiam Confeſſarii dicit Leander, quod tunc non datur, quando vel nullus adeſt Confeſſarius approbatus; vel ſi adeſt, Confeſſiones non vult audire. Quibus præmiſſis ad ſeguentes caſus idem Leander reſpondet I. quod aliquis poteſt propter ſcandalum, aut infamiam vitandam, communicare contritus, non

præ-

Digitized by Google

præmiſſa confeſſione : & ratio ipſius eſt, quia hoc præceptum non obligat cum rigore tanto: & pro ſe citat Suarez, Fagundez, & alios apud Dicaſtillum tract. 4. diſp. 9. dubit. 6. num. 77. II. An liceat communicare abſque confeſſione, deficiente Confeſſario, quoties omittendo communionem eſſet periculum gravis aliquorum admirationis? Et probabilius reſpondet poſſe; quia gravis admiratio moraliter loquendo eſt ſemper conjuncta cum aliquo periculo murmurationis & infamiæ. Obſervat tamen; „ Aliud eſſe ſcandalum, aliud „ vero populi quandam admirationem; „ hæc enim poſterior (quidquid aliqui „ Summiſtæ dicant) non eſt ſufficiens „ cauſa ad communicandum ſine Confeſſione, ne alii admirentur, videntes eum conſuetam communionem „ omittere : ſola enim admiratio non „ affert in hac parte aliquid nocumenti; „ neque eſt res magni momenti, niſi ſimul cum illa, vel ſcandalum, vel „ infamia conjuncta ſit, quod tamen „ moraliter loquendo, ſæpe accidere „ ſolet. Ex hac enim admiratione ſolet vulgus, & leves homines occaſionem facile ſumere, aut judicandi de „ aliquo temere, aut de eo murmurandi, & conſequenter infamandi „ proximum: Quando ergo hujuſmodi „ periculum merito timetur, eſt cauſa „ juſta & ſufficiens. Hæc Suarez, Corduba in ſumm. quæſt. 141. Fagundez „ præc. 3. lib. 3. cap. 9. num. 9. Philibertus tract. 3. part. 3. num. 11. Et „ in hanc inclinat Henriquez lib. 8. „ cap. 46. num. 4. & tenent Granados „ tract. 10. diſp. 7. num. 13. pag. 1005. „ Armilla verb. Euchariſtia num. 28. „ Villalobos tract. 7. diff. 37. num. 5. „ Machado lib. 4. part. 1. tract. 10. „ documen. 7. num. 4. & alii. Tenent „ etiam Hieron. Garcia in ſum tract. 3. „ difficult. 5. dub. 1. punct. 5. num. 39. „ & Joann. Sanchez diſp. 32. „ III An ſi Sacerdos poſt introitum, ſed ante conſecrationem, recordetur ſe in mortali eſſe, teneatur confiteri, ſi id poſſit abſque ſcandalo, & abſque nota? Et an teneatur præmittere confeſſionem, ſi jam exiſtens in altari, antequam inchoet Miſſam, recordetur culpæ mortalis? Et ad primum idem Leander, contra plures, quos affert, reſpondet non teneri, etiam ſi abſque nota id poſſit. Hoc quoque reſpondet ad ſecundum, etiamſi poſſit abſque nota, & abſque ſcandalo. Ratio primi dicti eſt, quia non decet inceptum ſacrificium interrumpere: ergo in eo caſu ſatis erit, ſi Sacerdos eliciat contritionem, & Miſſam cœptam perficiat. Et pro hac opinione ſequentes Theologos citat. Sic Henriquez lib. 8. cap. 46. num. 3. & alii apud ipſum. Sot. diſt. 13. quæſt. art. 6. Victoria num. 79. alias 78. & apud ipſum Riccardus, & Paludanus, Petrus Matthæus in annot. ad Rubr. Miſſalis part. 1. cap. 8. num. 5. Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 5. Reginal. lib. 29. cap. 4. ſect. 1. num. 105. Granad. tract. 10. diſp. 7. num. 13. Ludovicus tom. 1. quæſt. 7. art. 6. dub. 1. Append. 2. Et id eſſe valde probabile affirmant Bonac. & Diana locis citatis & Fagundez loc. cit. num. 14. Tenet etiam Valentia diſp. 6. q. 8. punct. 3. col. 1159. Immo & Diana, jam ſibi contrarius, videtur hanc ſententiam ſequi, cum eam in ultimo referat loco, eodem tract. reſ. 77. Legatur hic author part. 9. tract. 3. reſol. 7. & Dicaſtillo tract. 4. diſp. 9. dubit. 6. num. 79. ubi ait, hanc ſententiam ſibi placere, & citat pro illa Suarium. Ratio vero ſecundi dicti eſt, quia ſi Laicus, verba ſunt ejuſdem Leandri; „ Poteſt Euchariſtiam „ ſumere, caſu quo jam ſacræ menſæ „ communicaturus aſſiſtens, recordetur alicujus mortalis non confeſſi, „ non præmiſſa confeſſione illius, etiam „ præciſa omni nota, & periculo infamiæ, ut ſtatim dicemus: Quare hoc „ idem nequibit Sacerdos, ſi hoc illi „ accidat jam in altari ad ſacrificium „ celebrandum exiſtenti? Sic debent a „ fortiori ſentire Scot. in 4. diſt. 9. „ quæſt. unic. & Granados loc. cit. ubi „ abſolute dicunt, quod ſi Sacerdos ſacerdotalibus veſtibus indutus recordetur peccati mortalis, & non habeat „ in promptu Confeſſorem, poſſit celebrare. „ His poſitis.

Dicimus I. poſſe dari aliquando caſum, quo quis poſſit ſumere Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis; & in hoc caſu ſufficere contritionem.

I. Concluſionis pars probatur ex caſibus adductis & probatis per Leandrum, cujus authoritatē, & verba retulimus, immo etiam Theologos, qui cum eo

Digitized by Google

sentiunt : unde probationes nuper adductæ valere possunt pro hujus primæ partis Conclusionis probatione.

II. vero Conclusionis pars sic proponitur : An Sacerdos, vel Laicus, qui prius confessus fuerat, & postea dum jam est in altari, recordetur peccati in Confessione obliti, teneatur saltem ante communionem elicere contritionem de illo ? Et respondet sub his verbis : „ Affirmativam sententiam „ ex Medina, Suarez, & Graffis, docuisse Reginaldum, refert Diana 2. „ part. tract. 14. de celebr. Missar. resol. 48. Sed male, inquit Lugo, per „ hæc verba : *Quia neque in illo tom. 2. „ datur liber aliquis quintus, neque in „ lib. 5. qui est in 1. tom. habet aliquid „ ad illud propositum ; in lib. autem 29. „ cap. 6. quæst. 4. ubi agit de illa materia, „ solum dicit, debere præmitti confessionem illius etiam peccati, si fieri possit, „ quis Communicaturus, non vero debere „ elici contritionem, si non præmittatur „ confessio. De illis vero aliis Authoribus, „ Suarez, Medina, & Graffio, cum non „ designentur loca, non possumus omnino „ certo affirmare ; credo tamen probabilissimum, eos nusquam illud docuisse.* Sic „ Lugo disp. 14. sect. 6. num. 121. Sed „ ego pro Diana non nihil laboravi, & „ inveni locum ubi, suo videri, prædictam sententiam ex Suarez, Medina „ & Graffio docet Reginaldus. Inveniet ergo illud Lug. in tom. 1. lib. 5. „ cap. 4. sect. 3. num. 55. vers. septima „ propositio pag. mihi 270. ubi etiam „ inveniet citatum Medinam in tract. 1. „ de Pœnitentia quæst. 3. vers. ex dictis, Suarium tom. 4. disp. 9. sect. 2. „ & Graffium in lib. 2. decis. aur. cap. „ 5. num 23. Verum tamen est, quod „ nullus horum Doctorum doceat sententiam, pro qua illos affert Diana, „ ut optime Lugo loc. cit. Respondeo „ ergo probabilius, non teneri in nostro casu ad eliciendam contritionē, „ quia jam supponitur homo in statu „ gratiæ per confessionem præmissam : „ ergo non erit necessaria contritio ad „ remissionem peccati obliti : (focus „ dicendum esset in casu, quo non esset „ præmissa confessio, quia tunc teneretur ante communionem conteri.) „ Sic Lugo, & Diana loc. cit. & apud „ illos Joan. Præpositus 3. part. 3. qu. „ 80. art. 5. dub. 3. & Vasquez quæst. „ 86. art. 2. dub. 2. num. 21. quibus „ adde Granados tract. de Eucharistia „ disp. 7. num. 14.

Pro III. denique Conclusionis parte, sic eam proponit idem Leander : „ „ An si quis morti proximus non possit „ confiteri, possit celebrare, aut communicare, prætermissa confessione? „ Et respondet per hæc verba : „ Respondeo ; posse, præhabita contritione, saltem existimata, quia tunc deest copia Confessoris, & urget præceptum divinum communicandi ; at „ quoties hæ duæ circumstantiæ, aut „ conditiones concurrunt, licite potest „ quis communicare, vel celebrare, „ sine prævia confessione, post mortale „ commissum, ut supra ex Concilio „ Tridentino est dictum ; ergo. Sic „ omnes Doctores præcipue Archang. „ dist. 9. pag. 86. col. 1. per hæc verba. „ Si adesset solus Sacerdos cæcus, & „ surdus, qui propterea non posset confessionem audire, aut esset mutus, ac „ per consequens absolutionem proferre non valeret, posset contrito morienti Eucharistiam absque confessione porrigere. Sic ille ex Soto dist. 12. „ quæst. 1. art. 4. ad 2. Ludovicus quæst. „ 7. art. 6. dub. 2. His adde Lessium in „ 3. part. quæst. 80. art 4. dub. 1. num. „ 8. Hieron. Garciam in sum. tract. 3. „ dist. 5. dub. 1. punct. 5. num. 35. Serram in 3. part. quæst. 80. art. 4. Dicastillum tract. 4. disp. 9. dub. 6. num. „ 83. & 91. & me citato Dianam part. „ 9. tract. 3. resp. 16. „

Alios casus, similes adductis, refert idem Leander, quos apud ipsum legendos remittimus ; dum nos ad alia properamus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXVI.

De jejunio, quod Communioni eucharisticæ est præmittendum. Qua lege jejunium naturale ad Communionem Eucharisticam præmitti debeat? An sint casus, in quibus liceat Eucharistiam non jejunis dispensare? An qui contrarium faciunt, gravi peccato teneantur?

COmmunioni Eucharisticæ præmittendum esse jejunium & antiquissima præcipit traditio, & Ecclesiæ consuetudo confirmat, & Rationes sive Congruentiæ hoc ipsum faciendi maxime quoque corroborant. Ut a Rationibus incipiamus, prima desumitur ab honore, & reverentia, quæ huic cœlesti cibo debetur; convenit nanque ut ipse excipiatur in ore, qui sit ab omni cibo, & potu corporeo immaculatus, quia corpus per cibum corruptibilem quodammodo sordidatur. Secunda Ratio desumitur ab observantia, quæ debetur præcepto illi Christi Domini, quo instruimur Matth. 6. *quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus*. Proinde antecedenter ad omnem aliam escam saginanda est anima corpore & sanguine Christi. Tertia Ratio est, ut longe teneatur, vel vomitus omne, vel ebrietatis periculum, aut certe dissolutionis, vel vanæ letitiæ, quæ ut plurimum ex ciborum usu promanat; unde ait Apostolus 1. ad Corinth. 11. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est*. Loquentes modo de Ecclesiæ consuetudine, & de ejusdem antiquissima traditione, hoc per sequentes Conclusiones expendemus.

Dicimus I. Apostolicam esse traditionem, quod Eucharistia non nisi a jejunis percipiatur.

I. probatur ex Augustino, qui Epistola 118. scribit: „ Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos „ accepisse jejunos: nunquid propterea „ calumniandum est universæ Ecclesiæ, „ quod a jejunis semper accipitur? Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cænati „ fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent. Namque „ Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, mysterium hoc voluit altius infigere „ cordibus & memoriæ discipulorum, „ a quibus ad passionem digressurus „ erat. At ideo non præcepit, quo „ deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus „ erat, servaret hunc locum. „ Quæ quidem verba scripsit Augustinus post quam in eadem Epistola 118. quæ est ad Januarium, hanc duplicem regulam præmisisset; primam scilicet, quod *illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberima*

authoritas, commendata, atque statuta retineri. Secunda vero est, quæ his verbis exprimitur: *Si quid tota per orbem frequentet Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Idem Augustinus hoc ipsum docet lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.*

II. probatur ex Concilio Carthaginensi, III. quod habitum fuit anno Christi 398. & can. 29. præscripsit: *Ut Sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum, promeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt jam pransi inveniantur.*

III. probatur ex aliis Conciliis; nempe Concilium Bracharense II. cap. 10. Concilium Toletanum VII. can. 2. Concilium Constantiense sess. 13. *Quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis Discipulis administraverit* (Eucharistiam) *sub utraque specie panis & vini, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Concilium Trullanum anno 692. can. 29. *Carthaginensis Synodi canon dicit, ut sancta altaris non nisi a sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur: tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles sanctis illis Patribus hac dispensatione usis. Cum nihil ergo nos inducat ut pccuratam observationem relinquamus, statuimus Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema Septimana, quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria afficere. Censemus igitur convenire, ut cum a Sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur; si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium; sit liberum Episcopo, vel Presbytero altari consecrationem exequi officii cœpti ..... Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur in præsumptionis crimen convertatur, nullus post cibi potusve quantumlibet minimum sumptum missas facere, nullus absque patenti proventu molestiæ, minister vel Sacerdos, eam ceperit; imperfecta officia præsumat omnino relinquere.*

Dicimus II. universalem fuisse consuetudinem Ecclesiarum, & etiamnum esse, quod Eucharistia jejunis dispensetur.

I. probatur Conclusio, enumerando provincias catholicas, in quibus jam ab initio Eucharistia jejunis dispensabatur. De Ecclesia Africana testatur Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 2. ubi ait: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes.* Testantur pariter Cyprianus epist. ad Cæcilium: *Nunquid ergo dominicum post cœnam celebrari debemus?* Augustinus cit. epist. 118. *a jejunis semper accipitur*: Et citatum Concilium Carthagin. III. can. 29. De Ecclesia Orientali, & Tracia testis est Chrysostomus serm. 9. ad Populum Antiochenum hom. 27. in epist. 1. ad Corinth. *Te priusquam communices, jejunas, ut quomodocumque communioni dignus appareas.* De Ecclesia Hispanica testimonium exhibet Concilium Bracharense can. 15. Et Toletanum VII. can. 2. De Ecclesia Gallicana pariter testimonium præstant Concilium Matisconense, & Agathense apud Gratianum cap. Presbyt. dist. 99. quod pariter confirmant Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 20. & Strab. cap. 16.

Objiciunt I. Christus Dominus Eucharistiam instituit non jejunus, & eam Apostolis non jejunis dispensavit: ergo ad communionem eucharisticā non est necessarium jejunum. II. Initio nascentis Ecclesiæ fideles Eucharistiam percipiebant inter Agapes, quæ erant mensæ communes, quas inter se fideles faciebant: ergo post alios cibos Eucharistia reficiebantur fideles. III. Apud Ægyptios, ut testantur Socrates lib. 9. hist., & Sozomenus lib. 7. hist. cap. 19. mos erat, quod fideles post prandium Eucharistiam acciperent. IV. Cyprianus refert in

cit.

Digitized by Google

cit. epist. ad Cæcilium, quod suo tempore erant ministri, qui in sacrificio matutino offerebant solam aquam, ne ex odore vini deprehenderentur ipsum bibisse; in Sacrificio vero serotino mixtum vinum consecrabant; ac proinde ipsi non jejuni sumebant, & non jejunis tradebant.

Respondemus ad I. Quod Christus aliqua fecit, quæ tractu temporis, secundum aliquas circumstantias Ecclesiæ, determinanda reliquit. Hinc Augustinus in cit. epist. 118. hanc objectionem sibi proponit desumptam ex exemplo Christi, & ad eam deinde respondet, sub his verbis: *Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos; Nunquid tamen propterea calumniandum universæ Ecclesiæ, quod e jejunis semper accipitur? . . . . . Et hoc enim placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intret, quam cæteri cibi. Nam per universum Orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati Fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere.* Post quæ rationem addit, quare Christus hoc fecerit; insuper & rationem, quare Christus hoc permiserit determinandum Apostolis; denique quod Apostolus ita determinaverit. Pro primo dicto, hæc sunt verba Augustini: *Namque Salvator quo vehementius commendaret Mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat.* Pro Secundo: *Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias disposituras erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.* Pro Tertio: *Cum vero ait Apostolus de hoc Sacramento loquens, propter quod Fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis; statim subtexit: Cætera cum venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universo per orbem servat Ecclesia; ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate veniatur.*

Ad II. Verum est, quod initio Christianæ Religionis fideles Eucharistiam, mentis suis miscebant, ut loquitur Augustinus; attamen semper Eucharistiam cæteris cibis præmittebant; ut ait Hieronymus, vel quis alius est author commentarii in I. ad Corinth. cap. 11. ubi ait: „ In Ecclesia convenientes oblationes suas separatim „ offerebant, & post communionem, „ quæcunque iis de sacrificiis seu oblationibus superfuissent, illi in Ecclesia „ communem cœnam comedentes pariter consumebant: Chrysostomus „ homil. 27. in eamdem epistolam,, „ Satis diebus mensas faciebant communes, & peracta Synaxi post sacramentum communionis omnes commune inibant convivium, divitibus „ quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiã „ vocatis, & omnibus communiter vescentibus; Idem sentit Oecumenius? „ Hæc convivia plena charitatis agapas „ appellabant. „

Ad III. Socrates, & Sozomenus, atque etiam Nicephorus lib. 10. hist. cap. 34. referunt, quod incolæ Ægypti, & Thebaides, quolibet Sabbato, ubi epulati essent, & variis cibariis sese saturassent, sub vesperam oblatione facta mysteriis communicabant; ut referunt ex laudatis historicis. Nunc autem ut abusum detestantur omnes, ac proinde Sozomenus laudatus lib. 7. cap. 19. scribit: *In multis urbibus ac vicis Ægypti, contra receptam omnium consuetudinem, die Sabbati sub vesperam convenientes, jam pransi, sacra mysteria percipiunt.* Insuper de hoc eodem abusu Jueninus hæc scribit; „ „ Sozomeni ætate mos, quem tertia „ Synodus Carthaginensis proscripsit, „ in aliquibus Ægypti partibus adhuc „ obtinebat; sed (ut idem author advertit) communi Ecclesiarum praxi „ contrarius erat. *Apud Ægyptios* (inquit hist. lib. 7. cap. 19.) *multis in Civitatibus, ac pagis, præter consuetudinem communiter apud omnes consecratam, sub vesperum Sabbato convenientes, ac jam Mysteriorum participes fiunt.* „

Ad IV. Dicitur, quod hic pariter abusus erat, quem Cyprianus acriter reprehen-

hendebat. Unde citatus Jueninus asserit: „ Nonnullæ tamen Ecclesiæ ab „ avita illa consuetudine de jejunio Eucharistiæ præmittendo, quondam receſſiſſe leguntur. Ipsius Cypriani tẽ„ pore ministros reperire erat, qui quod „ mane, ne ex odore vini deprehenderentur, aquam obtulissent, serotinis „ horis mixtum vinum consecrarent, „ ac proinde ipsi non jejuni sumerent, „ & non jejunis traderent. *An illa ali„ quis sibi contemplatione blanditur* (inquit Cyprianus, Aquarios exagitans „ in epist. ad Cæcilium) *quod etsi mane „ aqua sola offerri videtur, tamen cum „ ad cænandum venimus, mixtum calicem „ offerimus*? Illum vero morem rejicit „ ibidem Cyprianus: *Sed cum cænamus, „ ad convivium nostrum plebem convocare „ non possumus; quod nempe tunc ab infi„ delibus prohibeamur, ut Sacramenti „ veritatem fraternitate omni præsente „ celebremus.* Principium, quo S. Doctor „ nititur, mox illius verbis enarratum „ est. Ea disciplina etsi a Cypriano im„ probata, statim ex Africa non eva„ nuit; nondum enim ea in regione penitus extincta erat seculo quarto desinente; nonnullis Conciliis opus fuit „ ut ex omnibus Africanis Ecclesiis eli„ minaretur; *ut Sacramenta altaris* (in„ quit can. 29. III. Synodus Carthagi„ nensis habita anno Christi 397.) *Non „ nisi a jejunis hominibus celebrentur, ex„ cepto uno die anniversario, quo cæna „ Domini celebratur. Nam si aliquorum, „ promeridiano tempore, defunctorum, „ sive Episcoporum, seu Clericorum, sive „ cæterorum commendatio facienda est, „ solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, „ jam pransi inveniantur.* „ Additur Tertullianus, qui lib. de Corona Militis cap. 3. dicit, Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum „ manu, quam præsidentium, sumimus. Idem asserit Nazianzenus supra citatus.

Dicimus III. Plures esse casus, in quibus lex jejunii Communicantibus dispensatur.

I. probatur Conclusio casuum prædictorum enumeratione. I. casus est Viatici necessitas morte urgente. Et hoc quidem Ecclesiæ usu receptum „ est, & a Concilio Costantiense sess. 17. declaratum, & a Concilio Mediolanense III. tit. 9. permissum. II. casus est, si post factam consecrationem „ Sacerdos, inopina vi morbi correptus, sacrum absolvere nequeat: ad illud enim perficiendum, tunc alter in ejus locum substitui potest ac debet, quia consumatio sacrificii juris divini est, quod ecclesiasticis præceptionibus longe præponderat: id autem statuit jampridem Synodus Toletana VII. can. 2. III. Si Sacerdos inter communicandum advertat solam aquam fuisse missam in calicem, quem absorpserit: tunc enim oportet ut vinum infundi curet, & illud, postquam „ consecraverit, bibat: quod rubricæ præcipiunt. IV. Si quas hostiæ consecratæ particulas superstites, etiam post ablutionem calicis haustam, sacrificus observet. Quæ omnia referuntur a Witasse, & ante ipsum a „ Tournely. Jueninus autem latiori calamo eadem narrat: Et hæc quidem observantur secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam.

II. probatur enumerando casus, quibus olim in quibusdam locis hæc disciplina observata non est, attamen fuit semper ab Ecclesia tanquam abusus improbatus. Et casus sunt, quos in „ objectionibus retulimus, & in responsionibus ad ipsas rejecimus.

Cæterum conveniunt omnes, quod jejunium debeat esse naturale; & jejunium naturale in eo consistere, quod nihil omnino potus aut cibi, etiam ad instar medicinæ, sumatur. Addit Sanctus Thomas, nihil referre, utrũ aliquid hujusmodi nutriat, vel non „ nutriat; vel per se, vel cum aliis. Unde idem S. Thomas 3. part. quæst. 80. art. 8. docet: *Et ideo neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantalacunque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere: nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat; aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ; & eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest.*

Cla-

Digitized by Google

Clarius autem hoc jejunium naturale explicat Tournely dicens, ad observationem illius: „ Necesse esse, ut „ qui Eucharistiam conficere, vel percipere debet, a media nocte diei præcedentis usque ad illud tempus, quo „ conficit, vel percipit Sacramentum, „ nihil omnino sumpserit, sive per modum cibi, & potus, sive per modum „ medicinæ, aut rei cujuscunque, ex „ qua fieri potest nutritio: unde reliquiæ cibi, quæ casu aliquo in ore remanserunt, non tollunt jejunium „ naturale, si deglutiantur; neque enim „ per modum cibi, sed salivæ dumtaxat in stomachum trajiciuntur. Idem „ dicendum de guttulis aquæ aut vini, „ quibus os abluitur, si forte præter intentionem deglutiantur. Idem de „ tabaco in pulverem redacto, & de „ odoribus, qui non ore, sed naribus „ percipiuntur. „

Dicimus III. Graviter peccare illos, qui qui non jejuni communicant.

I. probatur verbis & rationibus Leandri a SS. Sacramento, qui disp. 5. quæst. 3. hæc scribit: „ *An Communicans post sumptam minimam quantitatem cibi peccet mortaliter?* Negarunt „ olim nonnulli, quos, suppressis nominibus, referunt Suarez disp. 68. sect. „ 4. & Hurtado disp. 9. difficul. 15. existimantes, solum esse peccatum veniale Eucharistiam sumere post sumptionem cibi, vel potus in parva „ quantitate, eo quod illa est levis materia. Dictis Authoribus adhæret novissime P. Pasqualigus in decis. 335. „ (ut refert Diana part. 6. tract. 8. resol. 8.) asserens, præfatam sententiam satis esse probabilem. Sed certissime omnino respondeo: peccare „ mortaliter, quia certissimum est, in „ jejunio eucharistico non dari parvitatem materiæ, excusantem a peccato „ mortali. Sic Suarez loc. cit. & Diana loc. cit. & part. 5. resol. 12. qui „ dicunt, & bene, oppositam sententiam „ esse improbabilem. Hurtado loc. cit. „ & communiter omnes Theologi, cum „ ipsorum Magistro D. Thom. 3. part. „ quæst. 80. artic. 8. Ochagau. loc. cit. „ Sic dicens: Imo peccatum esset mortale, post parum etiam cibum Eucharistiam sumere, quia licet materia „ cibi parva esset, & levis, attamen „ sumi Eucharistiam a non jejuno, res „ magna est. Sic ille & omnes. Lege „ Dicastillum loc. cit: quæst. 3. num. „ 271. & me citat. Dianam part. 10. „ tract. 16. resol. 48. Bossium, & Bernal apud ipsum. „

II. probatur Rationibus S. Thomæ 3. part. quæst. 80. art. 8. quæ continentur his verbis: *Impeditur aliquis a sumptione hujus Sacramenti post cibum & potum assumptum, tripliciter. Primo quidem* (ut Augustinus dicit) *in honorem hujus Sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo propter significationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus* (*qui est res hujus Sacramenti,*) *& charitas ejus, debet prius fundari in cordibus nostris. Tertio propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, sicut Apostolus dicit primæ ad Corinth. 2. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

III. probatur. Quodcumque sumitur per modum cibi, vel potus, tollit jejunium naturale; sed sumens Eucharistiam sine jejunio naturali graviter peccat: ergo sumens aliquid cibi, vel potus & percipiens Eucharistiam, graviter etiam peccat. Et hæc pariter est ratio S. Thomæ cit. loc. scribentis: *Et ideo neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere: nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus.*

Opponunt I. Reliquiæ cibi remanentes in ore post ipsum sumptum, etiam sumuntur per modum cibi, & tamen jejunium naturale non frangunt: ergo non quodcumque sumitur per modum cibi frangit jejunium naturale. II. Vinum vel condimentū, quod quis quis in os ingerit, & statim expuit, nec jejunium naturale frangit, & tamen mittitur in os. III. Canones antiqui præcipiebant etiam jejunium post Eucharistiæ sumptionem, & nihilominus non observantur: ergo nec pariter observari debent sanctiones Ecclesiæ, quæ jejunium ante communionem præcipiunt. Probatur antecedens ex dist. 2. de consecratione, in qua affertur Decretum Clem. Pap. I. ubi legitur: *Si mane, dominica portio edi-*

Digitized by Google

editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam sumpserunt, & si 3. vel 4. hora acceperint, jejunent usque ad vesperum. IV. Inter cænam, & Communionem, quæ etiam summo mane fit, nullus est necessarius somnus: ergo nullum etiam est necessarium jejunium.

Respondemus ad I. cum S. Thoma loc. cit. dicente: *Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ, & eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest.*

Ad II. Hæc reponit Jueninus, quæ pro aliis etiam valere possunt: „ Idem „ plane ferri debet judicium de vino, „ vel condimento, quod quis in os „ ingerit, & statim expuit; tunc enim „ non exercetur aut manducationis, „ aut potus actio, quod nempe exiguum, „ quod trajectum est, per modum salivæ censeatur acceptum. Sed idem „ de Saccharo dici non potest, quippe „ quod distillantis pituitæ vino non „ temperet, nisi deglutiatur, ac proinde per modum cibi sumitur. Idem „ nonnulli cum Merbesio sentiunt de „ tabaco, ori ingesto, si illius humor „ ex ore in stomachum trajiciatur, quod „ nempe (ajunt) tunc per modum medicinæ sumatur. „

Ad III. Verum est, quod Gratianus citat Decretum illud Clementis, sed revera Clementis non est; quia primis Ecclesiæ seculis fideles mox post Eucharistiã celebrabant Agapas, quæ erant convivia charitatis. Cæterũ etsi aliquod fuerit circa hoc Decretum, per non usum abrogatum est, & rationem assignat S. Thomas, dicens: *Antiquitus rarius Missarum solemnia celebrabantur, & cum majori præparatione: nunc autem quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari, & ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum.* Postquæ addit Jueninus: „ *Monitum „ tamen vult Lectorem idem S. Doctor, „ convenire, ut inter hujusce Sacramenti „ sumptionem, & cæteros cibos, aliqua „ mora intercedat, qua fidelis Ecclesiam „ imitetur, quæ Sacerdotis ore orationem, „ quæ gratiarum actio dicitur, recitat „ post communionem.* „

Ad IV. Conceditur antecedens, & negatur consequentia; quia nulla est paritas inter jejunium, & somnum. Et quanvis antecedens negetur a quibusdam Scriptoribus, qui volunt ex capite *si constiterit, de accusat*, inferri, quod inter cœnam & communionem debeat intercedere somnus ex Decreto Alexandri III. quod continetur in Textu: attamen citatus Jueninus dicit: „ Quod ii Scriptores longius absunt a Summi Pontificis mente; Siquidem Sacerdos, quem loco laudato „ suæ Ecclesiæ privatione mulctat, vino „ deditus erat; quippe qui noctem, quæ „ Missam præcesserat, duxerat in tabernis, ut ex ipsiusmet Alexandri „ verbis perspicue demonstratur: *Si „ constiterit quod D. Ecclesia non perpetuo concessa, sed ad tempus fuerit commenduta, & de vinolentia, & quod in „ taberna pernoctarit, ita quod altera die, „ nulla præmissa dormitione, Missam „ cantasset. Si de hoc rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Episcopum „ suum, sive accusatus, vel ad rationem „ positus sine coactione fuerit confessus: ei „ super eadem Ecclesia perpetuum silentium imponatis, ipsum ab impetitione „ desistere compellentes.* „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXVII.

De neceſſitate Euchariſtiæ. An ſit neceſſaria neceſsitate medii? An ſit neceßaria neceſsitate præcepti, divini, vel eccleſiaſtici?

Acramentum illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, cujus ſuſceptio eã habet cum ſalute conſequenda neceſſariam connexionem, ut illius omiſſio ſecum portet æternam damnationem. Et hoc pacto gratia ſanctificans in omnibus, & opera meritoria in multis, ſunt ad vitam æternam obtinendam neceſſaria. Illud vero dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod non habet neceſſariam connexionem cum ſalute ſtabilienda ex natura ſua, ſed tantum ex præcepto divino, vel eccleſiaſtico. Quod quæritur autem in prima parte Diſſertationis, hoc eſt; an realis ſuſceptio Euchariſtiæ, vel ſaltem votum illius explicitum, ſit omnibus ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medii? Et circa hoc Hæreticorum errores adducemus, & Theologorum etiam opiniones perluſtrabimus.

Primo, Armeni quidam Hæretici crediderunt, realem ſuſceptionem Euchariſtiæ eſſe omnibus hominibus mediũ neceſſarium ad ſalutem; & proinde ſimul cum Baptiſmo parvulis omnibus Hæretici iſti Euchariſtiam miniſtrabant. Ex Guidone Carmelita refert Thomas Waldenſis tom. 2. de Sacramentis cap. 91.

Secundo, inter Græcos recentiores aliqui ſunt, qui Euchariſtiam reipſa perceptam omnibus, ſive parvulis ſive adultis, exiſtimant eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Referunt Simeon Theſſalonicenſis in libro de Sacramentis; Nicolaus Cabaſilas in prima Oratione de vita in Chriſto; & alii, quas citat Arcudius lib. 3. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 40.

Tertio, ex Prateolo refert Fraſſen, quod Jacobitæ, & Neſtoriani primum errorem applexati ſunt.

Quarto, Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 19. narrat, Radulphum Ardentem, Hugoni Victorino contemporaneum, ſerm. de die Paſchæ, & Gualterium Aurelianenſem, qui fuit Radulpho antiquior, & nono Seculo floruit, cap. 7. ſui capitularis, docuiſſe, Euchariſtiam eſſe ad ſalutem neceſſariam neceſſitate medii.

Quinto, Calviniani quidam, inter quos Dallæus & Albertinus, voluerunt, veteres Patres in ea fuiſſe ſententia, ut putarent, quod realis perceptio Euchariſtiæ eſſet neceſſaria omnibus, ſive adultis ſive infantibus, & quidem neceſſitate medii: & hinc eveniſſe, quod per priora ſecula infantibus ſimul cum Baptiſmo Euchariſtiam adminiſtrabant. Sunt quidem pauci Theologi, qui volunt hanc fuiſſe Auguſtini, Innocentii, & aliorum mentem, ut eſt Sanctesius repet. 6. de veritate Euchariſtiæ cap. 7. excuſatur tamen hic Sanctesius a Pallavicino lib. 17. hiſt. Concil. Trident. cap. 12. Attamen Maldonatus in Comment. in caput. 6. S. Joannis aſſerit, opinionem neceſſitatis Euchariſtiæ per ſexcentos annos in Eccleſia viguiſſe.

Sexto, inter Theologos hæ tres circumferuntur opiniones; prima vult, quod Euchariſtia in voto ſaltem implicito ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; ſecunda dicit, quod Euchariſtia in voto ſit quidem neceſſaria, ſed non tanta neceſſitate, quantã eſt neceſſarius Baptiſmus; tertia vero defendit, quod Euchariſtia neque in re neque in voto ſit neceſſaria neceſſita-

Digitized by Google

te medii, sed tantum necessitate præcepti.

Dicimus I. Eucharistiam, sive parvulis, sive adultis, neque in re, neque in voto, necessariam esse necessitate medii ad salutem.

I. probatur ex Scripturis. Joannis III. *Nisi quis fuerit renatus ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ergo ex doctrina Christi solus Baptismus est necessarius necessitate medii ad salutem. Insuper ad Romanos 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; ad Galatas 3. *quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: Si ergo infantes baptizati Christum induerunt, & in ipso sunt, nihil in se damnationis habent, unde possint a regno Cœlorum excludi. Denique ad Ephesios 5. dicitur, quod Christus nos *mundavit lavacro aquæ in verbo vitæ*: & ad Titum 3. *quod salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: quæ omnia clare ostendunt, satis esse Baptismum ad salutem æternam obtinendam, absque eo quod sit necessaria Eucharistia.

II. probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. in epist. quam scripsit ad Patres Concilii Milevitani, approbans eorum acta contra Pelagianos, & quæ est num. 93. inter epistolas S. Augustini; in ea enim scribit: *Illud vero, quod vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine Baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint carnem Filii Hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis; qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cessare, cum prædicent hos habere, quod in eos creditur, nonnisi Baptismate esse conferendum*. Gelasius in Epistola ad Episcopos per Picænum: *Ipse D. Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem &c. Ubi utique nomine videmus exceptum: nec opus est aliquem dicere parvulum sine hoc Sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci; sine autem illa vitæ in perpetua futurum morte non dubium est.*

III. probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4. docet: *Parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt; neque ideo tamen damnanda est Antiquitas, si cum morem in quibusdam locis aliquando servaverint: enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.*

IV. probatur ex Patribus. Augustinus epistol. 98. alias 23. ad Bonifacium: *Sicut* (parvulis) *credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem homo sapere cæperit non illud Sacramentum repetet, sed intelliget, ejusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adversus contrarias potestates; & tantum valebit ut si ante rationis usum ex hac vita migraverit, per ipsum Sacramentum, commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, christiano adiutorio liberetur.* Et in epist. 166. alias 28. ad Hieronymum; sed disertissime lib. 1. de peccat. meritis & rem. cap. 19. *Verumtamen si parvulus percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunicabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines, & Deum, quæ solvuntur Christi gratia.* S. Fulgentius, rogatus a Ferrando Diacono, an Æthiops quidam, qui baptizatus, at non Eucharistia refectus decesserat, salvus factus fuerat? respondet: *Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini Sermone firmatam; nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Et hi quidem Patres sunt ex Ecclesia Latina: Ex Ecclesia autem

Græ-

Digitized by Google

Græca ſunt Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 18. Baſilius Magnus Exhortatione ad Baptiſma; Gregorius uterque Nazianzenus, & Nyſſenus hom. de Baptiſmo; Chryſoſtomus hom. ad baptizandos, atque alii, quos Arcudius lib. 3. de Euchariſtia cap. 42. recitat.

V. probatur Rationibus. I. Dogma fidei eſt, quod haberi poſſit ſalus æterna abſque reali Euchariſtiæ ſumptione: ergo pariter veritas eſt, quod realis Euchariſtiæ ſumptio non ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. Antecedens probatur pluribus fidei dogmatibus, quæ credimus; ſcilicet I. quod per Baptiſmum liberatur homo ab originali, & actuali culpa; II. quod per Baptiſmum conſequitur homo remiſſionem pœnarum, quæ debentur peccatis in altera vita. Unde ait Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 28. *Ita ut ſi poſt Baptiſmum continuo conſequatur ex hac vita migratio, nihil eſt, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebant.* III. quod Baptiſmi effectus primarius ſit infuſio gratiæ ſanctificantis, quæ ſufficit ad ſalutem æternam conſequendam. IV. quod illorum animæ, qui poſt Baptiſmum non peccarunt, mox in cœlo recipiuntur, & clare Deum intuentur; ut enim ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 4. *Si quidem per Baptiſmi lavacrum regenerati & Chriſto incorporati, acceptam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* II. Euchariſtia inſtituta eſt, ut ſit cibus ſpiritualis animæ; cibus autem non eſt neceſſarius ut homo vivere incipiat, immo potius vitam neceſſario præſupponit; ita pariter vita ſpiritualis debet neceſſario præcedere Euchariſtiam. III. docet S. Thomas, quod res ſeu effectus Sacramenti, qui eſt conjunctio cum Chriſto, & aggregatio corpori ejus myſtico, adeoque votum ipſum ſaltem implicitum Euchariſtiæ, ſit omnibus neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem: ergo pari neceſſitate non eſt neceſſaria ipſius realis perceptio. Verba S. Thomæ ſunt 3. part. quæſt. 73. art. 3. *In corpore. Dicendum, quod in hoc Sacramento duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, & rem Sacramenti: res hujus Sacramenti eſt, unitas corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus: nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam ... res autem alicujus Sacramenti percipiendi ..... ſtetit & ante Baptiſmum ex voto Baptiſmi: eſt autem differentia ..... quia per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam; & ideo ex hoc ipſo quod pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam: & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius; ſed ad Baptiſmum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum, & ideo ante ſuſceptionem Baptiſmi non habent pueri aliquo modo Baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti: unde rem Sacramenti Baptiſmi non poſſunt percipere ſine perceptione Sacramenti; & ideo hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut Baptiſmus.*

Objiciunt I. Joannis 6. Dicitur, *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus verbis hoc efformatur argumentum: Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo finis haberi non poteſt; ſed per allata verba ſine perceptione Euchariſtiæ vita æterna haberi non poteſt: ergo perceptio Euchariſtiæ eſt neceſſaria neceſſitate medii. II. eodem modo intelligi debent allata verba: *niſi manducaveritis &c.* quo intelliguntur alia Joannis 7. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Sed hæc ultima important neceſſitatem medii: ergo pariter prima. III. Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſ. cap. 20. docet: „ Dominum „ audiamus, non ſuſpicationes conjecturaſque mortalium: Dominum audiamus, inquam, dicentem de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo „ rite niſi baptizatus accedit: niſi manducaveritis carnem meam, & bibe„ ritis ſanguinem meum, non habebitis „ vitam in vobis: quid ultra quærimus? „ Quid ad hoc reſponderi poteſt? .... „ An vero quiſquam dicere audebit, „ quod ad parvulos hæc ſententia non „ pertineat? ..... Et ubi eſt quod eo„ dem loco de hac ipſa re ait: caro „ quam ego dedero, caro mea eſt pro „ ſeculi vita? ..... ac per hoc etiam „ pro parvulorum vita caro data eſt, „ quæ data eſt pro ſeculi vita: & ſi non „ manducaverint carnem filii hominis,

„ nec ipsi habebunt vitam . „ IV. Innocentius I. Romanus Pontifex in epist. ad Patres Synodi Milevitanæ, hæc habet: „ Illud vero quod eos (*Pelagianos*) vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est: nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis: qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum . „ Motivum quod habuit Innocentius ad hæc scribendum, his verbis exponit Witasse : „ *Cum Pelagiani negarent labem originis, & ad eludendum Christi dictum*, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, *quamdam a se excogitatam adhibuerunt distinctionem inter regnum cœlorum, quo fatebantur privandos parvulos, qui non baptizabantur, & vitam æternam, qua contendebant eos nihilominus esse fruituros; catholici ad Eucharistiam confugerunt, quæ cum omnibus generatim neeessaria, & quidem ad vitam æternam perhibeatur, omnes eorum argutias dissiciebat. Sic loquitur Innocentius I. ad Patres Concilii Milevit. quæ inter Augustinianas est* . 282. „ V. Gelasius Papa epistola ad Episcopos Provinciæ Picenæ iisdem fere verbis percutit eosdē Pelagianos, dicen: „ *Ipse Dominus Jesus Christus, cælesti voce pronunciat,* Qui non manducaverit carnem : *ubi utique neminem videmus exceptum: nec opus est aliquem dicere parvulum sine hoc Sacramentuo salutari ad æternam vitam posse perduci. Sine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium est. Ergo juxta illos Pontifices, & Augustinum manducatio corporis & sanguinis Christi ita parvulis necessaria est, ut sine ea privandi sint æterna etiam vita* . „ VI. Æque necessaria est spiritualis alimonia ad vitam spiritualem, ac corporalis ad corporalem; sed corporalis alimonia de via ordinaria est absolute necessaria ad conservandam vitam corporalem: ergo pariter spiritualis alimonia, quæ est Eucharistia, est absolute necessaria ad conservandam vitam spiritualem. Minor patet; quia sine cibo absque miraculo homo non potest diu vitam suam prorogare .

Respondemus ad I. Verba illa intelligi debere de omnibus adultis, non vero de infantibus; & pariter intelligi debere de perceptione non semper in re, sed aliquando in voto, & quidem in voto implicito, quod in infantibus sufficit . Has responsiones adhibet author Anonymus operis de re sacramentaria contra perduelles hæreticos tom. 1. lib. 4. quæst. 8. cap. 1. §. 2. sub his verbis : „ Concessa maj. nego „ min. hæc enim verba si de actuali „ perceptione sumantur, præceptum „ quidem significant omnibus adultis „ impositum, non vero, quod ad omnes „ omnino pertingat, medii necessitate: cum dogma fidei sit, parvulos, „ ipsosque adultos in casu necessitatis „ sine Eucharistia morientes, nisi obice peccati corruptio ponat, vitam „ æternam infallibiliter consequi. Distinguo eamdem min. vita æterna „ haberi non potest, sine perceptione „ Eucharistiæ *actuali*, nego: sine perceptione *in voto* subdistinguo: in voto „ *implicito*, concedo: *explicito*, iterum „ subdistinguo: *quando agitur de adultis*, „ concedo: *si de infantibus*, nego min. „ & conseq. „

Ad II. Idem Author Anonymus hæc reponit: „ Nego subs. ad probat. nego „ maj. & paritatem . I. Etenim ex ipso „ contextu manifestum est, hæc verba: „ *nisi manducaveritis &c.* dirigi ad solos „ adultos: alia e contra: *nisi quis renatus &c.* latius ad omnes omnino homines, ipsosque etiam infantes voti „ incapaces extendi . 2. Summum Baptismi ab Eucharistia discrimen in eo „ est, quod Baptismus novæ vitæ sit „ Sacramentum, primam gratiam afferens, quam qui non habet, cum „ nova creatura non sit, consequens „ est non posse salvari : quo fit, ut una „ omnibus tam adultis quam parvulis, „ lex Baptismi posita sit : Eucharistia „ vero vitam non tribuit, sed per modum spiritualis alimenti conservat : „ unde actualis ejus susceptio, vel in re, „ vel in voto explicito, iis tantum est „ absolute necessaria, qui mori spiritualiter, peccatum committendo, „ possunt; atqui infantes cum usum „ judicii, & libertatis non habeant, in „ hac rei bonæ privatione, maximum

hoc

Digitized by Google

„ hoc bonum habent, quod re bona male
„ uti non valeant; ergo nec mors illis
„ ſpiritualis timenda: adeoque ſufficit
„ illis, ut loquitur S. Thomas, *quod*
„ *per Eccleſiam, ipſo baptizandi actu ad*
„ *Euchariſtiam ordinentur*. 3. In hujuſ-
„ modi controverſiis dirimendis, ju-
„ dex audiri Eccleſia debet, cui Chri-
„ ſtus Scripturarum interpretationem
„ commiſit; atqui Eccleſia edocta di-
„ vinitus, ita ſemper intellexit verba
„ Chriſti: *niſi quis renatus fuerit &c.*
„ ut pro certo tenuerit, neminem, ne
„ unius quidem diei infantem, ſine
„ baptiſmo actu ſuſcepto, poſſe abſo-
„ lute ſalvari, longe vero aliter de cæ-
„ teris judicavit: *niſi manducaveritis*
„ *&c.* alioquin enim quomodo inſpi-
„ rante Deo, cuilibet etiam Laico,
„ etiam Gentili, baptiſmi adminiſtra-
„ tionem urgente neceſſitate permiſit,
„ ſic Euchariſtiæ conſecrationem, &
„ adminiſtrationem omnibus ſine diffe-
„ rentia, inſtante periculo indulſiſſet,
„ factum nullibi legimus. Ergo &c. „

Ad III. Auguſtinus cenſet parem eſſe neceſſitatem Euchariſtiæ, ac baptiſmi quantum ad utriuſque effectum; ſcilicet quantum ad incorporationem cum Chriſto, Eccleſiæ capite: non vero quantum ad utriuſque realem ſuſceptionem, maxime ex parte parvulorum. Sic reſpondet Fraſſen, qui dicit Auguſtinum eſſe ſui ipſius interpretem lib. 3. de peccatorum meritis cap. 4. in quo hæc habet: *Quid autem apertius tot tantiſque teſtimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidiſſime apparet, nec propter Chriſti ſocietatem ad vitam ſalutemque æternam, poſſe aliquem injuſte damnari, hoc eſt ab illa vita, ac ſalute ſeparari? Unde fit conſequens, ut quoniam nihil tale agitur aliud, cum parvuli baptizantur, niſi ut incorporentur Eccleſiæ, ideſt, Chriſti corpori membriſque ſocientur, manifeſtum ſit eos ad damnationem, niſi hoc iis collatum fuerit, pertinere*. Et poſtea: *Nunquid etiam illud, niſi manducaverint homines carnem ejus, hoc eſt, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam poſſe habere, niſi Chriſti corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptiſmatis induuntur*? Ad quæ ſuperaddit Fraſſen: „ Ex quibus apparet „ S. Auguſtinum eodem modo velle „ Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad ſa- „ lutem, quomodo corpus Chriſti man- „ ducari poteſt in Baptiſmo: dicimur „ autem manducare corpus Chriſti in „ Baptiſmo, quatenus ipſius corpori, „ nempe Eccleſiæ incorporamur; ac „ ſubinde S. Auguſtinus loquendo de „ neceſſitate manducandæ Euchariſtiæ, „ non loquitur de ipſius ſuſceptione „ actuali, ſed de effectu, ſeu de re Sa- „ cramenti, quam ſocietatem eſſe ait „ corporis, & membrorum Eccleſiæ, „ cui parvuli per Baptiſmum adſcribun- „ tur. „ Hæc alia verba Auguſtini tract. 26. in Joannem recitat Fraſſen; ubi Auguſtinus explicans verba: *Qui manducat meam carnem &c.* hæc ſcribit: *Qui hanc ſumit habet vitam, & hanc vitam æternam. Nec itaque cibum, & potum ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, ſicut rei Sacramentum, ideſt, virtutem corporis & ſanguinis Chriſti. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica menſa præparatur, & de menſa dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitum: res vero ipſa, cujus Sacramentum eſt omni homini ad vitam, nulli ad exitum, quicunque ejus particeps fuerit*.

Ad IV. & V. hæc reponit Jueninus. „ „ Innocentium, Gelaſium, Auguſtinum „ Chriſti verba, *niſi manducaveritis &c.* „ interpretatos fuiſſe de Euchariſtia, „ non actu quidem recepta, ſed in voto „ implicito, quod in iis omnibus repe- „ ritur, qui per baptiſmum myſtico „ Chriſti corpori conjunguntur: Hæc „ igitur fuit Innocentii, Gelaſii, Au- „ guſtini contra Pelagianos argumen- „ tatio: Nemo vitam æternam, quam „ vos a regno cœlorum diſtinguitis, „ conſequitur, niſi Chriſti carnem man- „ ducaverit: atqui parvuli, quos bap- „ tiſma non abluit, Chriſti carnem nec „ in actu, nec in voto manducarunt; „ proinde excludi eos oporret non tan- „ tum a regno cœlorum, ut fatemini, „ ſed etiam a vita æterna; cum Chri- „ ſtus expreſſe aſſeruerit neminem vi- „ tam æternam conſequi, qui ejus car- „ nem ſe manducaturum non vove- „ rit. „

Ad VI. dicitur, quod hæc eſt differentia inter cibum ſpiritualem, & cibum corporalem, quæ eſt inter vitam corpora-

Digitized by Google

poralem, & vitam spiritualem. Vita corporalis propagari non potest nisi per continuam conversionem alimẽti in substantiam aliti, per quam conversionem restaurantur partes illæ, quæ per calorem naturalem absumuntur, & pereunt; & ad quam restaurationem nulla alia sunt media, & remedia naturalia præter nutritionem. Vita autem spirirualis conservari potest, & vegetari per alia media quam per susceptionem Eucharistiæ, nimirum per gratias actuales, ut evenit in Patriarchis ante novam legem, & ante Eucharistiæ institutionem, qui sine ipsa sanctissime vixerunt.

Dicimus II. Eucharistiam esse necessariam necessitate præcepti, tum divini, cum ecclesiastici.

I. Conclusionis pars I. probatur ex Scripturis. Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis continentur præcepta, & conficiendi, & offerendi, & dispensandi, & recipiendi Eucharistiam. Insuper Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Nec officit, quod aliqui Patres antiqui hæc ultima verba intellexerint de fide incarnationis, quibus adhæsit Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis; quia fere Patrum omnium consensus fuit, ut eadem verba de Eucharistia intelligerentur; quorum sensum sequutum est Concilium Tridentinum, per eadem verba explicans multos Eucharistiæ effectus.

II. probatur; quia si ex verbis Christi necessaria est nobis Eucharistiæ perceptio; & non est necessaria necessitate medii, ut probatum est: ergo saltem est necessaria necessitate præcepti.

III. probatur. Nemo potest consequi salutem, nisi in voto, saltem implicito, manducet Christi carnem; at juris divini est exequi votum, quantũ per tempus, & per alias circumstantias licet: ergo quilibet fidelis, quando baptizatur, Eucharistiæ receptionem vovet, & ad eam recipiendam suo tempore jure divino obligatur. Ratio hæc est S. Thomæ 3. part. q. 8. art. 11. dicentis: *Respondeo dicendum quod (sicut supra dictum est) duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis, & sacramentalis: manifestum est autem quod omnes tenentur, saltem spiritualiter, manducare, quia hoc est Christo incorporari (ut supradictum est:) spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum, ut supra dictum est, & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest hominis esse salus: frustra autem esset votum, nisi impleretur quando opportunitas adesset; & ideo manifestum est quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ 12. Hoc facite in meam commemorationem.*

II. Conclusionis pars I. probatur. Fabianus Papa dicitur quod ediderit Decretalem, quam Gratianus corpori juris inseruit, & in ea præcipitur, quod quisque fidelis ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, & die Natali Domini, Eucharistiam percipiat. Scimus Epistolam hanc nostrorum temporum Criticos habere ut Fabiano suppositam & ejus nomine 8. Seculo ventilatam; at nihilominus dubitari non potest, quod saltem ab eo tempore, scilicet ab 8. Seculo vigorem habuerit: & hoc eo magis quia in corpore juris invenitur & legitur dist. 1. de consecrat. ubi hæc habentur: *Et si non frequentius, saltem in anno ter, laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur; in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.*

II. probatur ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. & legitur in can. *Omnis utriusque sexus*, quo præcipitur fidelibus, ut in Paschate Eucharistiam recipiant. Hunc Canonem Concilium Tridentinum confirmavit sess. 13. can. 9. sub. his verbis: *Si quis dixerit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, non teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Opponunt I. Nullibi legitur, quo tempore Christus percipiendam præceperit Sacram Eucharistiam: ergo non est necessaria Eucharistia necessitate præcepti. II. Potest quis anteverterе tempus, quo sacram Eucharistiam percipiat, si præviderit statuto tempore se habiturum impedimentum,

per

Digitized by Google

per quod ipſam percipere non valeat: ergo neque datur hæc neceſſitas. III. Non præcipitur locus, in quo Euchariſtia recipi debeat; atqui ubi eſt neceſſitas aliquid faciendi, debet exprimi locus, in quo illud faciendum eſt: ergo ſi non exprimitur locus, nulla eſt faciendi neceſſitas. IV. Si eſſet hæc neceſſitas, vel adimpleretur præceptum per communionem ſacrilegam, vel non? Si primum: ergo eſſet præceptum vanum & inutile: ſi ſecundum: ergo deberet dari aliud præceptum, per quod hoc exprimeretur.

Reſpondemus ad I. cum Juenino dicente: „ Unanimem eſſe Patrum, ac „ Theologorum ſententiam, a Chriſto „ pro Euchariſtia actu recipienda im„ plicite determinatum fuiſſe imminens vitæ periculum. Id vero colligitur ex eo, quod viri pii conſtituti „ in extrema vitæ periodo, in Euchariſtia ſpem collocaverint ſuam, anxie & ſolicite eam habuerint in deſideriis, ut patet ex Serapione ſenes, „ de quo cum egimus de hocce Sacramento morituris diſpenſando, plura „ poſt Euſebium diximus. Colligitur „ iterum ex diligentia, quam veteres „ adhibuerunt, ne quiſquã abſolutione, „ donatus abſque Euchariſtia dimitteretur ex hac vita; ut patet ex Cypriano, qui ſedulo curandum aſſeruit ut „ martyrium paſſuris, imo & lapſis, „ quos, dum ſani eſſent, pœnituiſſet, „ diſpenſaretur. Adultos divino jure „ ſæpius in vita teneri ad Euchariſtiæ „ participationem. Nec enim veroſimile eſt, ſemel tantum in vita urgere „ præceptum recipiendi Sacramentum, quod non modo pro morituris, „ ſed etiam pro ſanis inſtitutum eſt; „ quippe qui indigeant alimento, quo „ ſuſtententur, & vitiis quibus re„ bellem concupiſcentiam refrænent: „ Quænam autem ſint illa tempora, „ Chriſtus ſapienti Eccleſiæ judicio determinandum permiſit. „

Ad II. dicitur, quod is, qui prævidet, ſe propter legitimum impedimentum non communicaturum paſchali tempore, tenetur ipſum antevertere: inſuper ille qui non potuit communicare, nec antea, nec poſtea, tenetur poſtmodum lege eccleſiaſtica ad paſchalem communionem. Ratio eſt quia lex eccleſiaſtica duo præcipit, & paſchalem communionem, & tempus, quo illa eſt facienda; qui autem impeditur adimplere unam, debet alteram ſaltem adimplere.

Ad III. Præcipitur locus, quando præcipitur in can. *Omnis utriuſque ſexus*. Ut paſchalis communio a proprio Sacerdote recipiatur. Et de hoc ſatis ſuo loco loquuti fuimus.

Ad IV. dicitur, eſſe propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. Illam, qua aſſeritur: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Dominicam manducationem*.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXVIII.

De neceſsitate Euchariſtiæ. An expediat frequens Euchariſtiæ communio? An ita fuerit apud antiquos fideles? An præſenti tempore ita poſsit eſſe, vel debeat?

QUoniam animæ fidelium non ejuſdē ſunt meriti apud Deū; nec parem neceſſitatem habent adhibendi remedia, quæ ad earum ſalutem præſcripſit Deus; nec denique eaſdem habent diſpoſitiones, quibus ornatæ eſſe debent, ut cum fructu euchariſticam percipiant communionem: inde eſt, quod non eſt facile definire, an pro omnibus expediens ſit frequens Euchariſtiæ perceptio. Traduntur nihilominus Regulæ quædam, ex quarum obſervantia facile quis cognoſcere poterit, pro quibus ſit expediens, & pro quibus non. Regulas haſce nobis animus eſt hic recitare, ut ex earundem obſervatione diſcant Legentes quid ad I. Diſſertationis partem reſpondere habeant.

Excribimus autem Regulas, quas diximus, ex verbis iisdem, quæ Jueninus ſcripſit pro hac eadem re, de qua nos loquimur. Et quidem prima Regula eſt, quod qui in ſua flagitia ſæpius relabuntur, frequenti communionis uſu donari non debent. Hanc Regulam ſeguenti ratione probat: Qui peccant mortaliter ex conſuetudine, & veram cordis ſui converſionem per pœnitentiam non probant, arcendi ſunt ab Euchariſtica menſa, & ad eam admitti non debent, niſi mortis periculū immineat: ergo a ſortiori nec frequenti ejus uſu, licet confeſſi, & ut ſibi videntur contriti, donari debent. Et hinc eſt quod Pœnitentes a Confeſſario interrogari poſſunt de conſuetudine peccandi, & ad eandem interrogationem reſpondere tenentur; & contrarium ab Innocentio XI. damnatum fuit.

Secunda Regula eſt, quod illi, qui licet in externa flagitia non prolabantur, gentiliter tamen vivunt, arcendi ſunt a frequenti communione. Citatus Jueninus his verbis hanc regulam probat. „ Ii homines licet honeſtatem philoſophicam & moralem præ „ ſe ferant, ad præſcriptum tamen „ Evangelii, mores ſuos non compo- „ nunt; unde voluptati ſervientes ode- „ runt pœnitentiam, *humiltatem* ha- „ bentes deſpectui, mundanum hono- „ rem ambiunt; tantum abeſt ut ſpiritu „ pauperes ſint, quin toti ſunt in coa- „ cervandis divitiis: Hujuſmodi homi- „ nes exterius quidem obeunt Chriſtia- „ næ religionis officia, ſed ab ejus ſpi- „ ritu prorſus alieni ſunt: unde in con- „ viviis, ludis, ſpectaculis, aliiſque ejus „ generis oblectamentis eos reperire „ eſt. Nonnulli mollio res Caſuiſtæ iis „ Chiſtianis, ſi tamen eo nomine cen- „ ſeri debeant, qui ſic ſe gerunt, fre- „ frequentem communionem conceſ- „ ſere, contendentes, frequentem „ Euchariſtiæ uſum in iis eſſe prædeſti- „ nationis ſignum; ſed debita cenſura „ in eos animadvertit Innocentius Pa- „ pa XI. a quo merito hæc propoſitio „ tanquam quæ ſcandaloſa ſit, & ver- „ gat in detrimentum animarum, pro- „ ſcripta fuit: *Frequens Confeſſio, & „ Communio, etiam in iis, qui gentiliter „ vi-*

Digitized by Google

„ *vivunt, & nota prædeſtinationis* . „

Tertia Regula eſt, quod ad frequentem communionem non ſufficiat, ut aliquis illius deſiderium habeat. Et hoc probat I. Quia hoc deſiderium aliquãdo etiam invenitur in peccatoribus conſuetudinariis, & nihil de ſua converſione ſollicitis; & nihilominus hos perditos homines ad frequentem communionem nemo admittet. II. Quia Diabolus ſua mancipia inſtigat, ut ad imitationem juſtorum ſæpius euchariſtico pane reficiantur, & ut ſic videntibus oſtentent pietatem, quam non habent. III. Quia Patres docent, deſiderium frequentis communionis non ſemper eſſe ſignum pietatis, ſed aliquando vanitatis, & hypocriſis; præcipue in mulieribus, quæ ſe devotas vulgo venditare pertentant.

Quarta Regula eſt, quod in præfiniendis communionis temporibus non ſatis ſit, ut cujuſque hominis ſtatus, & vitæ generis habeatur ratio. Hanc regulam hoc pacto explicat, exponit, & firmat citatus Jueninus. „ Licet „ nonnulli ſint vitæ ſtatus, in quibus „ plura quam in aliis ad pietatem media ſuppetunt; in iis tamen vitæ generibus nonnulli ſunt homines, quibus ineſt major cupiditas, quam iis, „ qui negotiis ſecularibus implicatam „ vitam ducunt; ac proinde minus ſunt „ idonei, quibus communio frequens „ indulgeatur; cum illius conceſſio ex „ interna præſertim mentis, & cordis „ diſpoſitione definiri debeat. Nixi illi „ principio, Apoſtoli, & proximi illorum ſucceſſores, naſcentis Eccleſiæ „ Chriſtianos, quamvis rerum domeſticarum curæ, familiæ adminiſtratione, labori manuum, negotiiſque „ ſecularibus implicatos, admiſerunt „ ad quotidianam Communionem; „ quam tamen pleriſque etiam in „ monaſterio agentibus, hoc corrupto ſeculo, periculoſum eſſet indulgere. „

Quinta Regula eſt, quod octavo die concedi debeat Communio Euchariſtica illis, qui liberi fuerunt a mortalibus peccatis, & ab affectu ad venialia. Hanc regulam firmat cit. Author verbis S. Franciſci Saleſii in ſua Philotea part. 1. cap. 22. ubi hæc ſcribit: „ „ Longe differunt peccatum veniale, „ & affectus peccati venialis. Venialia „ enim & levia peccata omnino vitare „ nunquam poſſumus, ab ipſorum vero „ affectu cavere omnino poſſumus... „ „ Poſt quæ docet: affectum illum ex „ animo penitus evelli debere, quod „ nempe veræ pietati contrarius ſit, „ animamque graviſſime ſauciet, quamvis lethaliter non conficiat. „ Addit „ etiam. „ Muſcæ morientes (inquit Sapiens) perdunt ſuavitatem unguenti, „ hoc eſt, muſcæ ſi in unguento minus „ hæreant, illudque obiter delibent, „ nihil fere ex illo, niſi quod abſtulerint, „ inficiunt. Si vero in unguento ipſo „ immoriantur, præſtantiam ejus & „ dignitatem extinguunt, atque id in „ contemptum adducunt. Ita leviores „ culpæ cum in animam piam inciderint, ſi in illa diutius non hæreant, „ haud magnopere lædunt; Quod ſi in „ ea ſtudio quodam & affectu permanſerint, unguenti, hoc eſt ſacræ devotionis ſuavitatem, proculdubio „ extinguent. „ Inſuper, nec etiam concedit Communionem pro octava die illis, qui ad venialia affectum habent; & pariter ſe explicat quid ſentiat de quotidiana Communione in 1. parte Philoteæ cap. 20. ubi ait. „ „ Quotidie Euchariſtiæ Communionem „ percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi eſt; utor ipſis B. Auguſtini verbis, quem ſequens, quotidianam communionem, nec laudo, nec vitupero „ &c. At cernis, Philotea, B. Auguſtinum vehementer ſuadere atque hortari, ut die quoque dominico Euchariſtia percipiatur; hoc ergo quo- „ ad poteris facito; cum enim te ab „ omni tum mortalis, tum venialis „ peccati affectu alienam exiſtimem, „ eam plane, quam requirit Auguſtinus, „ animi affectionem, & præparationem „ es adepta. „ Denique verbis aliis omiſſis ejuſdem S. Præſulis, quæ idem citatus Author refert, adduco authoritatem Innocentii XI. Romani Pontificis, qui die 12. Februarii 1679. circa frequentem Communionem præcepit, ut non ſufficiat ſtatus gratiæ ſanctificantis, ſed præterea requiratur. „ 1. Ut ad conſcientiæ puritatem, frequentiæ fructum, pietatis augumentum attendant. 2. Ut „ in Conjugatis hoc amplius animadvertant; Cum Beatus Apoſtolus no-

Digitized by Google

„ lit eos invicem fraudari, nisi forte „ ex consensu ad tempus, ut vacent „ orationi, eos serio admonendos esse, „ tanto magis ob debitam Eucharistiæ „ reverentiam, continentiæ vacandum, „ puriorique mente ad cœlestium epu- „ larum communionem esse conve- „ niendum. 3. Qui se minus paratos „ senserint, abscedant a Communione, „ quo per pietatis opera ipsi deinceps „ se paratos magis exhibeant. „

Pro altera vero Dissertationis parte, quæ scilicet complectitur frequentiam, qua antiquis temporibus sacra Communio percipiebatur, enumeramus per secula illius usum, prout Scriptores, qui his temporibus floruerunt, ipsum narrant. Et quidem I. Seculo S. Lucas in actibus Apostolorum cap. 1. narrat, quod Christiani suo tempore *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & Communione fractionis panis, & orationibus*: quæ verba a Patribus de eucharistica Communione intelliguntur. „ II. Seculo testatur Justinus Martyr in Apolog. 2. hæc, quæ sequuntur: *Solis, qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum, conventus fit .., ... Precibus peractis, panis offertur, & vinum & aqua: & Præpositus identidem quantum pro virili sua potest, preces, & gratiarum actiones fundit; & populus fauste acclamat, dicens, Amen. Et distributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti, absentibus per Diaconos mittitur.* Pro III. Seculo testis est Cyprianus, qui in expositione orationis dominicæ communionis quotidianæ mentionem facit, per hæc verba: *Nunc panem dari nobis quotidie postulamus, ut qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absentes, & non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.* Pro IV. Seculo Hieronymus epist. 50. testatur, communionem quotidianam Romæ viguisse: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant. quod nec reprehendo, nec probo.* Et Ambrosius lib. 45. de Sacramentis cap. 4. Si hujusce operis ipse legitimus est author: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: Sic vive, ut quotidie mereatis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Pro eodem Seculo & & pro Ecclesia Orientali habemus testimonium S. Basilii in epist. ad Cæsariam Patriciam dicentis: *Communicare singulis diebus, & sanctum Christi corpus percipere, præclarum est, & utile, cum ipse dicat; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis igitur ambigat vitam assidue participare, nihil aliud esse quam multifariam vivere? Nos autem quatuor in singulas hebdomadas Divina Sacramenta participamus, dominica die, quarta feria, in Parasceve, & in Sabbato, & aliis diebus, si quando dominica memoria, vel Sancti alicujus fuerit.* Attamen Seculo, quo vivebat Chrysostomus, frequens Communio Eucharistica in desuetudinem abierat, & solummodo fideles illa reficiebantur Epiphaniæ, Paschatis, & Natalis Domini temporibus. Unde Sanctus Doctor hom. 16. ad populum antiochenum! *O consuetudinem! O præsumptionem; sacrificium frustra quotidianum! Incassum assistimus altari; nullus qui communicetur. Hæc non ut temere communicemini, dico, sed ut vos dignos reddatis: Non es hostia dignus, vel communione? Igitur nec ratione.* Denique octavo seculo eo perventum est desidiæ, & negligentiæ, in percipiendis sacris Mysteriis, ut legem Ecclesia fecerit, qua fideles singuli ad sacram Communionem ter in Anno sumendam, obligarentur: Et postremo in Concilio Lateranensi IV. se contentam dixit Ecclesia, si semel in Anno sacram Eucharistiam fideles participarent.

Pro his omnibus, quæ diximus ex Chrysostomo, habemus usque ad octavum Seculum nullam fuisse legem ecclesiasticam, sed frequentem, vel rariorē Eucharistiæ Communionem fidelium devotioni fuisse commendatam; ut clare explicat Chrysostomus hom. 17. in epist. ad Hæbreos sub his verbis: „ Sacrificii mentio incidit, vobis, qui „ initiati estis, pauca dicere cupio; „ pauca quidem, si verba numerentur, „ sed præclara, ac maxima, si utilitas,

„ ac

Digitized by Google

„ ac pondus attendatur: neque enim „ dicta noſtra, ſed Spiritus Sancti dicta ſunt. Quid illud eſt? Multi „ ſemel in anno ſacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii ſæpius: ad hos „ ergo omnes mea convertitur oratio: „ Nec ſolum ad eos, qui hic adſtant, „ ſed ad eos etiam, qui in Eremo degunt; quippe qui ſemel tantum in „ anno, plerumque etiam poſt duos „ annos, ſacra communione impartiuntur. Quos igitur potiſſimum laudabimus? An qui ſemel? An qui frequentius? An qui rarius Communionem adeunt? Neque hos; neque „ illos; ſed eos demum, qui cum puræ „ mentis conſcientia, qui mundo corde, ac vita integra, atque inculpata „ Chriſti corpore reficiuntur. Tales „ ſemper accedant. Cœteri, nec ſemel „ accedant. Quid ita, quia judicium „ ſibi ſumunt, & condemnati, & pœnam, & ſupplicium. Quod ſane mirum videri non debet. Nam quemadmodum alimentum, quod natura „ ſua nutriendi vim obtinet, ſi in venticulum nauſeantem, atque impurum, ingeſtum fuerit, ipſum gravat, „ damnis auget, atque adeo invecta „ multiplici corruptela morbos creat; „ idem quoque iis accidit, qui maleaffecto animo tremenda illa, perinde „ ac veneranda, ſacramenta manducant.

Tandem ad preſentis temporis diſciplinam devenientes, frequentem Communionem euchariſticam credimus quidem, quod Eccleſia totis votis exoptet, conſiderans ex una parte beneficium, quod ex hac frequentia univerſitati fidelium omnino proveniat, ſi impedimentum nullum opponatur; & ex altera parte reſpiciens profectum, quem ſinguli fideles ex eadem percipere poſſent, ſi ad eam diſpoſiti, ut par eſt, accedant. Quapropter, hoc præmiſſo monito, dicimus, & quod Eccleſia frequentem Communionem intendat, ſi de illius fructu ſecuritatem habeat; & frequentiam illam ex parte Sacramenti ſemper velit, & fidelibus ſuadeat, quanvis aliquando ex parte ſumentium de eodem fructu non ſolum dubitet, ſed de damno quoque formidet.

Cohærenter ad hæc adducimus Concilia, adducimus Patres, adducimus Eccleſiæ praxim; quibus conſtat, & frequentiam illam, quam diximus, ab Eccleſia deſiderari; & fructum, quem ex eadem frequentia Eccleſia ſperat, ſed aliquando dubitat, ſe non conſequuturam. Præ omnibus laudamus Concilium Tridentinum, quod ſeſſ. 13. cap. 8. ſe optare aſſerit, ut frequenter, immo & quotidie fideles poſſint Euchariſtiam ſumere, per hæc verba: *Paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes, & ſinguli, qui Chriſtiani nomine cenſentur, hæc ſacra myſteria corporis, & ſanguinis ejus ea fidei conſtantia, ea animi devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum ſuperſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.* Et ſeſſ. 22. cap. 6. *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quoad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret.* Ante Concilium Tridentinum fuerat Synodus Baſileenſis anno 1437. quæ de frequenti Communione hæc habuit: *Quod autem ſæpe accedere ad Euchariſtiam percipiendam digne & devote & cum diſcuſſione debita ſit utile, & valde proficuum, immo ſumme neceſſarium cupienti, & deſideranti in via Domini non regredi, ſed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent, & obſecrant inceſſanter fidelem populum.* Poſt Concilium vero Tridentinum omiſſis aliis Conciliis, contenti ſumus adducere Concilium Rhemenſe, habitum anno 1583. quod in titulo de Euchariſtia hæc habet: *Cum nihil habeat Chriſtiana religio Sacramento Euchariſtiæ præſtantius, & auguſtius, nihilque ad ſancte, & inculpate vivendum efficacius, ejuſdem frequentiſſima participatione, dolemus tantam eſſe Chriſtianorum hujus temporis incuriam, ut ſemel tantum in anno ſumant tam ſalutaris Sacramenti ſubſidia. Quare Parochi, & qui ad divini Verbi prædicationem aſſumuntur, deinceps de frequentis Communionis antiquo uſu, ejuſdemque miris fructibus, & utilitate diſſerant, & fidelibus perſuadere nitantur, nullum eſſe modum aptiorem, & compendioſiorem, quo ſopitis, & extinctis hæreſibus, Eccleſiæ*

Digitized by Google

Apostolicæ faciei nostro seculo redeat. Nos quoque Fideles omnes hortamur, & per viscera Misericordiæ Dei nostri obsecramus, ut quam sæpissime, saltem vero diebus solemnibus, communicent, & quotiescumque postulaverit ingruens aliqua necessitas, quæ vitam humanam in discrimen, & periculum adducat.

Veniamus modo ad Patres, qui de frequenti Communione loquuti sunt; & hos omnes comprehendimus in duobus extremis Ecclesiæ Doctoribus, Thoma nimirum, & Bonaventura. Sanctus Thomas 3. part. q. 80. artic. 10. hæc scribit: *Circa hujus Sacramenti usum duo possunt considerari, unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideo utile est quotidie ejus fructum percipere: unde Ambrosius dicit in lib. de Sacramentis: Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedas: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat: unde Augustinus cum dixisset: Accipe quod quotidie tibi prosit, subjungit: sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter indispositionem corporis, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud bona invenerit præparatum. Unde in lib. de Eccles. Dogmatibus dicitur, quotidie Eucharistiæ Communionem accipere nec laudo, nec vitupero.* S. Bonavent. vero in 4. dist. 12. part. quæst. 1. hæc asserit bit: *Si ergo quæritur, utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui; dicendum, quod si videat, se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare; Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum est, quod raro: si autem in medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore.* Ex quibus verbis hæc colligit Juenius:

„ Igitur circa Quæstionem: *An his temporibus frequens Communio fidelibus expediat?* Seraphicus, & Angelicus „ Doctor inter se penitus conveniunt; „ hoc est, uterque censet, quod licet „ sumpta ex parte Sacramenti, seu per „ se, multum utilis sit; tamen non ex„ pediat omnium omnino fidelium „ respectu. „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXIX.

De Communione sub utraque specie? Quinam fuerint, & quinam sint Hæreticorum errores, circa Communionem sub utraque specie? Quænam Ecclesiæ leges? Et quæ antiqua praxis, & consuetudo?

Ræmotanda sunt quædam, quorum primum est, disputationem non procedere de Eucharistia, ut est Sacrificium; hoc pacto enim sumpta, certũ est quod utramque speciem requirit: Procedere vero de Eucharistia ut est Sacramentum; & quæritur, an sicut ad illam requiritur utraque species, ut est sacrificium, ita etiam requiratur utraque species, ut est Sacramentum? Secundum est, quod salva Sacramenti substantia, quam solus Christus, qui eam determinavit, instituit, Sacramenti vero, vel dispensandi modum, vel administrandi disciplinam, Christus Ecclesiæ suæ commisit, ut eas pro temporum, & rerum varietate determinaret; quod clare innuit Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. per hæc verba: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Tertium est, quod Christus sit totus & integer sub alterutra specie; non vero, quod Corpus sit sub una, & sanguis sub altera: insuper, quod tota ratio, seu natura Sacramenti, salva sit, vel in una tantum, vel in utraque specie: tandem, quod gratia Sacramenti necessaria ad salutem nõ sit adnexa utriusque speciei participationi, sed æqualis habeatur, sive una, sive duplex species sumatur. Quartum denique, quod præsens disputatio duas includat Quæstiones, unam Juris, alteram facti. Prima est, utrũ jure divino, ex Christi scilicet institutione, utraque species sit necessaria ad essentiam Sacramenti, & ad integritatem illius effectus? Altera est, an semper, & ubique usque ad duodecimum seculum, quo a privatis quibusdam Episcopis, ut volunt Theologi quidam, vel usque ad decimum quintũ, quo generali lege a Concilio Constantiensi an. 1415. fuit abrogata Communio sub utraque specie; an scilicet ante illud tempus semper in usu fuerit? Hoc posito, his verbis exponit controversiæ statum inter Catholicos, & Hæreticos Tournely de Sacramento Eucharistiæ quæst. 6. artic. 2. „ Utrumque contendunt „ Novatores: Horthodoxi vero, quantum ad primam quæstionem, quæ juris est, pronuntiant concordi suffragio, nullum extare divinum præceptum de utraque specie sumenda; atque perinde esse, tum ad essentiam „ Sacramenti, tum ad plenitudinem, „ & integritatem effectus illius, sive „ una, sive duplex sumatur species. „ Quantum vero ad quæstionem facti, „ fatentur ultro, usum utriusque speciei „ diu in Ecclesia viguisse; neque ne-

„ cesse

„ ceſſe eſt, ut in hoc facto probando „ allaborent Novatores, quod apud „ omnes certum eſt: ſed contendunt „ itidem orthodoxi, eo ipſo tempore, „ quo in uſu fuit communio ſub utra„ que ſpecie, liberum adhuc fuiſſe fi„ delibus, aut duas, aut unam ſumere, „ imo quibuſdam in caſibus alterutram „ ſpeciem diſpenſatam fuiſſe, adeo „ omni ætate perſuaſum fuit, utramque „ ſpeciem neceſſariam non eſſe, aut ad „ ſubſtantiam Sacramenti, aut ad in„ tegritatem effectus illius. „

Devenientes modo ad recenſendos errores circa Communionem ſub utraque ſpecie, & ad enumerandos illorum Authores; Primo ab aliquibus nominatur Neſtorius, qui voluit, dandum eſſe corpus ſub ſpecie panis, & dandum eſſe ſanguinem ſub ſpecie vini; refert Cajetanus in 3. part. quæſt. 80. artic. 12. ſed fere omnes Theologi figmentum hoc putant, quod certe omnium antiquorum ſilentio probatur.

Secundo, fuerunt Petrus Dreſdenſis, & Jacobellus Miſnenſis in Bohemia, qui admiſerunt, quidem præſentiam Chriſti realem in Euchariſtia, attamen retinuerunt Calicis uſum, non tantum ex motivo, quod licitum eſſet, ſed etiam ex ratione, ut ipſis videbatur, quod expedieus eſſet; teſtatur Æneas Sylvius, in hiſtoria Bohemorum cap. 35.

Tertio, his duobus dictis ſe adjunxit Joannes Hus, qui Author præcipuus fuit, ut Bohemi Calicem vellent, ac tuerentur, poſtmodum; ſubdit citatus Tournely. „ Ex cineribus Joan„ nis Hus duæ excitatæ ſunt in Bohemia „ factiones, altera Taboritarum, ab „ Urbe hujus nominis in Bohemia ſic „ dicti, Auctore Joanne Ziſca; altera „ Calixtinorum, ſic dicti, ab uſu Cali„ cis, pro quo certabant, capite Ro„ queſane; hunc Bohemorum errorem „ ad Conc. Conſtantienſe delatum an„ 1415. ſeſſ. 13. damnarunt hujus Con„ cilii Præſules, ſublato fidelibus Cali„ cis uſu. „

Quarto, occurrit Lutherus, de quo dicitur, quod fuerit omnino varius, & inconſtans in preſenti Controverſia; ut late oſtendit Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 20. & Epiſcopus Meldenſis firmat in hiſtoria Variationum lib. 2. num. 10. Primo enim Luthe- rus dixit, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe indifferentem; deinde affermavit, hoc determinari non poſſe ab Epiſcopis, ſed a Concilio Generali: poſtmodum negavit quoque hoc facere poſſe Concilium Generale; & verba illius ſunt in lib. de Captivitate Babylonica cap. de Euchariſtia: „ „ Prima captivitas hujus Sacramenti „ eſt, quoad ejus ſubſtantiam, quam „ nobis abſtulit Romana tyrannis, „ quod peccent in Chriſtum, qui una „ ſpecie utuntur, cum Chriſtus non „ præceperit illa uti, ſed arbitrio cu„ juslibet relinquerit, dicens: Quotieſ„ cumque feceritis, hæc in mei memo„ riam faciètis: ſed quod illi peccant, „ qui hoc arbitrio volentibus uti, utrā„ que dari prohibent, culpa non eſt „ Laicis, ſed Sacerdotibus. Sacramen„ tum non eſt Sacerdotum, ſed om„ nium: nec Domini ſunt Sacerdotes, „ ſed miniſtri, debentes reddere utram„ que ſpeciem petentibus quotieſcum„ que petierint. Itaque non hoc ago, „ ut vi rapiatur utraque ſpecies, quaſi „ neceſſitate præcepti ad hoc coga„ mur: ſed conſcientiam inſtruo ut „ patiatur quiſque Tyrannidem Roma„ nam, ſciens ſibi raptum per vim Jus „ ſuum in Sacramentum &c. concludo „ itaque, negare utramque ſpeciem „ Laicis eſſe impium, & tyrannicum, „ nec in manus ullius Angeli, nec „ Papæ, & Concilii cujuſcumque. In „ declaratione in ſermonem de Eu„ chariſtia a me habitum: non dixi, ne„ que conſului, neque eſt intentio mea, „ ut unus, aut aliquot Epiſcopi propria „ auctoritate incipiant alicui utram„ que ſpeciem porrigere, niſi ita inſti„ tueretur, aut præciperetur aliquo ge„ nerali Concilio; „ Et de formula „ Miſſæ: ſimpliciter, juxta inſtitutum „ Chriſti, utraque ſpecies, & petatur, „ & adminiſtretur: Concilia, nec mo„ rari, nec audire volumus in his, quæ „ manifeſte ſunt Evangelii: quin am„ plius dicimus: ſi quo caſu Concilium „ id ſtatueret, aut permitteret, tunc „ minime omnium nos velle utraque „ ſpecie potiri; imo tunc primum in „ deſpectum tam Concilii, quam Sta„ tuti ſui, vellemus aut alterutra tan„ tum, aut nequaquam utraque potiri, „ ac plane eos anathematizare, qui„ cumque auctoritate talis Concilii, „ vel ſtatuti utraque potirentur. Et in

Aſſer-

Digitized by Google

„ Assertionibus articulo 16. consultum „ mihi videtur nunc, ut non modo „ per Concilium, sed per quamque „ diœcesim, quilibet Episcopus, etiam „ invito Papa, Christum secutus in „ Evangelio rursus utramque speciem „ Laicis daret &c. Nam hoc ego dico, „ si quis sciens omittit desiderare saltem alterutram etiam partem Sacramenti, licet neutra necessaria sit, „ cum fides sola hic sufficiat, impium „ eum esse, & Christum ab eo negari. „ Et epist. ad Bohemos: Qnamvis pulcrum quidem esset, utraque specie „ in Eucharistia uti, & Christus hac in „ re nihil tamquam necessarium præcepit, præstaret tamen pacem, & unitatem, quam Christus utique præcepit sectari, quam de speciebus contendere. Et ad Christianam nobilitatem: Non sum Author, ut Bohemi ad alteram Sacramenti speciem cogantur, sed ut eo, quo velint, modo relinquantur: Episcopus tantum curet, ne discordia ex hoc „ diverso communicandi modo oriatur, sed familiariter eos instruat, „ neutrum esse cum errore conjunctũ, „ quemadmodum omni errore vacat, „ quod Sacerdotes alio quam Laici „ habitu utantur: „ Et tom. 2. Germanico fol. 100. in alia Edit. tom. 7. fol. 360. lib. de utraque specie Sacramenti: „ Si veneris ad locum, in „ quo una tantum species ministratur, „ accipe tantum unam, quemadmodum ibi accipiunt: si præbentur duæ, „ duas accipe, nec quicquam singulare „ infer, nec te multitudini oppone. „ Quinto, Philippus Melanchthon in secunda editione Locorum communiũ, impressa Argentorati anno 1525. fol. 38. „ Errat qui putat impium edere „ carnem suillam: errat item, qui putat impium abstinere a suilla. Media sunt hæc, & in arbitrio nostro „ posita: sic, & de Eucharistia judico, „ non peccare, qui scientes hujus libertatis, & credentes, alterutra signi parte utuntur. „ Idem Philippus, in postrema editione horum locorum; „ omnino, scribit, necessarium esse utriusque speciei usum. Sexto, Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 47. 48. 49. & 50. & in Antidoto Articulorum Parisiensium art. 6. pro pro utraque specie hujus Sacramenti pluribus pugnat. Sic Coccius in Thesauro. Tournely vero de eodem Calvino ait: Inter alios Novatores Calvinus lib. 4. Inst. cap. 17. num. 47. scripsit, ex diaboli officina prodisse consuetudinem, quæ populo Dei dimidiam Sacræ Cœnæ partem, vel furata est, vel eripuit; nec posse aliter, quam sub duplici specie hoc Sacramentum ex præcepto Christi susci pi. Idem cum suo duce ac magistro sentiunt omnes Calviniste, qui realem Christi in Eucharistia præsentiam negant.

Septimo, recensentur pauci Recentiores Græci, qui ex Arcudio lib. 3. de Eucharistia cap. 50. Novatoribus postremorum temporum hac in parte suffragantur.

Octavo, de Catholicis, & eorum opinionibus circa rem hanc; hæc ex citato Tournely habemus, & cujus verba ad literam recitamus: „ Orthodoxi omnes in eo quidem consentiunt inter se, utramque speciem „ ad substantiam Sacramenti non pertinere, ac æqualem gratiæ fructum „ ad salutem necessarium ex una, vel „ ex duabus æqualiter percipi. Verum „ sunt inter Scholæ Theologos, qui „ præter illam gratiam ad salutem necessariam, aliàm admittunt, quam „ ajunt majorem percipi ex Communione sub utraque specie. Ita censuerunt in Concilio Tridentino, referente Pallavicino lib. 12. cap. 2. Melchior Canus, Dominicanus, Antonius „ Ulloa, Franciscanus, & Sigismundus „ Fedrius ejusdem Ordinis: ita quoque „ Vasquez in 3. part. disput. 215. quæst. „ 80. art. 2. & alii, quos ibidem appellat; de qua Quæstione disputatum „ est in Concilio Tridentino, nihilque „ definitum, ut observat idem Pallavicinus loco mox citato: Solemne „ quippe illud fuit Concilio, ut scholasticas quæstiones non attingeret, „ neque definiret. Multi in Conc. Trid. „ restitui usum Calicis postularunt, „ tum Imperatoris, tum Galliarum „ Regis Caroli IX. & aliorum Principum nomine, quibus non pauci favebant Theologi: non quod eum „ putarent necessarium ad Sacramenti „ substantiam, sed ad sedandos populorum animos, fovendam, ut dicebant, eorum pietatem, atque præsertim ad omnem calumniæ occasionem Novatoribus præripiendam:

Istis

„ Istis non acquievit Concilium Tri-
„ dentinum; nihilomnius infine sess. 22.
„ judicio S. Pont. Patres reliquere, an
„ expediret alicui nationi, vel regno,
„ usum Calicis concedere; & reipsa
„ Pius IV. ann. 1564. instante Ferdi-
„ nando Imperatore, usum Calicis
„ quibusdam Germaniæ Populis resti-
„ tuit. Verum non fausto exitu; in
„ suo quippe errore, non minus quam
„ Bohemi, pertinaces extitere. Non-
„ nulli inter Catholicos paulo vehe-
„ mentius pro necessitate restituendi
„ Calicis perorantes, etsi aliunde in-
„ tegrum dicerent sine illo Sacramen-
„ tum, & plenum effectum, suspecti
„ fuere tum Orthodoxis, tum Nova-
„ toribus; ut Georgius Cassander, qui
„ amplam scripsit de Communione
„ subutraque specie consultationem;
„ ubi utramque speciem ait conferre
„ ad pleniorem Sacramenti significa-
„ tionem; & eam semper antiquitus
„ usurpatam, exceptis quibusdam casi-
„ bus necessitatis, qui legi, & consue-
„ tudini præscribere non possunt: ad-
„ ditque, eam a Concilio Constantiensi
„ in perpetuum, & pro omni ætate non
„ fuisse, sed ad tempus solum: ex quo
„ concludit restituendum esse fidelibus
„ omnibus Calicem. Opus Cassandri in
„ Indicem Librorum prohibitorum re-
„ latum fuit. „

Dicimus I. nullam legem fuisse antiquitus, nec ullam disciplinam, circa communionem sub utraque specie, vel sub alterutra, tam pro Clericis, quam pro Laicis.

I. probatur ex Scripturis. Joannis 6, Christus tribuit vitam æternam, quæ est principalis effectus Eucharistiæ, iis, qui sumunt unam speciem tantum, non vero utramque, per hæc verba: *Hic est panis, qui de Cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres nostri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* & ad hæc verba respexit Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. dicens. *Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto, qui spiritus est sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium, & consuetudinem secuta, declarat, ac docet, nullo divino præcepto Laicos, & Clericos, non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo facto, salva fide, dubitari posse, quid illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino præceptam, utramque juxta varias sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur; Namque qui dixit; Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam carnē, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Is denique, qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilominus: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Insuper Apostolorum temporibus legitur una dumtaxat specie, hoc est, panis, confectam fuisse Eucharistiam; dicitur enim Actorum 2. *Perseverantes erant in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: Denique I. ad Corinth. 11. Apostolus ait: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Per quæ verba, ostenditur, liberum fuisse cuilibet fidelium, alterutram speciem sumere.

II. probatur antiquis exemplis, quibus docemur, fuisse fidelibus Eucharistiam sub unica tantum specie ministratam. Et hæc exempla ad quatuor reducuntur, scilicet ad Communionem Infirmorum, ad Communionem Infantium, ad Communionem domesticam, & ad Communionem publicā: Communio Infirmorum data sub unica specie colligitur ex facto Serapionis, Sancti Ambrosii, & Monachorum Ordinis Cluniacensis. Insuper habetur ex Concil. Toletano XI. ann. 675. Can. 11. quod sub sola specie vini datum fuerit Viaticum Infirmis,

per

Digitized by Google

per hæc verba; *Solet humanæ naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantumdem illati delectetur poculi gratia, sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ Communionis expetentes viaticum, collatam sibi a Sacerdote Eucharistiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter dominici Calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Infantibus datam fuisse aliquando Eucharistiam sub sola specie vini, testatur Sanctus Cyprianus, tract. de Lapsis, in exemplo cujusdam infantulæ, quæ comederat de cibis, idolis oblatis, per hæc verba: *Ubi vero, solemnibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere. Calicem recusare, perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis insudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* De Communione domestica sufficiat testimonium Tertulliani lib. ad Uxorem cap. 5. *Non sciet Maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes: & si sciverit panem, non illum credat esse, qui dicitur*: Pro Communione publica sub una specie aliquando data, testis est Leo Magnus serm. 4. de Quadragesima, loquens de Manichæis: *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysteriis, ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum ut tutius lateant, ore indigno corpus Christi accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ hausire omnino declinent. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.*

III. probatur ex Conciliis. Concilium Constantiense sess. 13. ait esse rationabilem consuetudinem introductam dandi Laicis eucharisticam communionem sub sola panis specie; & errare eos, qui contrarium asserunt, & pariter prohibendos esse ministros, qui Laicis, aut Clericis non sacrificantibus, Eucharistiam sub utraque specie dispensat Concilium Basiliense 1437. sess. 30. eadem statuit contra Taboritas, & Calyxtinos, quæ antea statuerat Concilium Constantiense adversus Joannem Hus, & Hieronymum a Praga. Concilium Tridentinum sess. 21. contra Lutheranos, & Calvinianos can. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christifideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; Anathema sit: & can. 2. si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantumodo specie communicaret, aut in eo erasse, anathema sit.* Deniq. can. 3. *Si quis negaverit totum, & integrum Christum, omnium gratiarum fontem, & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.*

IV. probatur Rationibus. I. Illa eucharistica communio est probanda, & amplectenda, in qua totus Christus integer, corpus nimirum, anima, & divinitas, sub unica specie continetur; sed sic continetur sub alterutra specie panis, vel vini: ergo communio sub unica specie probanda est, & amplectenda. Minor constat ex Concil. Triden. sess. 13. cap. 3. in quo sic legitur: „ Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecra„ tionem verum Domini nostri Cor„ pus, verumque ejus sanguinem sub „ panis, & vini specie, una cum ipsius „ anima, & divinitate existere: sed „ corpus quidem sub specie panis, & „ sanguinem sub specie vini, ex vi ver„ borum; ipsum autem corpus sub spe„ cie vini, & sanguinem sub specie pa„ nis, animamque sub utraque, vi natu„ ralis illius connexionis, & concomi„ tantiæ, qua partes Christi Domini, „ qui jam ex mortuis, resurrexit, non „ amplius moriturus, inter se copulan„ tur, divinitatem porro propter ad„ mirabilem illam ejus cum corpore, „ & anima hypostaticam unionem. „ Quapropter verissimum est, tantun„ dem sub alterutra specie, atque sub „ utra-

„ utraque contineri; totus enim, & „ integer Christus sub panis specie, & „ sub quavis ipsius speciei parte; totus „ item sub vini specie, & sub ejus partibus existit. „ II. Tota ratio, & natura Sacramenti Eucharistiæ consistit in eo, ut significet, & efficiat; sed in unica specie significat, & efficit illud omne, quod significare, & efficere debet: ergo in unica specie salvatur tota ratio Sacramenti Eucharistiæ. Probatur minor. In unica specie significat, & efficit totum Christum præsentem, integrum, & perseverantē vi verborū &c. ergo &c. III. Fructus Sacramenti, qui est gratia, æqualiter habetur, si Christus percipiatur tam sub una, quam sub duplici specie: ergo perinde est, pro principali Sacramenti effectu, communicare sub una, quam sub duplici specie.

Dicimus II. Ecclesiam legitime fuisse motam ad prohibendum Laicis Calicis usum.

I. Probatur Conclusio. Tunc Ecclesia legitime fuisset mota ad prohibitionem hujuscemodi, si legitimas habuisset causas; sed legitimas causas habuit: ergo legitime fuit mota. Probatur minor enumeratione prædictarum causarum, quas perstringit Catechismus Romanus part. 2. tit. de Eucharistiæ Sacramento num. 70. & Tournely sub his verbis exponit: *Illæ autem tales sunt; 1. Usus jam a multo tempore recepti confirmatio, ac uniformitas inter fideles omnes observanda. Patres enim Constantienses, & Basilienses annotant, jua ætate jam longo tempore receptum invaluisse morem communicandi sub una specie; 2. Periculum effusionis, & irreverentiæ in sanctissimum Sacramentum: quæcumque enim cura, & diligentia adhibeatur, fieri vix potest, ubi ingens est populi multitudo, quin aliquid sanguinis effundatur. Hac maxime ratione moti sunt, tum qui panem sacrum Christi sanguine intinctum olim Fidelibus porrigebant; tum qui pugillari, seu fistula quadam ad hauriendum e Calice sanguinem utebantur. 3. Difficultas diu asservandi vini speciem pro communione infirmorum; 4. Multorum a vino bibendo, & in eodem cum multis aliis calice, abhorrens indoles. 5. Penuria vini in multis regionibus, ac majores impensæ necessario insumendæ pro magna vini copia, ubi magna est fidelium multitudo. 6. Denique Hæreticorum pervicacia obstinate contendentium utramque speciem jure divino esse necessariam ad Sacramenti substantiam; atque fidelium nonnullorum simplicitas, & ignorantia, qui solum corpus in specie panis, & solum sanguinem in specie vini percipi, arbitrari possent.*

Opponunt I. Joannis 6. dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinē, non habebitis vitam in vobis*; quibus verbis, distincta fit mentio utriusque speciei, ut de se patet. II. Matthei 26. habetur expressa mentio Calicis, & mandatum Christi de Calice ab omnibus sumendo: *Accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* III. Christus instituit Eucharistiam sub utraque specie; insuper, sub utraque specie dispensavit: ergo utraque species est jure divino necessaria. IV. Lucæ 3. habetur, quod Christus dederit Apostolis corpus suum, & eis quoque præceperit quod facerent in sui commemorationem: atqui hoc pariter de Calice fecit, præcipue, quia Apostolus dicit 1. ad Corint. 11. *Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam Commemorationem*: Ergo utraque species est necessaria. V. Multi sunt Patres, qui utramque commemorant speciem, & ad utramque fideles teneri asseverant; & præcipue sunt Justinus, Cyprianus, Gelasius Romanus Pontifex, Bernardus &c. VI. Major gratia confertur per utramque speciem, quam per alterutram solam: ergo prohibitio alterius speciei privationem hanc majoris gratiæ fidelibus causat; quod quidem detrimentum Ecclesia fidelibus causare non debuisset.

Respondemus ad I. Per verba illa Christi Domini præcipi quidem obligationem nostram recipiendi Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia, sed non præcipi modum, quo ista recipere debeamus; an scilicet, sub unica specie, an sub utraque; an divisim, an conjunctim; an eodem tempore, an diverso. Utique recipiendo corpus Christi sub unica specie, scilicet sub corporis specie, recipimus corpus; & sanguinem Christi; recipimus enim corpus Christi vivum, quod non potest esse sine sanguine, non vero Corpus

Chri-

Digitized by Google

Christi **mortuum**, quod utique est sine sanguine; & hoc, quia Christus quando Sacramentum istud instituit, vivens erat, & de ipso dixit: hoc est Corpus meum; scilicet; hoc est Corpus vivens, quod modo habeo, quo vivo, & vitam habeo. Et hoc modo bene intelliguntur, & explicantur verba illa Christi Domini de substantia Corporis, & Sanguinis Christi; non autem intelligi debent de modo, quo in Sacramento permaneant, & a communicantibus recipiantur corpus, & sanguis Christi. Cœterum Hæretici, qui hæc nobis opponunt, non bene inter se conveniunt, an verba illa sint de Eucharistia intelligenda, an non, & qua ratione, quo modo, quo ordine intelligi debeant?

Ad II. Mandatum Christi de Calice bibendo directum fuit omnibus illis, quibus Christus Calicem porrexit, & & qui de Calice biberunt. Omnes autem isti soli Apostoli fuerunt, de quibus Evangelista dicit: *Biberunt ex eo omnes*; hoc est omnes, quibus Christus calicem dedit; omnes, qui Calicem de manibus Christi receperunt; omnes, qui hymno dicto in Montem Oliveti exierunt. Propterea vox illa *Omnes* de solis Apostolis, qui soli præsentes designabantur, non de omnibus indiscriminatim, intelligenda est. Neque dicatur, quod ad eosdem illos dirigitur vox illa *Bibite*, ad quos dirigitur vox illa *manducate*; proinde si vox illa *Bibite* dirigitur ad solos Apostolos, ad eosdem pariter solos dirigitur vox illa *manducate*: unde dicendum supereſt, vel quod præceptum recipiendi corpus Christi, non extendatur ad omnes, sed ad solos Apostolos, vel quod præceptum recipiendi sanguinem Christi, non ad solos Apostolos restringatur, sed ad omnes fideles extendi debeat. Non dicatur quidem hoc; ratio enim discriminis in promptu est, scilicet, quia præceptum manducandi corpus Christi comprehendens non solos Apostolos, sed omnes fideles, non in illis solis Christi Domini verbis continetur, sed in aliis etiam, quæ adduximus nuper, & quæ denuo in sequentibus adducemus: at præceptum bibendi Christi sanguinem in solis verbis illis exprimitur, quæ diximus ad Apostolos tantum, & non ad omnes Christifideles extendi.

Ad III. Tournely respondet, quod Christus instituit, & dispensavit Eucharistiam, ut sacrificium; ac proinde, ut sacrificium sub utraque specie est dispensanda; & est necessaria, ut a sacrificantibus suscipiatur. At pace sua dicimus, quod Christus non solum instituit, & dispensavit Eucharistiam, ut sacrificium, sed etiam, ut Sacramentum; & propterea si ob illam rationem, est dispensanda, & recipienda, sub utraque specie, etiam ob rationem, ob quam est sacramentum, est sub utraque specie ministranda, & recipienda. Aliam proinde responsionem objectioni damus; & hæc est, quia Christus dispensabat Eucharistiam Apostolis, qui figurabant ministros, seu Sacerdotes, qui eam cœteris fidelibus ministraturi erant, & ob hoc sub utraque specie eā a Christo recepturi erant: At alii non ministraturi, non oportebat, ut illam sub utraque specie reciperent, sed satis erat, ut sumerent sub una.

Ad IV. non eodem modo intelligenda sunt verba Christi Domini præcipientis manducationem sui corporis, & verba Christi Domini præcipientis bibitionem sui sanguinis. Christus enim præcipiens manducationem sui corporis, absolute præcepit, ut fideles ipsum manducarent in sui commemorationem; præcipiens vero bibitionem sui sanguinis, non absolute, sed hypothetice jussit, ut sumentes illum sumerent in sui memoriam. Dixit enim: *Quotiescumque bibetis*; hoc est, quando bibitis, bibite in mei memoriam. Hoc vero non est præcipere ut bibant; sicut illud est præcipere, ut manducent. Ac proinde de hac bibitione Calicis, semel apud Lucam fit mentio, nempe post consecrationem panis, & ante consecrationem Calicis: apud Apostolum quoque fit semel; scilicet post consecrationem Calicis. Ex quibus hæc infert citatus Tournely: „ *Unde sic arguimus. Præceptum communicandi sub utraque specie non potest colligi ex istis verbis, ut dictis ante consecrationem Calicis apud Lucam, quia tunc consecrata tantum erat panis species; neque etiam inferri potest ex iisdem, ut dictis post consecrationem Calicis apud*

S. Paulum, quia cum Christus ea pronunciavit, non est loquutus absolute, sed tantum hypothetice, Quotiescunque bibetis: *ita ut sensus præcepti sit, non singulis bibendum esse de Calice, sed singulis, qui bibent, quotiescunque bibent in memoriam Christi esse bibendum, adeoque præceptum non est, ut singuli bibant, sed tantum ut singuli, qui bibunt, mortem Christi annuntient. Certum est hæc verba non referri ad singula, quæ fecit Christus instituendo Eucharistiam, quasi necessario nobis ea omnia forent observanda, quæ Christus observavit in institutione Eucharistiæ; alias, & lavare pedes, & mensæ accumbendo in privatis ædibus post cænam, panem frangendo, Eucharistiam percipere deberemus, quia hæc omnia Christus observavit. Sunt igitur distinguenda ea, quæ ad naturam, & substantiam sacramenti pertinent, & ea quæ ad integritatem dumtaxat illius accidentalem, aut ad varias loci, & temporis circumstantias pertinent.*

Ad V. dicitur, quod distinguendus est usus, ab institutione, a præcepto, ab obligatione, & a cœteris similibus, quæ recte cum usu, & cum non usu, componuntur. Hanc responsionem optime exhibet, & late exponit Claudius de Sainctes, Episcopus Hebroicensis, in Normanniæ Provincia, in suo libro, cui titulus: de Rebus Eucharistiæ controversis; anno 1575. Parisiis typis edito; Repetitione X. sub his verbis: *Jam controvertitur, quid instituerit Christus in cœna? Usum utriusque speciei volunt Adversarii. Dicimus, aliud esse utramque speciem, aliud earum usum. Res omnes initio creantur a Deo suo ordine; postea, de earum usu differitur. Baptismus primum constituitur: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto: & deinceps, de ejus usu agitur. Præterea, si in rerum institutione declaratur usus, aut una præscribitur: non tamen inde colligitur, cuilibet, aut etiam cuiquam usum illarum certo mandari. Vinum condidit Deus in potum hominum: non tamen omnibus, aut etiam cuiquam edixit, ut vinum epotet. Sanxit in lege, ut offerretur cum victima certa vini mensura: non tamen sanxit ut omnis, qui de sacrificio ederet, etiam de vino gustaret. Deus matrimonium, ad procreationem hominum disposuit, sed non omnibus matrimonii jugum, nec omnes conjugatos ad dandam operam liberis obligavit. Est enim licitum communi consensu continere in perpetuum. Ideo multa a Deo, sive ex primæva naturæ conditione, sive ex lege addita instituuntur, non ut a singulis præstentur: sufficit si saltem aliqui tali defungantur munere. Propterea negamus ex ipsa institutione cœnæ, & utriusque speciei, earum usum institui; & si instituatur, negamus tamen inde ad omnes extendi. Adversarii pedem ab ipsa nuda institutione ad ista verba imperantia referunt, Accipite, edite, bibite ex eo omnes: quibus utriusque speciei usum institui, & omnibus injungi contendunt, etiamsi ex institutionis vi, & natura non inferretur. Hic aries est Adversariorum, sed Ecclesiam fundatam supra firmam petram non convellit.*

Ad VI. Negatur quod major gratia recipiatur a sumentibus Eucharistiam sub utraqne specie, quam a sumentibus illam sub una tantum. Et ratio est, quia hoc evenire non potest, nec propter signum, quod exprimit rem sub ipso contentam, nec propter rem, quæ ab ipso signo exprimitur. Non primum, quia signum est extrinsecum, & nihil facit ad gratiæ majorem, vel minorem intensionem: non secundum, quia res ipsa contenta sub signo, & expressa per ipsum, semper est eadem, tam sisit sub una, quam si sub altera specie contineatur. Si autem dicatur, quod qui bis recipit Christum majorem accipit gratiam, quam qui accipit semel tantum; & quod qui communicat sub duplici specie bis accipit Christum; respondetur cum distinctione, quod qui bis accipit Christum in ordine ad duplicem refectionem animæ, majorem accipit gratiam; conceditur; in ordine ad unicam tantum, negatur. Unde subdit Tournely: *Porro qui sub duplici specie communicat, duplicem speciem ad unam, & eandem communionem, & refectionem animæ spiritualem refert, ac dirigit; ergo majorem propterea gratiam non reportat.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXX.

De Communione ſub utraque ſpecie. An prævaleant exempla antiquitatis circa utramque ſpeciem in Communione exemplis circa unam ſpeciem tantum? An uſus Calicis poſſit ab Eccleſia reſtitui? An debeat, vel poſſit a Fidelibus peti, & impetrari?

COnveniunt Scriptores, quod ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, uſque ad ſeculum duodecimum, paſſim, & ordinarie fideles, etiam Laici, ſub duplici panis, & vini ſpecie communicarunt. Conveniunt pariter, quod antiquitus majores noſtri Euchariſtiam diſpenſaverint fidelibus aliquando, & extraordinarie ſub una ſpecie tantum. Quod ſi hæc vera ſunt, ut nos mox probabimus; palam illico fiet, prævalere exempla Communionis ſub utraque ſpecie exemplis ſub unica tantum. Unde.

Dicimus I. prævalere exempla Communionis ſub utraque ſpecie exemplis ſub una tantum.

I. probatur Concluſio pro prima parte, exemplo Chriſti, & Apoſtolorum. Exemplo Chriſti, quod legitur Matthei 26. ubi in ultima cœna Apoſtolis diſpenſavit duplicem panis, & vini ſpeciem, quod Evangeliſta narrat per hæc verba: *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait; Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus &c.* Exemplo Apoſtolorum, quod legitur I. ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat.*

II. probatur ex Romanis Pontificibus. Leo 1. Sermone quarto in Quadrageſima de Manichæis, qui Seculo V. in occidente graſſabantur, & ſimulabant vinum bibere, quod averſabantur, hæc ait: *Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum Communione ſe temperant, ut interdum, ut tutius lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant.* Gelaſius I. contra eoſdem agens, qui ſuo tempore eadem ſimulatione utebantur, hæc habet: *Comperimus, quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, a Calice ſacri cruoris abſtineant.* Ex quibus verbis hæc infert Jueninus: „ Si autem ante tem-
„ pora Leonis, & Gelaſii fideles om-
„ nes lata lege adſtricti fuiſſent ad ſu-
„ mendam utramque ſpeciem dum ſo-
„ lemniter in templis communicarent,
„ Manichæi receptione ſolius corporis
„ Chriſti impietatem ſuam tegere non
„ potuiſſent, imo elegiſſent medium,
„ quo eam aperte prodidiſſent, quippe
„ qui palam infringentes eccleſiaſticã
„ legem, qua ex adverſariis utriuſque
„ ſpeciei ſumptio præcipiebatur, in inſi-
„ deli-

Digitized by Google

„ delitatis suspicionem venissent; sicut „ venirent modo apud Calvinistas, & „ Lutheranos, qui in eorum Synagogis „ post sumptum eucharisticum panem „ a vino temperarent. „

III. probatur ultra testimonia Justini Martiris in Apologia secunda, Cypriani Martiris in libro de Lapsis, Cyrilli, Chrysostomi, & aliorum, verbis Ordinis Romani, quem sequebatur tota fere Occidentalis Ecclesia Seculo VII. VIII. IX. X. in quo legitur, titulo qualiter celebrandum sit officium Missæ: „ Archidiaconus „ confirmat omnes sanguine dominico, quos communicaverit Pontifex „ corpore dominico..... Deinde „ descendit Pontifex cum Primicerio „ Notariorum, & Primicerio Defensorum, ut communicet principes populorum, & matres-familias eorum, „ & sicut Archidiaconus confirmat „ quos Pontifex communicat, sic reliqui Diaconi confirmant quos Episcopi, sive Presbyteri post Pontificem „ communicant. „ Denique Jueninus refert morem, qui vigebat in Ecclesiis Occidentalibus tempore, quo Angelicus Doctor inter vivos agebat, & scribit: „ Cum S. Thomas extremam diem clausit, anno nempe 1274. „ paucis quidem, sed tamen in aliquibus Occidentalium Ecclesiis adhuc „ obtinebat mos publicis in Conventibus communicandi sub utraque specie. S. Doctor 3. part. quæst. 80. art. „ 12. quærit. *Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.* Affirmativam sententiam tuetur hoc argumento, *sed contra est multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.* In omnibus „ igitur Ecclesiis ætate S. Thomæ nondum, vigebat consuetudo Laicis unã „ tantum speciem porrigendi. In corpore articuli praxim suscipiendi utrãque in aliquibus locis observatam „ fuisse, his apertis verbis innuit. *In quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed „ solum a Sacerdote sumatur.* „

Pro secunda parte I. probatur Conclusio. Ut dictum est supra Infirmis, Infantibus, in Communione domestica, & aliquando etiam in publica, Eucharistia dispensata est sub unica tantum specie, scilicet sub specie panis; quod sufficit, ad probandum, quod aliquando, & extraordinarie, eucharistica communio data sit sub unica specie.

II. Probatur ex Ordine Romano, de quo Jueninus hæc refert: „ In Ordine „ Romano, ad cujus præscriptum divina „ officia octavo seculo, & subsequentibus apud Occidentales celebrabantur, injungitur, ut feriaquinta majoris „ hebdomadæ in Cœna Domini toto „ sanguine consumpto Christi corpus in „ diem Parasceve reservetur, quo fine „ sanguine omnes communicent, *Tunc* „ (inquit) *Pontifex lavet manus, & „ Diaconi vadant ad Altare, & discoperiant sancta, & Pontifex veniens „ ad Altare dividat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine suo, & sumat de ipsis oblatis integras ad servandum usque mane diei „ Parasceves: De quibus communicent „ absque sanguine Domini, sanguis vero „ eadem die penitus consumatur.* Idem „ ordo, ubi officium diei Parasceves „ describit, Communionem recenset, „ ad quam feria quanta panis species „ reservata fuerat, *Cum vero* (inquit) „ *dixerint Amen, sumit de sancto, & ponit in Calicem,* (cui vinum non consecratum infusum est) *sanctificatur „ autem vinum non consecratum per sanctificatum panem, & communicant „ omnes cum silentio.* Subsequente Sabbato sancto nullum eo Seculo offerebatur sacrificium, nulla donorum „ fiebat consecratio. *Feria sexta* in „ Parasceves (ait idem Ordo Romanus) *Missa non cantatur, sed neque „ in Sabbato sancto usque ad vigilias noctis:* Et tamen, & Cleri, & Populi „ communio recensetur, *Et postquam „ omnes communicaverint &c.* Nec, ut „ ut vis argumenti declinetur, dici potest, iis diebus communionem, quæ „ porrigitur, esse sub utraque specie, „ quod nempe (ut ait Ordo Romanus) „ vinum non consecratum per sui cum „ pane sacrificato mixtionem sanctificetur, seu consecretur, si non re ipsa „ saltem in eorum opinione, qui illum „ Ordinem conscripserunt. Id (inquam) dici non potest, tum quod vini „ sanctificationem, de qua loquitur expresse, distinguat a consecratione, „ tum quod iis authoribus, aliisque, „ qui idem sanctificationis nomen usurparunt, persuasum fuerit realem con-

„ con-

Digitized by Google

„ consecrationem non fieri, nisi hæc „ Evangelica verba, *Hic est sanguis* „ *meus* proferantur. *Canitur hic* (inquit „ Amalarius de divinis Officiis lib. 3. „ cap. 24.) *Accipiens panem, & reliqua*, „ in quibus continetur forma, seu Evan„ gelica verba, *Hic credimus naturam* „ *simplicem panis, & vini mixti verti in* „ *naturam rationabilem, scilicet corporis,* „ *& sanguinis Christi*. Dicendum est „ igitur Ordinem Romanum loqui de „ imperfecta sanctificatione, quam „ quælibet res ex sacrarum specierum „ contactu contrahat, eique similem, „ de qua hæc dicit Bern. ep. 69. de Sa„ cerdote agens, in cujus Calicem vini „ loco aquam minister immiserat: *De„ inde quod comperta sero licet negligen„ tia vinum fudisti in Calicem super ho„ stiæ sacratæ particulam laudamus; nec* „ *sub tanto articulo melius fieri potuisse* „ *putamus, arbitrantes liquorem etsi non* „ *ex consecratione propria atque solemni* „ *in sanguinem Christi mutatum, sacrum* „ *tamen fuisse ex contactu corporis sacri.*„ III. probatur. Publice etiam communicantibus diebus solemniter præsanctificatorum Eucharistia sub unica specie distributa est, quanvis non ordinarie, & omni tempore: ergo quibusdam temporibus Eucharistia sub unica specie aliquando percipiebatur. Antecedens probatur & explicatur simul a Juenino sequentibus verbis: „ Quod semel aut bis uno„ quoque anno fiebat antiquitus in„ Ecclesia latina circa octavum seculum, nunc fit, & factum est antiquitus „ in Græca toto quadragesimali tem„ pore; Consecratam die dominica, „ aut die Sabbati, panis speciem reser„ vant, quam cæteris hebdomadæ die„ bus offerunt in Missa, quam ob id præ„ sanctificatorum Missam appellant, „ *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jeju„ nii diebus* (inquit Concilium in Trul„ lo. can. 25.) *præterquam Sabbato, & „ Dominica, & sancto Annunciationis „ die, fiat sacrum præsanctificatorum mi„ nisterium*. Peractis precibus ritibus„ que variis, quæ in hujusmodi præ„ sanctificatorum Missa, præscribuntur, „ ipse Sacerdos, tum Ministri, & po„ stea Populus, sacram Communionem „ accipiunt, utique sub una specie cum „ sanguis consecratus non fuerit, nec „ in iis ministris consecretur, *Sacerdo„ tis autem* (verba sunt Liturgiæ ex „ interpretatione Genebrardi in Bib. „ Patruum tom. 27.) *Ad tecta divina* „ *dona manum mittens attingit vivificum* „ *panem cum reverentiis ..... Alte Sa„ cerdos ait sancta sanctis ..... Non* „ *enim modo panem elevat*. Porro ubi „ ipsum detexit, Communionem sacra„ rum Reliquiarum perficit. Faciunt „ autem dicuntque Sacerdos, & Dia„ conus, & Chorus eadem, quæ in „ Chrysostomi Liturgia. Græci igitur „ multis ab hinc seculis singulis Qua„ drageſimæ diebus Eucharistiam sub „ una tantum specie, panis nimirum „ reficiuntur, nec mutilant tamen Sa„ cramentum, alioquin a mille annis, „ & amplius in errore, & in impietate „ totam Græciam versari concluden„ dum est. „ Hoc tamen maxime advertendum est, quod sive Eucharistia ministraretur ordinarie sub utraque specie, sive extraordinarie sub unica tantum specie, nunquam tamen factum est, ut Ecclesia, vel de uno, vel de altero modo legem promulgaret. Unde & iis, qui utramque speciem sumebant, permissum erat unicam sumere; & illis, qui unicam accipiebant, pariter permittebatur utramque accipere. Utrumque probat Juenius, ubi ait Conclusione prima, quod infirmis, infantibus, & communicantibus in domibus privatis Eucharistia ordinarie, & passim sub una tantum specie porrigeretur, nulla tamen ecclesiastica lege prohibebatur ne duplicem acciperent; ubi id circa sanctissimi Sacramenti irreverentiam fieri poterat. Et Conclusione secunda ubi ait, quod quanvis Laici publice in Conventibus cõmunicantes quondam Eucharistiam passim, & ordinarie sumpserint sub duplici specie, permissi sunt tamen quatuor prioribus seculis, ut vel unã, vel duplicem pro libito recipere.

Utranque Conclusionem probat primo ex illa generali ratione, quia in monumentis Ecclesiasticis quatuor priorum seculorum nulla lex legitur, quæ fideles obliget, ut vel ordinarie, & passim communionem sumant sub utraque specie, vel extraordinarie, & aliquando sub unica tantum accipiant. Ultra rationem hanc prosequitur alteram partem probare, quæ sequuntur momentis: „ Altera pars „ demostratur I. ex Justino Martyre, „ qui

„ qui (ut jam obſervatum eſt) aſſerit „ in Apologia ſecunda, *Diaconos ad „ abſentes, tum ſanos, tum infirmos pa- „ nis, & vini ſpecies detuliſſe*. II. Ex „ Paſchali II. qui (ut etiam ſuo loco „ obſervatum eſt) indulſit, *ut panis „ vino intinctus parvulis, & infirmis „ porrigeretur* : quem etiam nunc O- „ rientales iis porrigunt. III. Ex Ab- „ bate Suggerio, qui ſcribit *utramque „ ſacri Viatici ſpeciem delatam fuiſſe ad „ Ludovicum VI. cognomento Craſſum „ periclitantem de vita*. IV. Ex Gre- „ gorio Nazianzeno, qui in Oratione „ funebri, quam habuit de Sorore Gor- „ gonia, ſcribit : *Eam propriis lachrimis, „ aut* Chriſti Corpus, *aut* ſanguinem „ ſæpius perfudiſſe ; ſuppoſuit igitur „ ipſi creditum fuiſſe pretioſum ſan- „ guinem in privatas ædes deportan- „ dum, & non multo poſt ab ea ſumen- „ dum. V. (ut ratiocinatur Illuſtriſſi- „ mus, ac Doctiſſimus Epiſcopus Mel- „ denſis) Si Patres fidelibus panis ſpe- „ ciem quondam crediderint, non erat „ cur negarent ſpeciem ſanguinis mox „ ſumendam privatis in ædibus, præ- „ ſertim ſi illum ſacrum ſanguinem fi- „ deles poſcerent, ut rariſſime contin- „ gebat, quod Populi perſuaſi eſſent, „ & carnem, & ſanguinem ſub una ſpe- „ cie contineri, nullaque gratia ad ſa- „ lutem neceſſaria eos defraudari, qui „ unicam ſumpſiſſent. „

Pergit deinde alteram partem probare peculiari facto, quod contigit Conſtantinopoli ſub Chryſoſtomi Præſulatu, & quod deſcribitur a Sozomeno lib. 8. hiſtoriæ cap. 5. verbis hiſce : „ *Vir quidam ſectator hæreſis Macedonia- „ næ, ejuſdem Sectæ uxorem habebat*. Hic „ cum Joannem de ſincera religione „ differentem forte audiſſet, doctrinam „ amplexus, & uxorem quoque ut ſibi „ conſentiret, hortatus eſt. At illa „ quoniam notarum mulierum ſolita „ conſuetudine captiva teneretur, ut „ maritus, quamvis admonuiſſet ſæpe, „ nihil tamen proficeret : Niſi (inquit) „ ille in Religione mihi conſors fueris, „ nec in vitæ quidem communione „ poſt hac eris. Ibi mulier data fide „ ſe id facturam, cum ancilla quadam, „ quam fidelem arbitrabatur, de „ hac re communicat ; eamque ſibi ad „ fraudem faciendam marito, ſociam „ adjungit. Itaque tempore commu- „ nicationis (intelligunt autem qui „ Chriſto ſunt initiati quid dicam) illa „ quod acceperat continens, velut „ oratura procubuit ; famula autem „ interim adſtans furtim porrigit id, „ quod manibus adveniens ferebat : „ Quod quidem ſimulatque dentibus „ admotum fuit in lapidem induruit. „ Tum mulier timore conſternata, ne „ quid ſibi gravius eveniret ob tantum „ miraculum in ſe divinitus editum, „ cum feſtinatione ad Epiſcopum ac- „ currit ſe ipſam indicat, ac lapidem „ oſtendit, qui manifeſta veſtigia mor- „ ſus, ſed materiam ignotam, & inuſi- „ tatum quemdam calorem referebat. „ Cumque profuſis lachrymis veniam „ impetraſſet, cum marito deinceps „ conſors vixit. Poſt quæ ſic argumen- „ tatur Jueninus. Si ſeculo, quo tam „ inſigne miraculum contigit, obtinuiſ- „ ſet lex eccleſiaſtica, quæ fideles ad „ utriuſque ſpeciei communionem „ obligaret, qua enim arte declinaſſet „ Calicem, quem Diaconus offerebat, „ ubi primum fideles exceptum mani- „ bus panem ori admoviſſent ? Si vero „ quis Sozomenum falſitatis inſimulet, „ audiat hæc laudati hiſtorici verba ; „ *Si cui autem hæc veriſimilia eſſe non „ videntur, teſtis eſt ipſe lapis, qui etiam „ nunc hodie inter Conſtantinopolitanæ „ Urbis Cimelia conſervatur*. Præterea „ licet factum illud veritate non nite- „ retur, certum eſſet tamen Sozomeni „ reſpectu ; ac proinde perſuaſum illi „ fuit Chryſoſtomi tempore nullam „ viguiſſe legem, quæ fideles ad utram- „ que ſpeciem adigeret : Si enim exti- „ tiſſet hujuſmodi lex, aut ſi extare „ credidiſſet, non auſus fuiſſet hiſto- „ riam ſcribere, qua manifeſto deſtrui- „ tur. „

Pro ſecunda Diſſertationis parte, in qua quæritur, an uſus Calicis poſſit ab Eccleſia reſtitui ? Communiter Theologi aſſerunt, quod etiam his temporibus Eccleſia poſſit Laicis uſum Calicis concedere. Proinde

Dicimus II. Poſſe Eccleſiam uſum Calicis reſtituere.

I. probatur ex Conciliis. Concilium Conſtantienſe poſtquam Communionem ſub utraque ſpecie Laicis prohibuit, poteſtatem tamen in Eccleſia cognovit reſtituendi illam : unde docet : *Conſuetudo habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito mutare*.

Con-

Digitized by Google

Concilium Basileense sessione 30. *Nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ ipsam immutare.* Concilium Tridentinum sess. 21. can. 4. *Duos vero articulos, alias propositos, nondum tamen excussos, videlicet: An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una tantum panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus: & an si honestis, & christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam sint illæ: Eadem sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi quam primum occasione, examinandos atque definiendos reservat.* Et sess. 22. in decreto finali hoc ipsum Summi Pontificis prudentiæ remisit, & hæc sunt verba: *Insuper cum eadem sacrosancta Synodus superiori sessione duos articulos alias propositos, & tum nondum discussos, videlicet; an rationes quibus S. Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una specie panis, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus: & an si honestis, & christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui, vel nationi, vel regno, Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam illæ sint; in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinandos, atque definiendos reservaverit, nunc eorum pro quibus petitur saluti optime consultum volens; decrevit integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, pro ut præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.*

II. probatur. Ecclesia aliquando post prohibitionem Concilii Constantiensis, Calicis usum Laicis, vel permisit, vel concedere se velle declaravit, si aliquæ servarentur conditiones: ergo signum est, quod in Ecclesia residet hæc facultas. Et quidem in Concilio Basileensi tentata fuit Bohemorum cum Catholicis unio; & cum hunc articulum proponerent Bohemis, ut communio Eucharistiæ sub utraque specie universis Christifidelibus in Regno Bohemiæ, & locis ei adhærentibus, per Sacerdotes libere administraretur: sacra Synodus per suos legatos, qui in Oppido Egra cum Bohemis, & Moravis tractaverant, respondit: *Ut quoniam generalis consuetudo Ecclesiæ communicandi sub una tantum specie, multis de causis rationabiliter introducta, non posset reprobari, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito immutari; posset autem suadentibus rationabilibus causis communio sub utraque specie ab eadem Ecclesia concedi. Si id omnino Bohemi contenderent sacrum Concilium Sacerdotibus eorum facultatem concessurum sub utraque specie populum, eos videlicet, qui in annis discretionis constituti essent, atque id reverenter postularent communicandi; hoc semper dicerent, debere eos firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer Christus totus.*

III. probatur aliis exemplis. Frassen ait quod Paulus III. eam gratiam concesserit Bohemis, modo non adhæreant hæresi Petri Dresdensis, & Jacobi Misnensis: at nullum affert documentum, quo hoc ipsum probet. Fallitur tamen, sua pace sit dictum, quando narrat, quod dum Summus Pontifex solemniter celebrat Cardinales Diaconus, & Subdiaconus, qui ei sacra facienti assistunt, sub utraque specie cum eo communicant; & præcipue quia Subdiaconus non est Cardinalis. Item in Concilio Tridentino testatur Jueninus, quod sæpius actum fuerit, an ad Gallorum, & Germanorum preces pacis causa Calix Laicis concedendus esset; & res ut nuper diximus, Summi Pontificis prudentiæ, & charitati commissa est. Idem Jueninus asserit: „ Pius Papa „ IV. eo jure usus anno 1563. Germanis „ Episcopis indulsit, ut servatis legibus, „ quas Patres Basileenses Bohemis præ„ scripserant, calicem concederent; „ quæ quidem concessio, infelici licet „ exitu, Viennæ in Austria aliquandiu „ mandata fuit executioni. „

Pro III. tandem dissertationis parte, in qua quæritur, an Calicis usus possit a fidelibus peti, & impetrari? Supponimus quibusdam gentibus persuasum fuisse, plus gratiæ conferri suscipienti

Digitized by Google

utramque speciem, quam unicam, ex opere operato; inde est, quod si in hac persuasione sint desiderantes Calicis usum, eundem nec petere possunt, nec debent penitus impetrare. Si vero laudabilis sit finis, & justus usus; tunc quemadmodum concedi legitime potest, sic potest pariter laudabiliter peti, & impetrari. Proinde

Dicimus III. Calicis usum nec peti, nec impetrari posse, si error intercedat, vel in desiderio, vel in fine.

I. Probatur Conclusio authoritate Angelici Doctoris, & concordantia Doctoris subtilis, qui in 4. dist. 13. quæst. 2. n. 4. scribit: *Nunc autem non dispensatur sanguis Christi propter periculum effusionis, & propter scandalum, ne simplices crederent, majorem virtutem esse in duabus speciebus, quam in unica.* Ad quæ subdit Frassen: „ Quibus verbis declarat Doctor, unam „ ex rationibus, quare Ecclesia juste „ prohibuerit Laicis usum Calicis, fu„ isse, ne simplices existimarent majo„ rem vim inesse duabus speciebus ad „ conferendam gratiam, quam unicæ: „ igitur non existimat Doctor plus gra„ tiæ recipere eum, qui duas species, „ quam qui unicam suscipit. Idem „ docet S. Thomas q. 80. art. 2. ad 3. „

II. Probatur ratione, quam idem Frassen componit dicens: „ Et suadet „ ratio: Major enim gratia conferre„ tur, vel ratione signi, vel ratione rei „ significatæ: *Non posterius*: nihil enim „ continetur sub duplici specie, quod nō „ contineatur sub unica. *Non etiam „ prius*: *Tum*, quia species eucharisticæ conferunt gratiam non ratione „ sui, sed ratione rei contentæ: *Tum „ etiam*, quia Communio sub utraque „ specie, nihil aliud habet supra com„ munionem cum unica, nisi quod di„ stinctius, & expressius significet re„ fectionem animæ per modum potus, „ & cibi. Siquidem Christi corpus & „ sanguis sub unica dumtaxat specie „ continetur: expressior autem, & di„ stinctior significatio effectus sacra„ mentalis, non efficit eum majorem, „ & ampliorem; cujus utique exem„ plum apparet in Baptismate; non „ enim plus gratiæ tribuitur per ablu„ tionem totius corporis, quam unius „ tantum partis; quamvis ablutio to„ tius corporis distinctius significet „ ablutionem totius animæ. „

III. Probatur Conclusio. Quamvis Calicis usus licite possit ab Ecclesia restitui, non tamen est expediens, ut restituatur; sed hoc sufficit, ut non possit licite peti, & impetrari: ergo &c. Major probatur variis rationibus a Juenino, quæ sunt: „ I. Vix præ„ caveri potest periculum effusionis „ sanguinis, quod Patres Constantienses „ adduxit ne facultatem, de qua agi„ tur, passim Laicis annuerent. II. Sy„ nodus Tridentina calicem, etsi po„ stulatum sæpius, nusquam tamen „ concessit. Hæc habebantur in instruction a Carolo IX. Francorum Rege „ data Cardinali a Lotharingia anno „ 1562. curet, ut calix etiam Laicis „ concedatur; quod nempe spes affulgeat, fore ut heterodoxi, si eum Synodus indulserit, ad unitatem redeant. Idem in Imperatoris, multorum que Principum Germanorum literis ad Concilium legebatur; sed „ hujusmodi petitionum sacra Synodus „ rationem non habuit. III. Periculum „ est ne facultate, de qua est quæstio, „ si passim concedatur, abutantur hæretici, ut Ecclesiæ conflent invidiam; „ sub obtentu ejusdem concessionis „ quam charitas a Pio Papa IV. pro „ Germanis extorserat; Lutherani mox „ causati sunt agnovisse tandem Eccle„ siam Romanam se contra Jus divi„ num populis subtraxisse calicem: „ unde ne incautos deciperent conces„ sio Germanis facta *mox fuit revoca„ ta*. „

Arguunt I. Quæ concedit suprema Potestas, nec tollere, nec restringere potest potestas inferior; sed suprema Potestas Christi concessit usū Eucharistiæ sub utraque specie: Ergo potestas inferior Ecclesiæ non potest illum restringere ad unicam tantum. II. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. docet, fideles communicantes sub unica specie nulla fraudari gratia ad salutem necessaria: Ergo aliqua gratia fraudantur, quæ non sit ad salutem necessaria. III. Clemens VI. concessit Regi Angliæ, ut communicaret sub utraque specie *ad gratiæ augmentum*; sed hoc ostendit majorem gratiam recipi in communione sub utraque specie: Ergo &c. IV. Si quæ sunt incommoda in Calicis usu, ea noverat Ecclesia a principio; at qui non proinde prohibuit calicis usum; ergo nec

po-

Digitized by Google

posteriori tempore poterat prohibere. V. Duæ receptiones Sacramenti majorem producunt gratiam; sed communio corporis, & sanguinis Christi sunt duæ receptiones Sacramenti: ergo &c. VI. Sacerdos qui moritur post manducationem corporis Christi, & ante bibitionem ejusdem sanguinis, vel æqualem habet gratiam cum aliis Sacerdotibus, qui utrumque sumunt, vel minorem. Si minorem, currit necessitas sumptionis sanguinis: Si æqualem: ergo sanguinis sumptio nihil confert.

Respondemus ad primum, quod Christus concesserit fidelibus jus petendi usum sanguinis sui quantum ad realem ejus susceptionem, non vero quantum ad modum sumptionis distinguere prode debemus usum corporis, & sanguinis Christi, & usum specierum utriusque, primum concedit Ecclesia, secundum negat.

Ad II. dicitur, quod intentum Concilii Tridentini est damnare hæreticorum errorem, qui volebant fideles, qui non cummunicent sub utraque specie, fraudari gratia necessaria ad salutem: An vero fraudentur aliqua alia gratia, vel ne, de hoc nihil protulit, quia ad Scholasticorum, opiniones pertinebat.

Ad III. De Bulla Clementis VI. maxime dubitant Scriptores, tum quia dicitur data anno 1341. & Clemens anno sequenti creatus fuit Pontifex; tum quia multi hanc concessionem factam dicunt Regi Galliæ, non Regi Angliæ. Sed admissa pro legitima hac Bulla, dicitur, quod major gratia conferebatur ex opere operantis, non ex opere operato; scilicet ratione majoris devotionis, qua Rex ad communionem accedebat.

Ad IV. Ecclesia temporis experimento novit incommoda illa, ac proinde tractu temporis ea voluit vitare, quæ a principio non potuerat impedire. Neque hoc novum, aut mirum est; multa enim sequenti ævo statuit Ecclesia, & prohibuit etiam, quæ ab incunabulis suis nec statuerat, nec prohibuerat.

Ad V. dicitur, quod duæ receptiones Sactamenti, si ordinantur non ad unicã refectionem, non eandem gratiam operantur, sed majorem, quia tunc habent rationem distincti Sacramenti; non sic vero quando ordinantur ad eandem refectionem. Et si contrarium diceretur, deberent Adversarii dicere, quod quando manducantur plures particulæ consecratæ major etiam gratia recipitur: quod nec dicunt, nec dicere possunt.

Ad VI. Eandem gratiam recipit Sacerdos, qui moritur post manducationem corporis Christi, & ante bibitionem ejus sanguinis, ac Sacerdos, qui utrumque sumit, & deinde moritur; & ratio est, quia in corpore continetur etiam sanguis; & sanguis, & si non recipiatur per diversam functionem, recipitur tamen per eamdem, per quam recipitur corpus.

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXXI.

De Communione ſub utraque ſpecie. Quid ſit Communio Laica? Quid ſit communio Peregrina? Et an alterutra aliquam habeat connexionem cum communione, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie?

Communionis Laicæ verba faciunt Romani Pontifices, & præcipue Syricius Epiſt. 1. cap. 11. Concilia, & præſertim Illiberitanum can. 76. Sacerdicenſe c. 1. & 2. Agathenſe can. 33. Toletanum 1. cap. 4. Bracharenſe 1. cap. 31. Sancti Patres, & inter hos Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. Gregorius Magnus lib. 4. epiſt. 5. & 16. & can. 60. Et quia Scriptores aliquot putarunt laicam communionem illam eſſe, quanvis nō recte, quæ ſub una ſpecie fiebat; & in hoc diſtinctā fuiſſe a Clericali communione, quia in hac utraque ſpecies uſurpabatur: inde eſt quod nos, loquentes de communione ſub utraque ſpecie, de communione etiam laica ſcribimus; licet Scriptorum horum judicium non probemus, ſicut nec probat Praſſen, qui dicit: *Verum hæc ſententia videtur minus probanda: quippe cum tunc temporis Laicis utraq; ſpecies concedebatur, & Clerici extra templum interdum unicam ſpeciem uſurpabant.*

Verum hac explicatione omiſſa, pergimus ad alias afferendas, quæ a Scriptoribus memorantur. Du Cange in Gloſſario ad Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis tom. 2. verbo *Communio laica*, hæc ſcribit: „ Communio laica eſt illa, quæ Presbyteris aut „ Clericis ex delicto aliquo imponebatur per pœnitentiam, vel in pœnam, ut videlicet non ut Præsbyteri, & Clerici, ſed inter Laicos communicarent, hoc eſt Laicorum ordine deinceps cenſerentur, ita ut neque „ Miſſam facere, neque cum Clericis „ in Choro communicare poſſent. Sanctus Cyprianus epiſtol. 52. *Admiſſus eſt Trophimus, ut Laicus communicet, non ..... locum Sacerdotis uſurpet.* epiſt. 68. *Epiſcopatum pro conſcientia ſua vulnere deponens ..... ſatis gratulans, ſi ſibi vel Laico communicare contingeret.* Et epiſt. 71. *Eos quoque hac conditione ſuſcipi cum revertuntur ut communicent, ut Laici.* Pra in „ in canonibus Apoſtolorum cap. 14. „ Præsbyter, qui in aliena Parochia „ cōmoratur inſcio Epiſcopo μετωρίζειν „ vetatur, jubeturq; ibi τὰ τῆς λαϊκῆς „ ideſt *Communionem inter Laicos recipere*, ut loquitur Gregorius Magnus „ lib. 4. epiſtol. 5. 16. & can. 60. Clerico, qui pœnarum metu chriſtianam fidem abjuraſſet, Clerici dignitas abrogatur, ſi tamen pœniteat, ut Laicus recipitur ὡς λαϊκὸν „ σχήσειν. In Concilio Sardicenſi can. 19. hæreticis quibuſdam interdicitur „ Epiſcopi nomen, & dignitas εἰσὶ λαϊκὴν „ κοινωνίαν, ἀναστοῦν, μὴ χρῆναι αὐτοῖς ἐρεῖσθαι Libellus precum Marcellini, & Fauſtini part. 47. *Nullo genere talibus Epiſcopis poſſe communicari, qui fidem illo modo, quo ſupra retulimus prodiderunt, niſi laicam poſtulaverunt communionem.* & p. 49. *Quis eſt enim, qui conſiderans vim divinæ religionis pacem perfidorum Deo placere confidat, niſi, ut a Patribus decretum eſt, in Laicorum ſe numerum tradant ſuæ perfidiæ dolentes?* Annales Franc. Bertin. an. „ 868. ubi de Gunthario Epiſcopo:

Com-

Digitized by Google

„ *Communionem inter Laicos ab Adriano*
„ *PP. accepit*: Et mox: *Accipiens au-*
„ *tem idem Papa a Gunthario consistente*
„ *inter Laicos hanc professionem relectam*
„ *inter Laicos ab ipso publice coram om-*
„ *nibus dixit illi, tibi concedo laicam*
„ *communionem, ea conditione, ut ita*
„ *quandiu vixeris observes, sicut modo*
„ *professus fuisti. In illa vero professione*
„ *Gunthorius ait: Judicium depositionis*
„ *in me..... Canonice datum non re-*
„ *prehendo, sed humiliter porto, unde*
„ *nec ulterius sacrum ministerium con-*
„ *tingere præsumo, nisi per misericordiam*
„ *mihi subvenire volueritis.* „

„ Hæc quidem obtinebant si levior es-
„ set culpa Clerici, aut Sacerdotis,
„ vel Episcopi: nam si esset gravior,
„ interdum ne laica quidem donaban-
„ tur communione, sed ad pœniten-
„ tiam relegabantur ad fores Eccleſiæ,
„ donec eidem reconciliarentur. Con-
„ cil. Sardic. can. 1. Episcopum, qui a
„ parva Civitate in aliam migraverit ne
„ quidem laica communione donari
„ debere decernit: Ἡγοῦμαι γὰρ μηδὲ λαικῆ
„ κοινωνίᾳ τοιούτους χρῆναι τυγχάνειν. Concilium
„ Agripin. sub Julio I. PP. Qui a Eu-
„ phrate Christum Deum negat, con-
„ sentio eum Episcopum esse non posse,
„ qui nec laicam debet communionem
„ accipere. „

„ Hinc quidem planum est, Clericos
„ etiam majores, Episcopos videlicet,
„ Presbyteros, & Diaconos *interdum*
„ *ne laica quidem donatos fuisse commu-*
„ *nione, sed ad eos, ad pœnitentiam re-*
„ *legatos fuisse ad fores Ecclesiæ, donec*
„ *eidem reconciliarentur*, ut hic dicitur
„ non ita constat apud omnes. Qui ad
„ pœnitentiam relegabantur ad fores
„ Ecclesiæ, ii *publicam* agebant pœni-
„ tentiam; Clerici autem majores nus-
„ quam adstricti sunt *publicæ* pœniten-
„ tiæ, saltem elapsis tribus primis Ec-
„ clesiæ seculis, de quibus solis disputant Eruditi, aliis affirmatibus, aliis
„ vero negantibus, pœnitentiam pu-
„ blicam iis seculis impositam fuisse
„ Clericis majoribus. Hac de re con-
„ sulere potes Sirmondum in hist. Pu-
„ blicæ Pœnitentiæ cap. 6. Morinum
„ in libris de Pœnitentia, Dupinium
„ tractatu de Excomunicatione part. 1.
„ §. 8. & Constantium nostrum tom. 1.
„ Epistolarum Pontif. Rom. pag. 195.„
„ Illi igitur, quibus etiam interdicebatur *Laica Communio* propter criminis
„ gravitatem inter Pœnitentes age-
„ bant, nec ad illam admittebantur,
„ nisi purgato, & expiato per diutur-
„ niorem pœnitentiam crimine. Con-
„ cilium Tolet. I. can. 4. Subdiaconus,
„ qui tertiam uxorem duxerit *abstentus*
„ *biennio, postea inter Laicos reconcilia-*
„ *tus per pœnitentiam communicet*. Con-
„ cil. Tolet. IV. can. 45. *Oportet Ca-*
„ *nonibus in tali scelere proditum a Cle-*
„ *ricatus ordine submoveri, & pœniten-*
„ *tiæ triennio deputari*: Clericorum,
„ qui propter facinoris atrocitatem, &
„ depositione mulctabantur, & Laica
„ Communione privabantur, exempla
„ extant in can. Apost. can. 29. 30.
„ 51. 62. in Concilio Eliberit. can. 20.
„ in Concil. Neocæsar. can. 1. Laodic.
„ can. 36. Agath. can. 68. Trull. cap.
„ 61. Toletan. IV. can. 5. Tolet. VIII.
„ can. 7. apud Vigilium epist. 1. cap. 6.
„ apud Theophilum Alexand. in Com-
„ monitorio apud Balsamonem &c. „

Post hæc multa, quæ exscripsimus ex Du Cange sunt, & hæc alia non pauca, quæ modo exscribimus ex Frasen. „Secundo existimant aliqui cum
„ Pamelio nota 37. in epist. 52. S. Cy-
„ priani, Laicam communionem eam
„ esse, quæ extra Cancellos, ut sepa-
„ Altaris, seu extra chorum Laicis
„ concedebatur, nam juxta dispositio-
„ nem Concilii Toletani IV. can. 17.
„ Sacerdotes, & Levitæ ante Altare
„ communicare, in choro Clerus, ex-
„ tra chorum Populus tenebantur. Et
„ in Bracharensi can. 31. sic statuitur:
„ *Ingredi sacrarium ad communicandum*
„ *non liceat Laicis, sed tantum Clericis*;
„ Unde cum S. Ambrosius post obla-
„ tum ad Altare munus, jussisset in-
„ terrogari Theodosium Imperatorem
„ intra Cancellos hærentem, quid vel-
„ let, quod ibi subsisteret, respondisset-
„ que, se nihil aliud velle, quam ut di-
„ vina peragi videret, statim reposuit
„ S. Ambrosius: *Istine tibi videre non*
„ *licet; habent in templo Sacerdotes, ha-*
„ *bent & Laici locum suum*. Consiste-
„ bant autem masculi ad meridiem,
„ quorum introitum servabant Ostia-
„ rii; Feminæ autem ad Aquilonem,
„ quarum introitum servabant Diaco-
„ nissæ. *Verum* hæc sententia difficul-
„ tatem patitur, quoniam Felix III.
„ statuit Clericos, qui se rebaptizari
„ passi erant, ab omni communione
„ usque ad diē obitus privari, & in ipsa
„ mor-

Digitized by Google

„ morte non nisi laica communione
„ donari: immo Concilium Sardicense
„ can. 2. decernit, quod in detestatio-
„ nem quorumdam flagitiorum, Cle-
„ rici nec etiam in fine vitæ laicam
„ communionem accipiant: at com-
„ munio sic ministrata, vel negata
„ moribundis in lecto decumbentibus
„ non potest habere hanc distinctionem
„ consistentiæ, vel in choro, vel extra
„ chorum, cum illi eo in statu extra
„ chorum consistere supponantur.„
„ Tertio itaque probabilius dicendum
„ arbitror, communionem laicam ni-
„ hil aliud esse, quam jus communi-
„ candi cum cœteris fidelibus, more
„ dumtaxat Laicorum, qui degunt in
„ christiana societate, ita quod Clerici
„ illi omnino functionibus ecclesiasti-
„ cis, & privilegiis clericalibus spolia-
„ ti, ac veluti exauthorati, & degra-
„ dati nullo clericali honore gaude-
„ rent, sed tantum pro Laicis haberen-
„ tur. Cui utique explicationi favere
„ videtur canon. 15. inter Apostolicos,
„ ubi sic statuitur: *Si quis Presbyter,*
„ *aut Diaconus, aut quilibet de numero*
„ *Clericorum, relinquens propriam Paro-*
„ *chiam pergat ad alienam, & omnino*
„ *demigrans præter Episcopi sui conscien-*
„ *tiam, in aliena Parochia commoretur,*
„ *hunc ulterius ministrare non patimur,*
„ *præcipue si vocatus ab Episcopo redire*
„ *contempserit, in sua inquietitudine*
„ *perseverans. Veruntamen tamquam*
„ *Laicus ibi communicet.* Idest, ut vide-
„ tur, jus solummodo cum cœteris cō-
„ municandi more Laicorum, qui talis
„ est, obtineat. Cyprianus etiam Epi-
„ stola 68. de Basilide sic scribit: *Episcopatum pro suæ conscientiæ vulnere*
„ *ultro deponens ad agendam Pœniten-*
„ *tiam conversus est, Deum deprecans,*
„ *& satis gratulans, si sibi, vel laice com-*
„ *municare contingeret.* Ubi per com-
„ munionem laicam intelligere vide-
„ tur jus, quod habent Laici ad com-
„ municandum. Et epist. 72. ad Ste-
„ phanum Papam: „ *Addimus plane,*
„ *& adjungimus consensu, & authorita-*
„ *te communi, ut etiamsi qui Præsbyteri,*
„ *aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catho-*
„ *lica prius ordinati fuerint, & postmo-*
„ *dum perfidi, ac rebelles contra Eccle-*
„ *siam steterint, vel apud hæreticos a*
„ *Pseudo-Episcopis, & Antichristis con-*
„ *tra Christi dispositionem profana ordi-*
„ *natione promoti sint, & contra Altare*
„ *unum, atque divinum. Sacrificia foris*
„ *falsa, ac sacrilega offerre conati sint, eos*
„ *quoque hac conditione suscipi, ut com-*
„ *municant Laici: & satis habeant, quod*
„ *admittantur ad pacem, qui hostes pa-*
„ *cis extiterint: nec debere eos revertēn-*
„ *tes ea apud nos ordinationis, & honoris*
„ *arma retinere, quibus contra nos rebel-*
„ *laverint.* Et paucis intejectis; *Et id-*
„ *circo satuit est talibus reverentibus ve-*
„ *niam dari; non autem debet in domo*
„ *Dei perfidia promoveri. Nam quid bo-*
„ *nis, & invocantibus, atque ab Ecclesia*
„ *non recedentibus servamus, si eos, qui*
„ *a nobis recesserint, & contra Ecclesiam*
„ *steterint, honoramus?* „ Ubi per Cle-
„ ricos ad communionem laicam dam-
„ natas eos intelligit, qui clericalibus
„ muniis, & honoribus ob peccata
„ privata ad communem Laicorum
„ statum dejecti sunt. „
Quod, & epist. 52. prius significaverat
„ his verbis: *Susceptus est Trophimus,*
„ *pro quo satisfaciebat fratrum reditus,*
„ *& restituta multorum salus. Sic tamen*
„ *admissus est Trophimus, ut Laicus com-*
„ *municet, non secundum, quod ad te*
„ *malignorum litteræ pertulerunt, quasi*
„ *locum Sacerdotis usurpet..... Si qui*
„ *enim infirmitatibus occupantur, illis in*
„ *periculo subvenitur. Postquam ta-*
„ *men subventum est, & periclitantibus*
„ *pax data est, suffocari a nobis non pos-*
„ *sunt, aut opprimi, aut vi, & manu*
„ *nostra in exitum mortis urgeri; ut quo-*
„ *niam morientibus pax datur, necesse sit*
„ *mori eos, qui acceperint pacem; cum*
„ *magis in hoc judicium divinæ pietatis*
„ *& paternæ lenitatis appareat, quod qui*
„ *pignus vitæ in data pace percipiunt, hi*
„ *quoque ad vitam percepta pace tenen-*
„ *tur.* „ Ubi communionem laicam
„ dare, idem videtur, ac pacem im-
„ pertire; cujus pacis pignus, & coro-
„ namentum divina Eucharistia est pe-
„ tentibus in periculo mortis conces-
„ sa. „
Ultra hæc, quæ scripserunt duo præfati Scriptores Galli, habemus, quæ exararunt Dominicus, & Carolus Macri, duo Scriptores Itali, Melitenses in ipsorum Hierolexico, verbo communio laica: „ Communio Laica
„ ad quam pœnitentiam condemna-
„ bantur Clerici, ut in 1. quæst. 7. can.
„ Si qui Presbyteri FR. Ecclesiastici
„ enim pœnitentes etiam ab infimis of-
„ ficiis Clericorum excludebantur can.

„ Ca-

Digitized by Google

„ Canones dist. 50. & can. placuit, eadem dist. 2. Pamelius, & alii putant „ fuisse Eucharistiæ communionem extra Presbyterium simul cum Laicis. „ Alii tamen existimant fuisse solam „ participationem in orationibus Laicorum, cum quibus Clerici pœnitentes in Ecclesia collocabantur : quæ „ opinio magis consona videtur ; nam „ multa Conciliorum decreta habentur, in quibus declaratur, quod moriendo aliquis ex istis pœnitentibus, „ non peracta adhuc pœnitentia, admitteretur ad laicam communionem : at hoc non poterat de communione eucharistica intelligi ; sed tantum de participatione, & communione orationum Laicorum. Alii „ denique pro laica communione sumptionem Sacramenti sub unica specie „ panis more Laicorum explicant, quod „ probant ex Decreto Rothomagensis „ Concil. de anno 1581. celebrati, „ ubi in tit. de Episcop. off. num. 11. „ ordinatur, nempe : „ (*Id quod fieri primo quoque tempore contra eos, qui a multis annis sacro Presbyteratus ordine initiati, nec dum accesserunt ad sanctum sacrificium Missæ celebrandum ; sed Laicam tantum communionem, eamque raro sumunt*) „ Ubi manifeste Concilium pro laica communione de sola hostia consecrata intelligit. Nihilominus magis amplectanda videtur „ secunda explicatio, ut dixi : nam „ quod de hoc Concilio affertur, cum „ sit recenter celebratum, non usum „ fuerat illo antiquorum termino, cum „ quo non potest concordari, quod „ mortuis daretur Eucharistia, ut in „ antiquis Conciliis dicebatur. FR. „ Defunctis Eucharistia afferebatur, ut „ de Sancto Basilio apud Surium tom. „ 1. in ejus vita narratur, quod ante „ ejus obitum hostiam in tres partes „ diviserat. „ (*Unam sumpsisse ; alteram reservasse, ut secum sepelliretur ; tertium vero in Columba aurea pendente reposuisse.*) Et licet in dict. *Eucharistia.* „ hoc factum neget Auctor ; legimus tamen in usum fuisse „ etiam Defunctis Eucharistiam afferri, quod deinde cautum fuerat in „ Concilio Carthaginensi Tertio sub „ hoc decreto : (*Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est enim a Domino, Accipite, & edite : cadavera autem, nec accipere „ possunt, nec edere : cap. 16.*) De Sancto Benedicto scribit etiam in Dial. „ lib. 2. capit. 24. Divus Gregorius, „ quod Cadaver cujusdam Monachi, „ qui objerat, dum a Monasterio absq; „ Superioris licentia discesserat, terra „ eum humare renuebat, quare præfatus Patriarcha ei Eucharistiam detulerat, & super pectus ejus imposita, „ cum eadem hostia sepultus fuit. Non „ ergo rejicienda omnino erit prima, „ & tertia expositio, ex implicantia, „ scilicet, quia per laicam communionem Eucharistiam intelligit. Nam „ etiam mortuis Eucharistia afferebatur. Vide *Corban* : sed revera „ communio laica alia non erat, nisi „ declaratio, quod *Clericus non gauderet Foro Ecclesiastico, & communis „ cum Laicis haberetur, ac inhabilis ad „ consequendos majores ordines ; sic de „ Bigamo Clerico in can. 5. dist. 84. habetur quod* : (*Quisque Clericus, aut viduam, aut secundam duxerit uxorem „ omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio „ mox denudetur, laicæ sibi tantum communione concessa &c.*) & can. eos, „ quos ; de consecratione dist. 4. de „ Episcopis, Presbyteris, & Diaconis „ bis baptizatis habetur quod : (*Nec „ modo fidelium : sed nec Catechumenorum quidem omnibus modis interesse, „ quibus laica communio in morte est reddenda.*) „

Ex his omnibus, quæ usque modo retulimus, duo inferimus, quæ in Dissertationis titulo proposuimus ; unum scilicet, quid non sit laica communio ? Alterum vero quid sit ? Et pro primo satis convenimus illã non esse, nec communionem sub utraque specie, quod pauci quidam Scriptores non satis recte excogitaverant. Pro altero vero, quod complectitur quid sit ? Illis accedimus, qui volunt, pœnam Clericorum ad communionem laicam redactorum in eo maxime constitisse, quod omni Clericali Beneficio spoliarentur, non vero a sacra mensa arcerentur, sicque pro degradatis, non vero pro excomunicatis haberentur. Subdit Frassen : „ Ideoque Patres, quam sæpissime „ crimen idem in Clericis depositione, „ in Laicis excomunicatione plectunt. „ Idemque Basilius ad Amphylochium „ can. 3. sic habet *Diaconus post Diaconatum fornicatus, a Diaconatu quidem*

„ *ejii-*

Digitized by Google

„ *ejicietur, in Laicorum autem locum*
„ *extrusus, a communione non acerbitur:*
„ *quoniam antiquus est canon, ut qui a*
„ *gradu exciderunt, hoc solo punitionis*
„ *modo plectantur*. In hoc ergo sita est
„ laica communio.„

Nec obstat, *quod* Communionis *vocabulum pro sacra Synaxi, & susceptione corporis Christi frequentissime usurpetur. Hoc, inquam, non obstat; quippe non raro etiam usurpatur a Sanctis Patribus, & Conciliis ad significandum ejusdem Societatis consortium, eorumdem Sacramentorum participationem, & cum eodem corpore membrorum colligationem, quæ in Symbolo Apostolorum* sanctorum Communio *appellatur*. „

Accedimus modo ad Communionem Peregrinam, de qua citatus Frassen hæc scribit: „ Petes denique quid „ fuerit *Peregrina communio*, de qua „ plerumque fit mentio, tum a Conciliis, tum a sanctis Patribus? „ „ *Respondeo* non aliam meo judicio fuisse, quam egregium illud charitatis, „ & humanitatis in cibo, potu, & hospitio subsidium, quo fideles peregrini, maxime Clerici, qui a proprio „ fuerant Episcopo per formatas literas commendati Ecclesiis, ad quas „ peregere ibant, excipiebantur. Hinc „ Clerici exauthorati, dicuntur plerumque redacti ad communionem „ peregrinam, dum spoliati sportulis, „ & annuis, aut menstruis, redditibus „ immatriculatis Clericis præstari solitis; nihilominus ex commiseratione „ Ecclesiæ præstabantur illis alimonia „ simul cum peregrinis fidelibus. Quemadmodum factum a se ipso erga Bationopolis Episcopum Alexandrum, „ residere in sua Ecclesia recusantem, „ scribit ad Theophilum Alexandrinum Synesius epistol. 66. *In Ecclesia quidem*, inquit, *admittere illum nolui, nec sacram cum illo mensam communem habui: domi vero peræque, ac innocenter honoravi*. „ Cujus humanitatis exempla suppeditat Concilium Chalcedonense Act. 7. providens, ut ipsius Ecclesiæ Antiochenæ „ sumptibus alatur Domnus Antiocheno Patriarchatu exauthoratus. Et simili modo sustentationi providit Bastiani, & Stephani, postquam illos „ Episcopatu submovit act. 12. „ Ad exemplum, & similitudinem hujus pœnalis peregrinæ Clericis communionis, alia vocabatur minus proprie peregrina communio, qua Episcopi, aliique inter Sacerdotes primarii, seu præfecturam habentes, non „ deponebantur prorsus a Clero, sed „ tantum a digniori, & sublimiori pristino gradu, ut tamen in gradu inferiori Clericorum consisterent, ut Episcopi redigerentur ad Sacerdotum „ ordinem; isti ad Diaconorum, & „ Diaconi ad minorum Clericorum „ stationem, & classem. Sic enim „ depositis Episcopis subtrahebatur illa „ reddituum Ecclesiæ quarta pars, quâ „ Episcopis sacri Canones reservabant, „ ut deinceps minora cum Sacerdotibus stipendia acciperent; Sacerdotes „ vero a suo excedentes honore, stipendium inter Diaconos accipiebant; „ cui omnes, licet minus propria locutione dicebantur sustentati communione peregrina, tametsi victum, & „ stipendia cum inferioribus Clericis „ ex Ecclesiæ liberalitate, & commiseratione reciperent. Cujus utique „ veritatis præclarum habemus argumentum in Concilio Regiensi, quod „ habitum est in Galliæ Provincia Narbonensi anno 439. occasione Armentarii, qui se per ambitionem curaverat ordinari in Episcopum Ebrodunensem a duobus tantum Episcopis, „ invito etiam Metropolitano, qualem „ se eo tempore contendebat Arelatensis Præsul, cujus cura, & sollecitudine hæc Synodus congregata fuit. „ Intentio namque ejus canone de ipso „ Armentario decernitur: „ *Licet ei „ in unam suarum Parochiarum Ecclesiam concedere, in qua aut Chorepiscopi munere, aut peregrina communione foveatur, nec quidquam ipsi de „ episcopalibus officiis usquam usurpare „ liceat, præterquam in Ecclesia, in quam „ cujusquâ misericordia fuerit invectus, „ in qua ei solum Neophytos confirmare, „ & ante Presbyteros offerre concedi- „ tur*. Ex quibus apparet, communionem peregrinam non fuisse sacrâ „ Christi Domini corporis participationem, quippe Synodus Armentarium exauthorando episcopali gradu, „ non solum vult ei salva esse omnia „ Sacerdotis jura, sed & nonnulla pontificalia concedit, nempe collationem confirmationis, & tamen „ eum ad communionem peregrinam „ arctat. Igitur signum est, quod hæc „ peregrina communio alia sit a com-

„ mu-

Digitized by Google

„ munione ſacra, & nihil aliud quam „ ad victum, & alimoniam neceſſaria „ peregrinis conferri ſolita ſignificet.„ Poſt hæc recitamus, quæ ſcribit Du Cange, laudatus ſuper, in loco etiam ſuperius citato, ſcilicet tom. 2. Gloſſarii, verbo *communio peregrina*, ubi hæc habet: „ Communio Peregri- „ na ea eſt, quæ peregre cum Formatis „ advenientibus Eccleſiaſticis, vel „ Laicis, concedi ſolebat: itaut ſi Epiſ- „ copus peregrinus cum Metropolita- „ ni Formatis in alienam Diœceſim „ veniret, nullo quidem in ea dignita- „ tis ſuæ munere fungeretur, ſed in „ conſeſſu Presbyterorum, ſeu ut vo- „ cabant, Presbyterio, ante Presby- „ teros ſederet, & ab Epiſcopo civita- „ tis cum cæteris Presbyteris Diœce- „ ſanis ſacram Euchariſtiam ſumeret; „ ſicut in can. 18. Nicenæ Synodi dici- „ tur. Idem porro erat de peregrinis „ Presbyteris, & Diaconis, qui intra „ Cancellos ſedebant, ut peregrini ta- „ men ab officio ceſſabant, ſed tantum „ communicabant tum in oratione, „ tum in Euchariſtia, cum aliis Presby- „ teris; cum ea, quæ erant ſui miniſterii, „ exercere iis non liceret injuſſu Epiſ- „ copi, ad cujus Diœceſim accedebant. „ Quæ quidem communio ideo pere- „ grina dicitur, quod Epiſcoporum „ & Presbyterorum peregrinorum pro- „ pria eſſet. Qua quidem notione com- „ munionem peregrinam accipi in Cō- „ cilio Regienſi ann. 439. can. 3. ob- „ ſervat Sirmondus. Formatis proficiſ- „ centibus *Communionem* datam liquet „ ex Concilio Milevitano II. can. 20. „ Afric. can. 73. Venetico can. 5. 9. „ Aurelianenſi III. can. 15. &c. ſed, & „ Cœleſtinus Papa epiſt. 4. ſcribit San- „ ctum Athanaſium, Ario perſequente, „ fugatum, Romæ *reintegratum ei fuiſſe ſtatim, & in hac ſede quietem Com- munionis inveniſſe, a qua ſemper Ca- tholicis ſubvenitur.* „ „ Factum poſtea, ut inſtar peregrinæ „ communionis, proprie dictæ, pœnalis „ quædam communio dicta ſit peregri- „ na, rei effectu inſpecto: quoties Epiſ- „ copo adimitur Epiſcopatus, ad quem „ ordinatus eſt, adminiſtratio adimitur; „ nomen vero, ordo, & dignitas reli- „ quitur, ſedet, communicat cum Epiſ- „ copis, abſtinet tamen ab officio di- „ gnitatis, atque, ut verbo dicam, „ communicat, ut Peregrinus. Ita in „ Concilio Chalcedonenſi act. 11. & 12. „ Epiſcopatus Epheſinus adimitur Baſ- „ ſiano, & Stephano, qui contra ca- „ nones occupaverant Epheſinam ſe- „ dem, nominis tamen honor relinqui- „ tur: unde conficitur leviorem fuiſſe „ communionis hujus pœnam, quam „ Laicæ, cum hac poſtrema Clerici „ gradu ſuo carerent in perpetuum: „ priori vero, ſi reſipiſcerent, locum „ ſuum reciperent, ut eſt in Concilio „ Agathenſi can. 2. Communionis pe- „ regrinæ, ut pœnæ, mentio eſt in Con- „ cilio Agathenſi can. 2. & 5. Ilerdenſi „ can. 16. Vide Sirmondum in Hiſto- „ ria Pœnitentiæ publicæ cap. ultimo. „ Franciſcum Florentem ad tit. 7. De- „ cret. Gregorii IX. PP. de Trasl. Epiſ- „ cop. Albaſpinæum Cellotium lib. 6. „ de Hierarch. cap. 16. Altaſerram ad „ Gregor. Magn. lib. 4. epiſt. 5. Boſ- „ quetum ad lib. 13. Innocentii III. PP. „ epiſt. 50. 147. „

Denique proſequimur, quæ ex Fratribus Italis Dominico, & Carolo Macri, in Hierolexico, incœpimus enarrare, & verbo *Communio Peregina*, hoc pacto leguntur. „ Communio peregri- „ na. FR. in qua admittebantur Pere- „ grini, ſcilicet in participatione ora- „ tionum, ſecus vero in participatione „ ſacramentorum, antequam formatas „ literas eorum Ordinariorum oſten- „ diſſent, quæ eos Catholicos eſſe teſta- „ bantur. Baron. ann. 400. num. 67. „ Gloſſa vero in can. contumaces dist. „ 50. ait eſſe eandem, ac Laica com- „ munio, ibique Poſtillator per com- „ munionem peregrinam eandem eſſe, „ ac communionem extraneam, ideſt a „ communione fidelium excluſio. (*Et „ cauſam perdat, & a Communione effi- „ ciatur extraneus, can. Inobita* 11. *q.* 1.) „ Sed arctior pœna videtur eſſe ex „ can. hæc hujus 12. quæſt. 2. ubi ſic ait: „ (*Reus Sacrilegii prolixiori anathema- te comdemnetur, & vix ei peregrina „ communio concedatur.* „

Hac pariter in re ſcimus quid non ſit communio Peregrina, quod eſt alterum in diſſertationis titulo quæſitum: ſcilicet ſcimus, eam non eſſe nec communionem ſub una, nec communionem ſub utraque ſpecie: ac proinde cum neutra ex his duabus connexionem habere. Quid autem ſit, cum diverſæ adducantur explicationes, una ex his aut altera eſt ſeligenda.

Digitized by Google

Seligimus nos illam, per quam explicatur pœna Clericis inflicta ob aliquod, quod perpatraverint; crimen, & ratione cujus pœnæ illorum conditio ad illam Laicorum quodammodo redigebatur. Unde deducit Frasen, quod hæc peregrina communio non sit sacra Christi Domini corporis participatio. Et ratio ipsius est, quia Synodus Arelatensis, quando exauthoravit Armentarium episcopali gradu, voluit eidem salva esse omnia Sacerdotis Jura, & nonnulla etiam pontificalia concessit; & nihilominus illum ad communionem peregrinam arctaverat. Concludit proinde idem Frassen: *Igitur signum est, quod hæc peregrina communio alia sit a communione sacra, & nihil aliud, quam ad victum, & alimoniam necessaria, peregrinis conferri solita, significet.*

DISSERTATIO CCCCXXXII.

De unitate Sacramenti Eucharistiæ. An Eucharistia sit unum specie Sacramentum? An sit unum numero? & unde hæc specifica, vel numerica unitas, sit desumenda?

PRænotãda sunt hic quædam; & quidẽ primũ, unitatem, vel multiplicitatẽ Eucharistiæ Sacramenti considerari posse, vel ratione materiæ, ac substantiæ panis, & vini, nec non ratione utriusque specierum, quæ post consecrationem per se perseverant, & hoc dicitur considerari materialiter; vel sumuntur ratione signi, quatenus scilicet ordinãtur ad significandum Christi corpus, & sanguinem, aut nutritionem animæ spiritualem, aut fidelium invicem mysticam unionem; & hoc modo dicitur considerari formaliter. Secundum, quod præmittimus, est, Theologos in hoc esse divisos: aliqui enim censent Eucharistiam esse simpliciter plura Sacramenta specie infima; unum vero specie subalterna seu genere proximo: hæc est sententia Majoris, & Gabriells in 4. dist. 8. quæst. 2. Alii vero Theologi oppositum docent, & sunt Alexander de Ales, Bonaventura, Angelicus Doctor, & Doctor Subtilis.

Dicimus 1. Sacramentum Eucharistiæ esse unum specie.

I. probatur Conclusio ex Scripturis. Apostolus 1. ad Corinth. 10. vocat Eucharistiam unum panem, & unum calicem: *Unus panis, & unum corpus multi sumus; omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Unde Augustinus tract. 26. in Joannem asserit: *Christum Dominum corpus, & sanguinem suum in iis rebus commendasse, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis: namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis conatur.* Quapropter quanvis certum sit Sacramentum Eucharistiæ esse aliquo modo unum, quia sub omnibus speciebus consecratis idem Christus, qui unus est, continetur: altera pariter tamen est ratio, quia scilicet ordinatur ad compaginandam fidelium unitatem, qua per hujus Sacramenti participationem omnes Christifideles in unum corpus mysticum ordinantur. Et quanvis difficultas sit inter

Theo-

Digitized by Google

Theologos de hujus unitatis modo, quia nimirum duo sunt genera specierum consecratarum, panis, & vini; & quia duæ sunt consecrationis formulæ, una corporis, altera sanguinis; quia tamen omnia ordinantur ad unum; inde est, quod per hæc multiplicia Sacramenti unitas non destruatur.

II. probatur ex Romanis Pontificibus, qui quidem comprehenduntur inter illos, qui Syricium præcesserunt, & quorum Epistolæ, an genuinæ sint, an spuriæ, inter Eruditos valde dubitatur: attamen in præsenti sub communi persuasione loquentes, eos sic enumeramus; scilicet Pontifices Clementem I. Alexandrum I. Gelasium I. qui dum de hoc Sacramento verba facerent, de eo in plurali loquuti sunt, quia scilicet materialiter sumpta Eucharistia potest dici multiplex Sacramentum: formaliter vero, & proprie, & simpliciter loquendo, dici debet unum unitate specifica. Verba Clementis in epist. 2. & quæ referunt in cap. *Tribus gradibus*, hæc sunt; *Commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum, ideſt Presbytero, Diacono, & Ministro: qui cum timore, & tremore Clericorum reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent.* Alexand. I. epist. 1. & refertur in cap. 4. de consecratione dist. 2. ubi dicitur: *Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offerantur, Passio Domini miscenda est.* Gelasius I. in epist. ad Macaricum, & Joannem, Episcopos, & refertur in cap. *comperimus* de consecr. dist. 2. & legitur: *Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodò corporis portione, a Calice sacri corporis abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Idem Gelasius cap. 12. dist. 2. de consecratione, rejicit Manicheos, qui vinum eucharisticum rejiciebant tamquam fel Draconis, & ait: *Aut integra Sacramenta illi percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemq; mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ad quæ addit Tournely: *Audis Sacramentum Eucharistiæ, quod ex pane, & vino conficitur, esse unum, & idem mysterium.*

III. probatur pro eo, quod Sacramentum Eucharistiæ sit multiplex materialiter. Ibi sacramenta plura sunt materialiter, ubi duplex est materia significans primario res diversas; sed in Eucharistia adest hæc materia, scilicet panis, & vinum; & panis primario significat Christi carnem, & secundario sanguinem, & vinum significat primario sanguinem, & secundario carnem: ergo &c.

IV. probatur verbis Catechismi Romani de Eucharistia num. 10. quod scilicet formaliter hoc Sacramentum sit unum specie, verbis hisce: *Licet duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur: non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ authoritate docti confitemur: aliter enim Septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a Conciliis Lateranensi, Florentino, & Tridentino decretum est, constare non poterit. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum corpus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei, quam efficit, conveniat, unum esse oportet: atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemadmodum cibus, & potio, quæ diversæ res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur: ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibum spiritualem significarent, quo mentes sustinentur, & recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est:* Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Ex Conciliis citatis Lateranense generale sub Innocentio II. non numerat quidem distincte septem Sacramenta, sed ex variis canonibus satis clare colliguntur, maxime ex Florentino in Doct. de Sacramentis, Trid. sess. 7. can. 1.*

V. Probatur ratione Sancti Thomæ quæst. 73. art. 2. in corpore, quam his verbis componit Tournely: „ „ Quia formalis, & specifica unitas „ alicujus Sacramenti repeti debet ex „ unitate significationis practicæ, & „ primarii effectus illius: licet enim „ partes materiæ sint diversæ, ut pa-

„ nis, & vinum, componunt tamen „ unum Sacramentum, quia illæ con- „ spirant ad unam totalem & integram „ significationem ejusdem rei sacræ, „ & effectus sacramentalis: At qui Sa- „ cramentum Eucharistiæ, etsi ex di- „ versa specie materiæ conficiatur, „ nempe pane, & vino, habet tamen „ unam formalem & totalem signifi- „ cationem practicam, & unum, & „ eundem effectum producit, nempe „ spiritualem animæ refectionem, quæ „ una est. Ut enim ratiocinatur S. „ Thomas hic quæst. 73. art. 2. in cor- „ pore, Eucharistiæ Sacramentum „ institutum est, per analogiam ad „ convivium, & refectionem corpo- „ ralem: at convivium, & refectio „ corporalis una tantum æstimatur, „ etsi ex ferculis specie distinctis com- „ ponatur. „

Pro secunda Dissertationis parte communis sententia est, quod Eucharistiæ Sacramentum numero multiplicari potest; unde Frassen in conclusione 2. dicit, quod Sacramentum Eucharistiæ est numero diversum, non quidem ex pluralitate, & numero sumentium, sed ex pluralitate numerica specierum consecratarum. Et Tournely pariter asserit, quod Sacramentum Eucharistiæ numero multiplicari potest. Et dicit, quod hæc conclusio est contra Suarez in 3. par. quæst. 75. disp. 39. sect. 4.

Dicimus II. Sacramentum Eucharistiæ numero multiplicari posse.

I. Probatur Conclusio. In Sacramento Eucharistiæ sunt plures materiæ, & formæ, sunt plures adequatæ significationes, sunt plures gratiæ sacramentales: ergo sunt plura numero sacramenta. Probatur consequentia. Ideo sunt plura numero baptismata, quia numero multiplicantur ablutiones, & invocationes Trinitatis, & regenerationes, aut gratiæ regenerantes; sed ubi in pluribus Ecclesiis, aut in pluribus Altaribus, sunt plures Sacerdotes celebrantes, ibi sunt plures in Eucharistia materiæ, formæ & significationes numero distinctæ: ergo &c.

II. Probatur. Multiplicantur numero species sacramentales, & refectiones spirituales animæ: ergo multiplicantur etiam numero sacramenta eucharistica. Consequentia dicitur optime illata a Tournely per hæc verba: „ *Quia quoties materia, & forma Sacra-* „ *menti in facto esse spectati, multipli-* „ *cantur numero, & refectio spiritualis,* „ *ad quam ordinantur, toties Sacramen-* „ *tum ipsum multiplicatur: atqui ma-* „ *teria Eucharistiæ in facto esse spectatæ* „ *sunt ipsæ species, significatio vero est* „ *forma: multiplicantur autem tum spe-* „ *cies, tum significatio: aliud enim signi-* „ *ficat formaliter species panis, & aliud* „ *species vini: multiplicatur quoque re-* „ *fectio spiritualis: multiplicatur etiam* „ *actio ministri idem Sacramentum sæpius* „ *perficientis; corpus autem Christi, ne-* „ *quidem numero multiplicatur, quia se-* „ *junctum a speciebus ne partialem qui-* „ *dem habet sacramentalem significatio-* „ *nem; inde fit, ut pro ejus unitate nu-* „ *merica non sit quoque unum numero sa-* „ *cramentum.* „

Pro tertia tandem Dissertationis parte, in qua quæritur, unde hæc specifica, vel numerica unitas, aut pluralitas, sit desumenda? Pro specifica asserimus responsionem Frassen, quam his verbis concipit: *Quæres, ex quo capite petenda sint unitas specifica Eucharistiæ?* Respondeo *ipsam posse repeti ex triplici* „ *capite, nempe ex unitate contenti, sci-* „ *licet Christi corporis, & sanguinis,* „ *qui continetur sub utraque specie: se-* „ *cundo ex unitate usus; hoc enim Sacra-* „ *mentum ordinatur ad commemorandam* „ *Passionem Christi Domini, dicente Apo-* „ *stolo 1. ad Corinth.* Quotiescumque „ manducabitis panem hunc, & Cali- „ cem bibetis mortem Domini annun- „ tiabitis; *Tertio ex unitate finis, scili-* „ *cet refectionis spiritualis, quæ fieri de-* „ *bet per cibum, & potum proportionali-* „ *ter ad corporalem refectionem. Verius* „ *tamen, ac melius colligitur hæc unitas* „ *ex priori capite, nempe ex parte con-* „ *tenti, & significati, quia Sacramentum* „ *Eucharistiæ formaliter acceptum est re-* „ *latio quædam signi ad corpus Christi:* „ *cum ergo relationes suam unitatem, &* „ *distinctionem specificam desumant non* „ *solum a fundamento, sed maxime* „ *a suo termino, longe convenientius col-* „ *ligitur unitas hujus Sacramenti ex uni-* „ *tate corporis Christi sub utraque specie* „ *contenti, quam ex unitate refectionis* „ *spiritualis, ad quam hoc Sacramentum* „ *ordinatur; siquidem corpus, & sangui-* „ *Christi est primarium, ac principale* „ *significatum in hoc Sacramento; gratia*

„ qua-

„ *autem ſanctificans animam, & ſpiritua-*
„ *liter nutriens, eſt dumtaxat ſecunda-*
„ *rium, ac ſubinde Euchariſtiæ unitas*
„ *congruentius petitur ab unitate corporis*
„ *Chriſti, quam ab unitate refectionis ſpi-*
„ *ritualis.* „

„ Nec *obſtat*, quod hoc Sacramentum
„ fuerit inſtitutum, ut eſſet refectio
„ ſpiritualis animæ; hic namque finis
„ non fuit unicus ejus inſtitutionis; ſunt
„ enim, & alii fines, propter quos
„ Chriſtus voluit permanenter eſſe
„ præſens in Euchariſtia, nempe, ut a
„ nobis adoraretur, ut eſſet nobiſcum
„ uſque ad conſumationem ſeculi, nec
„ non ut eſſet Sacerdos, victima, & ju-
„ ge ſacrificium. „

Unde autem ſit deſumenda unitas numerica, & individualis Sacramenti Euchariſtiæ, putat Tournely melius eſſe repetendam ex morali conjunctione ſpecierum, & earum ordinatione ad unam ſpiritualem refectionem. Et hoc probat his verbis: „

„ Quia in convivio unitas numerica de-
„ ſumitur ex morali conjunctione va-
„ riorũ ciborũ ad unã, & eandẽ refectio-
„ nem: ſed Euchariſtia inſtituta eſt per
„ modum convivii ergo &c. Deinde in
„ aliis rebus artefactis, & moralibus,
„ unitas numerica deſumitur a conjun-
„ ctione morali plurium ad eundem nu-
„ mero effectũ. Sic v. g. in ædificio am-
„ pliſſimo, & ſi plures ſint ædes, ſi ta-
„ men ordinentur, & inſerviant ad ha-
„ bitationem unius familiæ, dicitur
„ una Domus &c.

Opponunt I. plura ſunt Concilia, ſunt etiam Romani Pontifices, & ipſa & Eccleſia in Canone Miſſæ, Sacramentum Euchariſtiæ non ſub ſingulari nomine, ſed ſub plurali vocantes: ergo Sacramentum Euchariſtiæ non eſt unum unitate ſpecifica. Antecedens legitur in Concilio Carthaginenſi III. cap. 4. & in Concilio Africano can. 8. & apud Gelaſium, qui refertur in can. 12. diſt. 2. de conſecratione. Eccleſia vero dicit, vel a Sacerdotibus dicendum præſcribit: *purificent nos Sacramenta, quæ ſumpſimus*. II. Species panis, & vini ſunt ſigna per ſe realiter diſtincta: ergo non conſtituunt unum ſpecie Sacramentum. III. Ubi eſt diſtincta materia, & forma, ibi ſunt diſtincta ſpecie ſacramenta; ſed in Sacramento Euchariſtiæ ſunt diſtinctæ materia, & forma: ergo ſunt diſtincta ſpecie ſacramenta. De majori non dubitatur, quia materia, & forma ſunt eſſentia phyſica Sacramenti: de minori patet, quia panis, & vinum realiter diſtinguuntur, & forma corporis, & ſanguinis ſimiliter. IV. Multi ſunt Patres, qui Sacramentum Euchariſtiæ vocant unum Panem, & unum vinum; ergo ſignum eſt, quod numero non multiplicantur; & hoc eſt, argumentum Suarez. V. Verbum divinum ſi plures humanitates aſſumpſiſſet, & illis fuiſſet hypoſtathice unitum, ſemper fuiſſet unus numero homo: ergo cum ſit unus numero Chriſtus, licet ſub diverſis ſpeciebus reperiatur, ſemper conſtituit unum numero ſacramentum. VI. Sacramentum euchariſtiæ antequam ad refectionem animæ ſumatur, jam conſiſtit in eſſe ſuo: ergo ante refectionem, & non in ordine ad illam, ſuam habet numericam entitatem. VII. Quando Sacerdos conſecrat, nullam habet intentionem ad unum, vel plures, qui Sacramentum ſuſcepturi ſunt: ergo antecedenter ad refectionem Sacramentum jam eſt in ſua numerica unitate conſtitutum. VIII. Sacramentum Euchariſtiæ eſt ens permanens, refectio autem eſt actio tranſiens; ſed implicat, quod ens permanens conſtituatur in ſua entitate numerica per actionem tranſeuntem: ergo Sacramentum Euchariſtiæ non conſtituitur in unitate numerica per refectionem ſumentium.

Reſpondemus ad I. quod Sacramentum Euchariſtiæ, propter varios reſpectus, modo a Conciliis, modo a Pontificibus, & ab Eccleſia, appellatur unum Sacramentum in ſingulari, & modo plura ſacramenta in plurali: & ſignanter Gelaſius Pontifex illud dicit in plurali, *integra Sacramenta*, ſcilicet propter ſpecies panis, & vini; & modo dicit unum ſacramentum, videlicet *unum*, & *idem Sacramentum*, propter unitatem formalem, & ſpecificam ſignificationis practicæ.

Ad II. Species panis, & vini ſunt ſigna per ſe realiter diſtincta phyſice quidem, & materialiter, non vero formaliter, & moraliter; quia ſic ad unũ Sacramentum ordinantur.

Ad III. Tournely diſtinguit propoſitionem per hæc verba: „ Ubi eſt di-
„ ſtin-

Digitized by Google

„ stincta forma totius in facto esse con-
„ siderati, concedo: ubi est distincta
„ forma partium totius in fieri, nego.
„ Distin. min. At qui in Eucharistia est
„ distincta forma partium in fieri, con-
„ cedo: totius in facto esse, nego. Sa-
„ cramentum enim Eucharistiæ secun-
„ dum esse suum permanens unicam
„ habet formam, nempe vel corpus
„ Christi, vel significationem practicam
„ unius refectionis spiritualis. „

Ad IV. Patres exponi possunt, & de facto exponuntur, de unitate formali specifica, at proinde a Theologis de unitate numerica, & individuali non intelliguntur.

Ad V. Negatur paritas; & disparitas est, quia ad multiplicationem concreti substantivi, qualis est homo, non tantum requiritur multiplicatio formæ substantialis, nempe humanitatis, sed etiam multiplicatio suppositi, seu personæ: unde in hypothesi adducta, quia una foret persona, unus etiam esset homo, licet plures forent humanitates. In Eucharistia tamen Christus non unitur hypostatice cum speciebus. Additur, quod Sacramentum Eucharistiæ non est ens physicum, sed morale; ac proinde non debemus de ipso loqui, sicut de ente physico loquimur.

Ad VI. dicitur, quod supponitur constitutum in esse suo individuali inchoate, & incomplete, non vero perfecte, & complete. Et hoc sic probat: Tournely: „ Si enim Sacerdos plures hostias consecraret, & plures simul uni, & eidem homini daret, non „ censeretur ille plura dare, & alter plura numero accipere sacramenta. Quid ita? quia ante sumptionem non habet suum esse singulare „ completum Eucharistia, sed illud desumitur ex ordine ad unam, vel multiplicem animæ refectionem.

Ad VII. dicitur, quod licet antecedenter, & independenter ab intentione Sacerdotis, tanquam a ratione formali distinctionis, aut unitatis, non repetatur unitas numerica Eucharistiæ, desumitur tamen, tanquam a conditione requisita. Et hoc patet exemplo, quia sicut unitas, aut distinctio numerica partium aquæ petitur ab actione illius, qui partes jungit, aut dividit, tanquam a conditione requisita: ita unitas numerica, vel distinctio Sacramenti petitur, tamquam a conditione, ab intentione Sacerdotis illud destinantis, & distribuentis ad unam, vel plures animæ refectiones.

Ad VIII. Conceditur argumentum, si loquamur de ente physico, quale non est Sacramentum Eucharistiæ; negatur vero, si loquamur de ente morali, quale est hoc ipsum Sacramentum.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXXIII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. An Eucharistia operetur remissionem peccatorum? An a futuris peccatis præservet? An conferat gratiam, & gloriam?

INter Sacramenti Eucharistiæ effectus recensentur a S. Thoma 3. p. quæst. 79. quod per ipsam peccata remittantur, quod a peccatis præservet, & quod gratiam, & gloriam conferat; de his tribus in hac præsenti Dissertatione tractabimus; & quidem primo de remissione peccatorum, tam mortalium quam venialium, quoad culpam, & quoad pœnam: & in hoc pariter loco afferimus errores hæreticorum, & scholasticorum opiniones.

Primo, Lutherus voluit, quod effectus primarius Eucharistiæ sit remissio mortalium peccatorum, ac proinde non requiri ad dignam præparationem communionis, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis; immo quo plurium, & graviorum peccatorum sibi conscius est, eo esse aptiorem ad Eucharistiam. Et ex his infert, quod ad præparationem Eucharistiæ non requiratur, ut homo per confessionem, & pœnitentiam a peccatis justificetur, sed satis esse fidem, qua certo credat, sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda. Porro hunc esse Lutheri errorem, patet ex Lutheri verbis, quæ afferuntur a Bellarmino lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 17. ubi hæc scribit: „ „ Hanc esse Lutheri sententiam patet „ ex multis ejus testimoniis. In Concione de digna præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ, habita anno „ 1518. *Optime*, inquit, *dispositio est, „ non nisi ea, qua pessime est dispositus, „ quando optime est dispositus* Et probat, „ quia Christus etiam in hoc Sacramento non venit vocare justos, sed peccatores: & ibidem suadet, pœnitentiam non agere ante Communionem, „ sed postea. Ibidem dicit esse pernicioſum errorem, si quis accedat nixus ea fiducia, quod sit confessus, & „ quod non sit sibi conscius peccati, & „ quod orationes, & alia præmiserit. „ Hos enim omnes, dicit, in judicium „ accipere corpus Domini, quia his „ præparationibus non fiunt puri, sed „ sed magis polluuntur; fiunt autem „ puri per fidem, quam dicit esse solam, & summam dispositionem. Similia habet in Concione de Confessione, & Eucharistia, habita anno 1519. „ ubi dicit, illum esse aptissimum ad „ Communionem, qui in fœda crimina „ prolapsus est, quæ male afficiunt animum. In lib. de captivit. Babylonica „ capit. de Eucharistia, edito anno „ 1520. *Concludimus*, inquit, *ex omnibus „ his, quibuscunque Missa parata sit, & „ qui digne communicent, nempe soli illi „ qui tristes afflictas, perturbatas, confusas, & erroneas habent conscientias. Nam verbum divinæ promissionis „ hujus Sacramenti, cum exhibeat remissionem peccatorum, secure accedit, qui- „ cunque peccatorum suorum vexatur, „ sive marsia, sive titillatione. „*

Secundo, Martinus Kemnitius in Examine parte secunda sess. 13. cap. 2. & 7. asserit, effectum primarium Eucharistiæ esse remissionem mortalium peccatorum; at subdit etiam requiri ad dignam præparationem Eucharistiæ pœnitentiam, & propositum non peccandi. Apud eundem Bellarmi-

num

num videri poterunt hæretici hujus verba, & implicantiæ, atque pariter mendacia.

Tertio, Calvinus adeo inconstans in hoc est, ut quandoque cum Luthero consentiat, aliquando vero dissentiat ab ipso. Sunt ejus verba lib. 4. Institutionū cap. 17. §. 40. *Cibus hic spiritalis si in animam inciderit, malitia nequitiaq; pollutam, majore illam ruina præcipitat ..... Non enim aliter ac cibus corporalis, ubi ventrem offendit vitiosis humoribus occupatum, ipse quoque vitiatus, & corruptus nocet magis, quam nutriat.* Et §. sequenti oppositum docet his verbis: *Vulgo dum homines ad eam manducandi dignitatem comparare volunt, miseras conscientias torserunt, ac diversarunt diris modis; nec tamen quidquam eorum, quæ in rem essent, attulerunt. Digne manducare eos dixerunt, qui in statu gratiæ essent. In statu vero gratiæ esse interpretati sunt, purum purgatumque omni peccato esse.* Et §. 42. *Ne igitur*, inquit, *in hujusmodi præcipitium ruamus, memineri-mus, has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem, quæ sanis, justis, & divitibus, si qui reperiri possent, nullam afferrent operæ pretium. Nam cum in illis Christus nobis in cibum detur, intelligimus nos sine ipso tabescere, ti qui, deficere, qualiter inedia corporis vigorem extinguit. Deinde cum in vitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis plane mortuos esse.*

Ex quibus omnibus Bellarminus cit. loc. pro sententia catholica explicanda, sequentia colligit, & scribit: „ Jam „ vero Catholica Ecclesia in Concilio „ Tridentino sess. 13. cap. 2. & 7. can. „ 5. & 11. duo docet. Primo, effectum „ Eucharistiæ præcipuum non esse re-„ missionem peccatorum mortalium, „ sed nutritionem animæ, & præserva-„ tionem a peccatis, & alia quæ sequun-„ tur ex augmento gratiæ, & charita-„ tis, quam secum adfert hoc Sacra-„ mentum. Secundo docet, præpara-„ tionem ad Eucharistiam non esse so-„ lam fidem, sed veram pœnitentiam, „ & confessionem peccatorum, si quis „ post Baptismum in peccata mortalia „ lapsus sit. Et quia de aliis effectibus „ Eucharistiæ conveniunt nobiscum ad-„ versarii, ut Kemnitius fatetur, tota „ quæstio ad hunc unum articulum re-„ vocatur; Utrum Sacramentum Eu-„ charistiæ exhibeat remissionem pec-„ catorum mortalium, quorum homo „ conscientiam habet: sive (& est idem) „ Utrum ad digne communicandum „ requiratur, ut homo non habeat con-„ scientiam peccati mortalis? Catho-„ lici enim omnes docent, Eucharistiā „ non remittere ejusmodi peccata, „ quorum homo conscientiam habet, „ & ideo requiri, ut antea purgentur. „ Hæretici autem contrarium sentiunt: „ nec possunt aliter sentire si sequi ve-„ lint principia suæ doctrinæ. Nam illi „ non agnoscunt aliam justificationem, „ quam remissionem peccatorum: non „ enim volunt infundi gratiam, quæ „ hominem reipsa justum coram Deo, „ vel justiorem efficiat. Volunt autem „ Sacramenta omnia esse instrumenta „ justificationis; quare coguntur dice-„ re, Sacramenta omnia remittere „ peccata, eumque esse proprium illo-„ rum effectum. „

Eadem fere habet Tournely quæst. 7. de Sacramento Eucharistiæ, ubi pariter affert opiniones Scholasticorum circa rem hanc, de qua agimus, per hæc verba: „ Omnes Scholæ Catho-„ licæ Magistri concordi suffragio do-„ cent adversus Novatores. 1. Eucha-„ ristiam per se ac directe non remitte-„ re peccata mortalia, ac proinde ne-„ cessariam esse in suscipiente præviam „ sanctificantem gratiam, ut digne, & „ cum fructu ad hoc Sacramentum ac-„ cedat. 2. Peccata venialia remitti „ per illud Sacramentum fatentur, sed „ dissentiunt. 1. an directe saltem, & „ per accidens Eucharistia peccatum „ mortale aliquando remittat, in eo „ v. g. homine, qui re ipsa quidem „ peccati mortalis reus est, sed cujus „ nec conscientiam habet, nec affe-„ ctum, quique bono, ac simplici ani-„ mo præmissa sacramentali Confessio-„ ne, & absolutione, nihil sibi conscius, „ Eucharistiam percipit. Sunt qui af-„ firmant cum Dominico Soto; sunt „ qui negant cum Vasquesio, & aliis, „ quos appellat in 3. par. S. Thom. qu. „ 79. disp. 205. cap. 4. Multi duo ista „ videntur confundere; accedere ad „ sacram mensam cum conscientia pec-„ cati mortalis, & cum affectu ad pec-„ catum mortale: alii vero distinguunt; „ apud quos is dicitur accedere cum „ affectu, qui non detestatur peccatum; „ sed

Digitized by Google

„ ſed potius ad illud afficitur; is autem
„ cum conſcientia, qui cognoſcit ſe
„ reum eſſe peccati mortalis, nec ſuffi-
„ cienter de illo ſe conteri. Utroque
„ in caſu indigne Euchariſtiam percipi
„ fatentur illi.

Secundo ſunt, qui putant per Euchari-
„ ſtiam directe, & per ſe venialia pec-
„ cata remitti: ſunt qui indirecte tan-
„ tum, comitanter, aut conſequenter,
„ quatenus ſcilicet per illud Sacramen-
„ tum excitatur fervor charitatis, qui
„ directe pugnat cum veniali peccato.
„ Tertio ſunt, qui dicunt, intendi quoad
„ ſubſtantiam gratiam habitualem, quæ
„ per Euchariſtiam infunditur: ſunt qui
„ negant, eamque tantum augeri vo-
„ lunt ſecundum robur, ratione ſolius
„ auxilii gratiæ actualis, ut Alenſis a
„ Vaſqueſio citatus in 3. parte quæſt.
„ 79. art. 2. diſp. 203. cap. 1.

Quarto ſunt, qui præter juſtificantem
„ gratiam in ſuſcipiente neceſſariam
„ adhuc aliam ſpecialem diſpoſitionem
„ requirunt ad effectum hujus Sacra-
„ menti; nempe vel devotionem, &
„ attentionem ſpecialem ad hoc Sacra-
„ mentum, vel carentiam peccati ve-
„ nialis in ipſa actuali Sacramenti ſu-
„ ſceptione: ſi enim veniale peccatum
„ committatur in ipſa perceptione a-
„ ctuali Euchariſtiæ, totum Sacramenti
„ fructum deperdi, aſſerunt. Lege
„ Vaſqueſium in eandem partem q. 79.
„ diſp. 206. art. 8. cap. 1. Denique non
„ omnes conveniunt de puncto tem-
„ poris, quo Euchariſtia ſuum in ani-
„ ma effectum producit; an quando
„ in ore recipitur, an quando demitti-
„ tur in ſtomachum, an quando con-
„ ſumitur &c. His ita hiſtorice narratis,
„ ſit. „

Dicimus 1. Sacramentum Euchariſtiæ non remittere per ſe ac directe peccatum mortale, ac proinde non producere directe & per ſe primam ſanctificantem gratiam; ſed hanc præſupponi in ſuſcipiente.

I. probatur ex Scripturis. Sacræ paginæ manifeſte docent, quod in ſuſcipientibus Euchariſtiam debeat eſſe prævia animæ puritas, ac ſanctitas: ergo Euchariſtia ex ſe, ac directe non eſt inſtituta ad tollendum peccatum mortale & ad producendam primam gratiam ſanctificantem. Probatur antecedens. Joannis XIII. Chriſtus lavit pedes Diſcipulorum paulo antequam eis daret corpus, & ſanguinem ſuum, & per hoc munditiem animæ indicavit. Inſuper Matt. 22. punitur, qui ad convivium nuptiale, per quod Sacramentum euchariſticum figuratur, ſine veſte nuptiali acceſſerat: unde Rex convivii dixerat: *ligatis pedibus, & manibus mittite eum in tenebras exteriores.* Præterea Matt. 7. Chriſtus dixit. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Et tandem 1. Corin. 11. „ Probet autem ſeipſum
„ homo, & ſic de pane illo edat, & de
„ calice bibat. Qui enim manducat,
„ & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus
„ Domini. „

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus epiſt. 82. alias 91. *Mediator Dei, & hominum, Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Eadem habet ſerm. 2. de Reſurrectione. Gregorius Magnus lib. 2. cap. 1. in lib. primum Regum hæc ſimiliter docet.

III. Probatur ex Conciliis, quæ docent ab Altari ſemovendos, ac ſeparandos olim fuiſſe illos, qui propter criminum enormitatem luctuoſam agebant pœnitentiam. Et ſunt Concilium Illiberitanum can. 78. & 79. Concilium Ancyranum can. 4. 5. & 7. Concilium Nicænum can. 11. Concilium Arauſicanum 1. can. 3. Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Salvator noſter) *Sacramentum hoc, tanquam ſpirituale animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, ideoque ſymbolum unius illius corporis, cujus ipſe caput extitit, cuique nos, tamquam membra, arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione, adſtrictos eſſe voluit, ut idipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.* Et can. 5. ejuſdem ſeſſionis. *Si quis dixerit, vel præcipuum effectum ſanctiſſimæ Eu-*

charistiæ esse remissionem peccatorum, vel ab ea non alios effectui provenire, anathema sit. Hoc ipsum Liturgiæ Græcorum docent, in quibus clamabant Diaconi: *Sancta Sanctis*: per quæ verba non arcebantur ab Altari soli Catechumeni, ut somniabat Kënitius, sed omnes peccatores, ut testatur Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochenum.

IV. Probatur ex Patribus. Justinus Martyr in Apologia 2. prope finem: *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi*. Cyprianus lib. 3. epist. 14. reprehendit illos, qui ad Eucharistiam admittebant peccatores, qui non erant dum absoluti, & dicebat: *Nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi, nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*. Addit Bellarminus citat. loc. quod similia habet in epistol. 15. & 16. & in toto lib. de lapsis; ubi & verbis, & exemplis ostendit, quam perniciosum sit ad Eucharistiam accedere cum conscientia peccati lethalis. Basilius lib. 2. de Baptis. toto cap. 3. cui hunc præfixit titulum: *An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis, & spiritus, edat corpus Domini*. Ambrosius lib. 6. in Luc. cap. 37. exponens cap. 9. *Ubique mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; postea alimonia mensæ cœlestis exuberet*. Et lib. 7. cap. 66. in Commentario cap. 15. Luc. ubi exponit parabolam de filio prodigo, & asserit, non debere ullum ad Eucharistiam accedere, nisi signaculum justitiæ custodierit, vel acceperit. Addit pariter Bellarminus: „ Deinde etiam facto „ idem probavit: cum Theodosium „ Imperatorem non admisit post cæ„ dem quandam factam Thessalonicæ, „ ad Communionem, nisi publica pœ„ nitentia peracta, & peccato plane „ purgato. Cujus rei meminit ipse in „ epist. 28. ad Theodosium, ubi hortatur illum ad pœnitentiam; & in „ oratione de obitu ejus pœnitentiam „ laudat. Scribit etiam totam histo„ riam Theodoretus, lib. 5. cap. 17. „ & Sozomenus lib. 7. cap. 24. & Pau„ linus in vita B. Ambrosii. „ Hieronymus homil. 3. in epist. ad Ephesios. *Cum totali puritate accede semper; sine hac ne præsumas unquam. Regem utique non audeas osculari, siquidem os tuum olet graviter, & Regem cœlorum impudens oscularis anima tua viciis olente*. Augustinus tractat. 26. in Joan. *Quam multi de altari accipiunt, & acoipiendo moriantur? ..... Non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiâ ad altare apportate*.

V. Probatur Rationibus. I. Sacramentum, quod supponit vitam spiritualem, illam directe non confert; sed Sacramentum Eucharistiæ supponit vitam spiritualem: ergo illam directe non confert. Minor probatur ex illo Joann. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; Quæ verba indicant, Sacramentum Eucharisticum esse alimentum spirituale, adeoque vitam spiritualem animæ supponere, sicut alimentum corporale supponit vitam corporis. II. Communiter inter Theologos admittitur distinctio inter sacramenta, quæ dicuntur vivorum, & inter sacramenta, quæ dicuntur mortuorum; sed priora ideo sic dicuntur, quia supponunt vitam in suscipientibus, ut sunt Eucharistia, Confirmatio, Ordo &c. posteriora vero sic dicuntur, quia conferunt mortuis priorem gratiam sanctificantem, & propterea sunt instituta ad peccata tollenda, ut sunt Baptismus, & pœnitentia: ergo &c. III. Antiqua fuit Ecclesiæ consuetudo, ut daret Neophytis Eucharistiam, immediate post Baptismum; sed hoc ostendit, quod Neophyti per Baptismum reperiebantur ab omni labe abluti, & per consequens per Eucharistiam remissionem peccatorum non recipiebant: ergo &c. Argumentum habet robur apud Ambrosium in lib. de iis, qui initiantur mysteriis; & apud Cyrillum Hierosolimitanum in Catechesibus mistagogicis, & in ipso etiam usu Ecclesiæ, qui etiamnum perseverat. IV.

Qui

Digitized by Google

Qui debet probare se ipsum antequam ad Sacramentum Eucharistiæ accedat, per hoc ipsum Sacramentum primo & per se non probatur; sed qui ad Sacramentum Eucharistiæ accedit, ex Apostolo debet probare seipsum antequam ad illud accedat: ergo &c. Et hoc eo magis vim habet, quia si seipsum non probat, manducat, & bibit indigne, adeoque sibi judicium manducat: ergo ne manducet, & bibat indigne, debet antequam accedat probare seipsum: ergo antecedenter ad Eucharistiam probatur: ergo primo & per se non probatur per Eucharistiam.

Dicimus II. Eucharistiam per se, ac directe remittere peccata venialia; indirecte vero, & per accidens remittere mortalia.

I. Conclusionis pars I. probatur. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. docet, quod Christus instituit sacramentum Eucharistiæ: *tanquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservamur*; sed per culpas quotidianas intelliguntur peccata venialia: ergo Eucharistia per se, ac directe peccata venialia remittit.

II. probatur S. Ambrosius, vel quisquis alius est Author operis de Sacramentis, quod sub ejus nomine circumferetur, lib. 5. cap. 4. scribit: *Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est cœleste, ac venerabile Sacramentum*. Insuper inquit: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium infirmitatis quotidianæ*. Quæ verba sic explicat Witasse quæst. 6. art. 1. „ „ & sane Eucharistia ex se charitatem „ Dei in animo auget, & inflammat: „ Fervor autem charitatis expellit pec„ cata venialia, quæ ei opponun„ tur. „

III. probatur. Augustinus epist. 54. alias 118. cap. 3. proponit hanc regulam, ex qua conclusio nostra deducitur, dicens: *Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina dominici corporis separare*. Ad quæ addit Tournely: „ Quotidianam „ appellat medicinam, quia quotidianis „ morbis, seu peccatis venialibus sa„ nandis destinata est. „

IV. Probatur ratione, quam sic proponit citatus Tournely: „ Est quippe „ instituta per modum cibi: quemad„ modum autem necessarius est cibus „ corpori ad restaurandum id, quod „ quotidie deperditur per actionem ca„ loris naturalis, ita necessarius est spi„ ritualis animæ cibus, quo reparatur „ quidquid per calorem concupiscen„ tiæ ex ardore charitatis imminuitur. „ Unde S. Thom. observat, ex duplici „ capite remitti peccata venialia in „ Eucharistia. 1. Immediate, & dire„ cte per ipsum Sacramentum, quod „ sumitur, sub specie cibi nutrientis. „ 2. Mediate per rem Sacramenti, „ nempe fervorem charitatis, qui cum „ pugnet cum veniali peccato, ipsum „ tollit. „

De secunda Conclusionis parte satis egimus in par. 6. dissert. 319. in qua fuso calamo loquuti fuimus de principaliori Sacramentorum effectu, qui est gratia, & diximus, atque probavimus, sacramenta mortuorum per se caussare primam gratiam; sacramenta vero vivorum per se non caussare. Insuper illa posse per accidens caussare secundam, & hæc per accidens posse causare primam; Ad quam Legentes remittimus.

Remanet modo, ut ad alias duas dissertationis partes occurramus, & sunt, an Eucharistia a futuris peccatis præservet? Et an conferat gratiam, & gloriam?

Dicimus III. Eucharistiam præservare hominem a peccatis futuris.

I. Probatur ex Scripturis. Joan. 6. habetur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; atqui cum peccato mortali anima non potest vivere, nec vitam æternam habere: ergo &c. Subdit S. Thom. quod verba illa Christi nequeunt de vita corporali intelligi; unde necessario intelliguntur de preservatione a morte spirituali, quæ infertur animæ per peccatum lætale. In eodem Joann. loco Christus facit comparationem mannæ cum Eucharistia, & dicit: *Patres vestri manducaverunt monna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso mandecaverit, non moriatur*. Pariter Psal. 22. legitur: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus omnes, qui tribulant me*; quæ verba exponens Chrysostomus, inquit: *tanquam leones ignē*

spirantes, ab illa mensa recedimus, facti diabolo terribiles.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginense scribens ad Cornelium Papam verbis Sancti Cypriani, ait: *Quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Eucharistiæ, ut possit accipientibus esse tutela; quos tutos esse contra adversarios volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus.* Concilium Florentinum sub Eugenio IV. dicens: *Omnem effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem... Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem. Sicuti ergo cibus, & potus materialia restaurant amissa, causant humores bonos, & noxios expellunt; ita spirituales cibus, & potus passiones noxias minuunt, ac expellunt, bonas, & salubres cogitationes, affectionesque excitant, quibus libere assentiendo, & cooperando homo liberetur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservetur.* Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. vocat Eucharistiam *antidotum, quo a peccatis mortalibus præservamur.*

III. Probatur ex Patribus. Ignatius Martyr in epist. ad Ephesios: *Studete frequenter accedere ad Eucharistiam, & Dei gloriam: quando enim hoc ipsum assidue agitur, expelluntur Satanæ potestates, qui suos actus convertit in sagittas ignitas ad peccatum.* Cyprianus lib. de Lapsis. *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eo prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communionis admittimus?* Ambrosius serm. 8. in psal. 118. *Moyses agnum immolavit, ut manducantes eum non occuparentur (idest non circumvenirentur) Exterminatoris insidiis, ne inermes, & vacuos spiritualis alimenti, nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent. Præveni, & insidias tentatoris; instaura prius cœleste convivium: Adveniendum in Ecclesiam, celebranda oblatio: Tunc paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est postulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. Suscipe Dominum Jesum tuæ mentis hospitio; ubi corpus ejus, ibi Christus est: Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum, cœlestis fulgore præsentiæ intelligens locum tentamentis suis interclusum per Christum esse, fugiet &c.* Augustinus lib. octoginta trium quæstionum quæst. 36. *nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis*: Unde quia per Eucharistiam charitas enutritur, cupiditas etiam diminuitur, & per consequens a peccatis homo præservatur.

IV. Probatur. Rationibus I. Per Eucharistiam vita animæ roboratur, per peccatum destruitur: ergo Eucharistia præservat nos a peccatis. II. Dæmones occidunt animam per peccatum; sed Eucharistia Dæmonibus resistit: ergo a peccato nos liberat. III. Eucharistia auget animæ vires ad pugnandū; sed anima non pugnat, nisi cum peccato, & cum peccati authore: ergo &c. IV. Martyres, quia natura debiles erant, facti sunt fortes ut tyrannis resisterent; sed hoc propter Eucharistiam: ergo Eucharistia dat vires ad resistendum: unde Bernardus serm. de cœna Domini. *Quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut sicuri sitis; Sacramenti dominici corporis, & sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.*

Dicimus IV. Eucharistiam conferre gratiam, & gloriam.

I. Conclusionis pars I. probatur. Et quidem de gratia sanctificante probatum supponibus in superius dictis. De gratia vero sacramentali, quæ consistit in eo, quod Eucharistia faciat in anima, quod facit in corpore

cibus

cibus materialis ; nempe ut vires animæ augeat, reparet, sustentet, & animam ipsam delectet, supponimus quoque antecedenter dictum, atque probatum.

II. Probatur ; quia, ut ait Witasse, hæc gratia est tum habitualis, tum actualis, & cujus appendix sit jus quoddam ad specialia auxilia pro tempore habenda ; & hanc vult conferri per Eucharistiam ex communi Doctorum Ecclesiæ consensu, qui illud deducunt ex illis Christi Domini verbis Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

III. Probatur ex Patribus. Cyrillus lib. 4. in Joann. *Necessario vivificans Dei verbum uniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam vivificativam. Decebat ergo cum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ejus carnem, & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane, & vino.* Augustinus tract. 26. in Joan. *Qui vult vitam, habet ubi vivat, habet unde vivat ; accedat, credat, incorporetur, vivificetur.*

IV. Probatur. Rationibus S. Thom. 3. part. quæst. 79. art. 1. quas affert Jueninus quæst. 7. de effectibus Sacramenti Eucharistiæ cap. 1. art. 1. & hæ sunt. „ Par est, ut Christus eundem „ effectum operetur cum invisibiliter „ in hominem per Sacramentum venit, „ quem operatus est, cum in mundo „ visibiliter apparuit ; contulit vero „ tunc gratiæ vitam ; eam igitur & „ nunc existens in Sacramento operetur, oportet. *Respondeo dicendum* „ (inquit S. Doctor 3. part. quæst. 79. „ art. 1. *Quod effectus hujus Sacramenti* „ *debet considerari primo quidem, &* „ *principaliter ex eo, quod in hoc Sacramento continetur, quod est Christus,* „ *qui sicut in mundum visibiliter veniens,* „ *contulit mundo vitam gratiæ, secundum* „ *illud Joannis* 1. (*Gratia, & veritas* „ *per Jesum Christum facta est*) *ita in* „ *hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur secundum illud Jo-* „ *annis* 6. *Qui manducat me, vivet propter me.* 2. Christi passio per Eucha- „ ristiæ Sacramentum ad vivum repræ- „ sentatur, cum (ut suo loco diximus) „ verba, quibus consecratur, sint sicut „ gladius, qui sanguinem a Christi cor- „ pore veluti separet; itaut vi eorum, „ quibus panis benedicitur, solum cor- „ pus ponatur sub specie panis, & vi „ aliorum, quibus calix consecratur, „ solus sanguis sub vini specie reperia- „ tur ; convenit igitur ut Eucharistia „ eum effectum operetur in homine, „ quem passio in mundo quondam ope- „ rata est, seu ut gratiam conferat, quam „ illa merita est ; *Secundo* (ait Ange- „ licus Doctor) *consideratur ex eo, quod* „ *per hoc Sacramentum repræsentatur* „ *quod est passio Christi .... & ideo effe-* „ *ctum, quem passio Christi fecit in mundo,* „ *hoc Sacramentum facit in homine.* „ Confirmat authoritate Chrysostomi, „ qui asserit SS. Sacramentum esse oris „ ad instar, quo fideles profluentem ex „ Christi latere sanguinem, ac proinde „ gratiam sugant, *Unde super illud Jo-* „ *annis* 19. (*Continuo exivit sanguis, &* „ *aqua*) *dicit Chrysostomus, quia hinc* „ *suscipiunt principium sacra mysteria* „ *cum accesseris ad tremendum calicem,* „ *ut ab ipsa bibiturus costa, ita accedas,* „ *unde & ipse Dominus dicit: Hic est* „ *sanguis meus, qui pro vobis effundetur* „ *in remissionem peccatorum.* 3. Cum ex „ corporeis ad spiritualia mens, ut plu- „ rimum, assurgat, ex pane, & vino, „ sub quorum speciebus corpus Christi „ continetur, discamus oportet, quæ „ eucharistia in fidelibus operetur: Ergo „ cum vitæ corporeæ respectu, panis, „ & vinum nutriant, augeant, dele- „ ctent ; Eucharistia ad vitam spiritua- „ lem comparata alit, fovet, ac vege- „ tat, fidelem. *Tertio consideratur* (in- „ quit S. Thom.) *effectus hujus Sacra-* „ *menti ex modo, quo traditur ; per mo-* „ *dum nempe cibi, & potus : & ideo om-* „ *nem effectum, quem cibus, & potus* „ *materialis facit quantum ad vitam cor-* „ *poralem* (*quod scilicet sustentat, auget,* „ *reparat, delectat,*) *hoc totum facit hoc* „ *Sacramentum quantum ad vitam spiri-* „ *tualem.* Unde Ambrosius dicit in lib. „ de Sacramentis : *Iste est panis vitæ* „ *æternæ, qui animæ nostræ substantiam* „ *sulcit ..... & ipse Dominus dicit Jo-* „ *an.* 6. *Caro mea vere est cibus, & san-* „ *guis meus vere est potus.* 4. Tandem „ S. Thomas gratiam hoc Sacramento „ conferri ex eo colligit, quod fideles „ mutuo inter se charitatis vinculo o- „ bliget, ita ut unum spiritu sint in „ Christo, & unum cum eo corpus effi-

ciant;

Digitized by Google

„ ciant ; ea vero charitas sine gratia, „ cui suam debeat originē, concipi mi- „ nime potest. *Quarto consideratur ef-* „ *fectus hujus Sacramenti ex speciebus,* „ *in quibus traditur hoc Sacramentum.* „ *Unde Augustinus dicit ; Dominus na-* „ *ster corpus, & sanguinem suum in eis* „ *rebus commendavit, quæ ad unū aliquid* „ *rediguntur, ex multis: namq; aliud, scili-* „ *cet panis ex multis granis in unum con-* „ *stat; aliud, scilicet vinū ex multis acinis* „ *confluit; & ideo ipse alibi dicit super Jo-* „ *annem, o Sacramentum pietatis, o signum* „ *unitatis, o vinculum charitatis. Et quia* „ *Christus, & ejus passio est causa gratiæ,* „ *& spiritualis refectio, & charitas sine* „ *gratia esse non potest, ex omnibus præ-* „ *missis manifestum est, quod hoc sacra-* „ *mentum gratiam confert.* „

II. Conclusionis pars I. probatur. Gloria importat adoptionem æternæ vitæ ; sed adoptio æternæ vitæ est proprius Eucharistiæ effectus : ergo gloria est Eucharistiæ effectus. Minor probatur ex verbis Christi apud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

II. probatur. Gloria importat, & corporis gaudium, & animi felicitatem; sed Eucharistia operatur utrumque : ergo &c. Minor probatur verbis Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Joann. cap. 2. *Fieri prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem non superet, ac vincat mortem. Proinde licet mors, quæ per prævaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat : tamen quia Christus per suam ipsius carnem in nobis est, omnino resurgemus ; incredibile enim est, imo vero impossibile ; ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet : quemadmodum enim scintillam multis paleis inserimus, ut semen ignis servemus : sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam ingerit, ac velut quoddam semen immortalitatis inserit, quod totā, quæ in nobis est, corruptionem abolet.*

III. probatur. Communi calculo Patres docent, quod Christus ideo carnem suam nostræ carni commisceri voluit, ut ei inderet vim, ac jus ad gloriosam immortalitatem ; sed hoc ipsum importat, quod æterna gloria sit Eucharistiæ effectus : ergo &c. Major est doctrina Irenæi, Cyrilli Alexandrini, & aliorum apud Witasse.

Objiciunt I. Christus in genere, & universaliter dixit, quod non venerit vocare justos, sed peccatores ; quod confirmavit Matt. 9. dicens : *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus* ; quod & exemplo confirmavit, quia cum peccatoribus familiariter agebat. II. Christus pariter Matt. 26. dixit : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum* ; & oratio, quam dicit Sacerdos in Missa, Ecclesiæ nomine, hoc ipsum confirmat : *Hæc nōs communio, Domine, purget a crimine. Purificent nos quæsumus Domine Sacramenta, quæ sumpsimus, & præsta, ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam : sit ablutio scelerum ; sit vivorum, atque mortuorum remissio omnium delictorum.* III. Non pauci, qui Eucharistiam suscipiunt, gravissima crimina committunt : ergo non est verum, quod Eucharistia a futuris peccatis præservet. IV. Non tolluntur per charitatem peccata, quæ non sunt contraria charitati : ergo non tolluntur per charitatem, quæ infunditur per Eucharistiam. V. Si Eucharistia tolleret peccata venialia, redderetur falsum, quod dicitur in prima epistola Joan. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* ; sed hoc dici non potest : ergo Eucharistia venialia non tollit. VI. Eucharistia non tollit affectum ad peccata venialia : ergo non tollit peccata venialia ; qui enim non recidit radicem, non disperdit ramos ; & qui non exsiccat fontem, rivulos non dissipat.

Respondemus ad I. Quod Christus loquitur de vocatione ad Euangelium, non de invitatione ad Eucharistiam ; & quidem illi, qui non vocantur ad fidē peccatores supponuntur, & ideo ad fidem perducuntur, ut justi fiant. Insuper, Christus cum Peccatoribus familiariter agebat, ut eos ad pœnitentiam perduceret ; at Apostolos volens Eucharistia reficere, eos primo vocavit, virtutibus locupletavit, & denique eisdem pedes lavit, ut mundiores redderet.

Ad

Digitized by Google

Ad II. dicitur, quod habetur in forma consecrationis, quod sanguis Christi effundendus quidem erat in remissionem peccatorum, non autem bibendus. Et quod taliter sit effusus, certum ex fide habemus; at non ex fide habemus, quod taliter etiam bibatur. Pro precibus autem Ecclesiæ hæc reponit Tournely: „ Ad preces Ecclesiæ, dico 1. eas posse recte intelligi de Eucharistia ut est sacrificium, „ quod quidem offertur non pro justis „ modo, sed & pro pœnitentibus, quibus nondum remissa sunt peccata, & „ imo & pro impiis, ut nempe dignetur divina misericordia eis gratias „ dispensare, quibus suam cœcitatem, „ & impietatem deponant. Ita Conc. „ Trid. sess. 22. cap. 2. Nec obstat, quod „ in illis precibus Eucharistia dicatur „ *Sacramentum* : notum quippe est, „ veteres communi nomine Sacrificiū, „ & Sacramentum appellasse: *Notum est*, „ inquit S. Augustinus lib. de sancta „ virginitate cap. 45. *Quo loco Martyres, & quo defunctæ sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur*, ubi certe Sacramentum pro sacrificio ponitur. Deinde, etiam in ratione Sacramenti dici potest Eucharistia instituta in remissionem peccatorum: tum „ quia delet venialia, tum quia prodest „ ad relaxionem pœnæ temporalis, „ quæ peccatis mortalibus debita est. „

Ad III. Respondet S. Thom. per hæc verba : *Ad primum ergo dicendum, quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem : sicut contingit de qualibet causa activa, quod ejus effectus recipitur in materia secundum modum materiæ. Homo autem in statu viæ est hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum, & malum : unde licet hoc Sacramentum quantum est de se, habeat virtutem præservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.*

Ad IV. Tournely dicit, quod peccata venialia non adversantur quidem charitati, quantum ad ejus habitum, atque substantiam, quia simul cohærere possunt in eodem subiecto; sed adversantur quantum ad fervorem, & intensionem actus, qui excitatur per Eucharistiam. Ratio autem est, quia peccata venialia, quanvis non sint contra charitatem, sunt tamen præter charitatem; adeoque ipsam enervant, atque refrigerant; hoc vero est quidem malum in suo genere, & hoc per Eucharistiam reparatur.

Ad V. Idem Tournely hæc reponit : „ „ Non sic intelligendus est S. Joann. „ quasi vellet, non posse hominem „ per aliquod vitæ intervallum omni „ peccato veniali carere, sed tantum „ quia vitam hanc non ducunt Sancti „ sine peccatis venialibus; adeo quippe „ infirma est, & ad lapsum proclivis „ nostra mortalitas, ut diu stare non „ possit. „

Ad VI. dicitur, quod qui ad Eucharistiam accedit, debet omnino deponere affectum ad venialia; & si cum hoc affectu ad Eucharistiam accedit, & ipsam sumit, sacrilege communicat. Eucharistia autem juvat, ut hunc affectum deponat, & per hanc depositionem ad Eucharistiam cum fructu suscipiendam se disponat.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXXIV.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. Quinam sint obices, qui ad impediendos Eucharistiæ effectus poni possunt? Quo temporis momento Eucharistia suos effectus operetur?

INter obices, qui effectus Sacramenti Eucharistię impediunt, adnumeratur, affectus ad peccata venialia; pro quo scire oportet, quod in quolibet peccato veniali distingui debent reatus, & affectus. Reatus invenitur in justis, qui non purgarunt leves noxas, aut per sacramenta, aut per pia opera: affectus reperitur in illis, qui sibi adhuc conplacent de illis levibus noxis, & ab eis se emendare non statuerunt. Reatum conveniunt Theologi nihil obstare sacræ communionis effectibus, ac proinde potest contingere, quod ait Jueninus, ut quis post admissa pleraque venialia, ea pietate, & charitate ad sacramentum accedat, ut plenarie, juxta S. Thom. illius effectum consequatur. Igitur quæstio est tantum de affectu ad peccatum veniale; an scilicet deponi necessario debeat ad hoc ut Eucharistia effectus suos in communicantibus operetur? Præterea inquiritur, an peccata venialia, quæ sæpius deliberate committuntur, inducere possint periculum communionis indignæ?

Dicimus I. Peccati venialis affectum impedire eucharisticæ communionis effectum: & peccata venialia, sæpius deliberate perpatrata, inducere indignæ communionis periculum.

I. Conclusionis pars I. probatur. S. Th. 3. part. quæst. 80. art. 8. docet: *Peccata venialia dupliciter accipi possunt; uno modo prout sunt præterita; alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti.. .. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, sed in parte. Dictum est enim quod effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis: sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.*

II. Probatur. Ubi est charitatis diminutio, & cupiditatis augmentum, ibi minor est Eucharistiæ effectus; sed ubi est venialium amor, ibi est charitatis diminutio, & cupiditatis augmentum: ergo ibi est minor Eucharistiæ effectus. Argumentum fundatur in Augustino, qui docet, incrementum cupiditatis esse decrementum charitatis; & incrementum charitatis esse decrementum cupiditatis. Fundatur etiam in S. Thom. qui docet, majorem, vel minorem Eucharistiæ effectum, desumi ex charitatis gradibus, vel crescentis, vel decrescentis.

II. Conclusionis pars I. probatur ex August. qui serm. 224. loquens de iis, qui matrimonio abutuntur, hæc scribit. *Sed dicis peccatum quidem est, commisceri cum conjuge solius voluptatis causa, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum*

Digitized by Google

tum est. Sed tamen si frequentius exerceatur, & jejuniis, vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt. Nam & pluviarum guttæ sunt, vel flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas, aut scissuras in vestibus tuis fieri velis .... Cum enim ad imaginem Dei facti simus, quoties aliquid turpe, aut loquimur, aut facimus, toties Dei imaginem sordidamus .... vere dico vobis, Fratres charissimi, quia non hoc Deus de nobis meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias injuriam patiatur. Et cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio qua conscientia, cum anima per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud, quod Apostolus dixit, Qui enim manducat corpus, & sumit sanguinem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Si erubescimus, ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere; plus debemus timere ipsam Eucharistiã intus in anima polluta suscipere.

II. Probatur ex Gregorio Magno lib. 2. in 1. Regum cap. 1. *Qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sint peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis ..... Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & calice bibat. Quid est enim hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia, se probatum ad dominicam mensam, & purum exhibere?* .....

III. Probatur ex S. Bonaventura, qui lib. de præparatione ad Missam hæc scribit: *Proba te ipsum ex quanta charitate, & quali fervore accedis. Non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam, & etiam multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis, quæ licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum, nisi dictæ pulveres & stipulæ venialium per afflatum spiritus, & flammam charitatis ventilentur, & consumantur, exardescente igne cordis, & ex consideratione propriæ utilitatis. Idea cave ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconsideratus, quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte, & considerate.*

Opponunt I. Alexander VIII., Romanus Pontifex, damnavit hanc propositionem: *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*; Sed illi, qui nullum habent affectum ad venialia, habent amorem Dei purissimum, & omnis mixtionis expertem; ergo non exigendum est, ut affectum ad venialia non habeant, qui communicant, ne damnatæ opinionis censura incurratur. II. Nec etiam exigendum est a Pœnitentibus, ut antequam ad Eucharistiam accedant pro peccatis condigne satisfaciant; sed hoc est carere affectu ad venialia: ergo &c. Major patet ex propositione damnata ejusdem Alexandri VIII. in qua dicitur: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* III. Augustinus epist. 118. ad Januarium cap. 3. ait: *Hoc est indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam*; sed potest agere pœnitentiam, qui affectum ad venialia habet: ergo indigne non accipit. IV. Digna præparatio ad communionem est sanctitas; unde antiquitus Diaconi dicebant communicaturis, *Sancta Sanctis*; quæ verba hoc pacto explicat Chrysostomus hom. 17. in epist. ad Hebreos: *Si quis non est sanctus, non accedat: non solum, inquit a peccatis purus, sed etiam sanctus: sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum copia. Non solum, inquit, volo vos a cœna esse liberatos, sed esse & speciosos. Nam si Rex Babylonius juvenes eligens ex captivitate, elegit pulchros specie, & vultu decoros, multo magis eos, qui adstant mensæ regiæ, pulchros esse oportet specie animæ. Mundum habentes aureum, mundum vestimentum, regales calceos, formosum animæ vultum, cingulum veritatis.*

Respondemus ad I. utique verum esse,

non requiri ad digne accedendum ad sacram synaxim, ut sit quis ab omni amore terreno defæcatus, & in solo Deo absorptus; rara enim est hujusmodi puritas, & vitæ innocentia; & in hoc sensu intelligenda est propositio ab Alexandro VIII. damnata. Attamen carere affectu ad venialia tantam non complectitur, & magnâ, & gravem, obligationem; adeoque Conclusio nostra in damnata propositione non continetur.

Ad II. dicitur, quod non deponere affectum ad venialia non est de præteritis criminibus pœnitentiam agere, sed est continuare peccatum; quod cum pœnitentia, quæ includit propositum non peccandi de cetero, componi vix potest.

Ad III. loquitur Augustinus de pœnitentia, per quam tollitur reatus culpæ, non solus reatus pœnæ; sic ait Hennus, qui subdit; „ Unde vult, „ indigne communicare illum, qui antequam absolvatur a peccato, præ„ sumit ad Eucharistiam accedere. Hoc „ totum evidentissime patet ex S. Isi„ doro Hispalensi, sic ipsius mentem „ lib. 1. de offic. Eccl. cap. 18. expo„ nente: *Si talia sunt peccata, quæ quasi* „ *mortuum* (nota) *removeant ab Altari,* „ *prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde* „ *ad hoc salutiferum medicamentũ suscipiendum. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat,* „ *& bibit. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet* „ *agere pœnitentiam*, Vel certe loquitur Augustinus de eo, qui ob peccatum publicum tenetur ante communionem ex præcepto pœnitentiam „ publicam agere. „

Ad IV. dicitur, quod ob hoc ipsum, per quod requiritur sanctitas ad dignam communionem, requiritur etiam ut non adsit nec affectus ad venialia, nec frequentia venialium, quæ deliberate committuntur; & per quod periculum incurritur proximũ quidem, & probabile, ut quis ad mortalia dilabatur; & huc collimant verba Chrysostomi citata.

Alter obex poni potest Eucharistiæ effectibus per defectum attentionis, quando sacra communio percipitur. Et in hoc tres sunt opiniones, una Cajetani, altera Dominici Soto, & tertia Vincentii Contensonii. Cajetanus vult, quod actualis attentio adeo sit necessaria, ut sine ipsa Sacramenti effectus non obtineatur; obtineatur tamen, si deinde post sumptionem Sacramenti attentio superveniat. Dominicus Soto ex adverso vult, sine qualibet actuali attentione consequi augmentum gratiæ habitualis, qui est effectus primarius Sacramenti: & per attentionem supervenientem nullum produci effectum. Contensonius distinguit triplicem evagationem mentis, scilicet naturalem, seu involuntariam, quæ est sine culpa; venialem, quæ oritur ex negligentia, quæ venialis est, nec expressa voluntate suscipitur: Tertiam vero de industria, & expressa voluntate, vult quidem esse susceptam, sed quod ex objecto sit venialis. Ex his asserit, primam non impedire Sacramenti effectum, secundam impedire effectum minus præcipuum, ineffabilem scilicet dulcedinem &c. & tertiam impedire omnes effectus.

Dicimus II. per distractionem, quæ sit naturalis, & venialis, non impediri præcipuum Sacramenti effectum; per distractionem vero, quæ sit expresse voluntaria, impediri.

I. Conclusionis pars I. probatur. Non frustratur augmento gratiæ habitualis, qui distractus ad Sacramentum accedit per S. Thom. ergo per eam distractionem non impeditur primarius Sacramenti effectus. Antecedens probatur ex verbis S. Thom. quæ hæc sunt: *Si aliquis accedat ad Sacramentum per peccata venialia mente distracta, non tollitur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis.*

II. Probatur. Prioribus Ecclesiæ seculis Eucharistia dispensabatur infantibus, amentibus, & aliis, qui actuali usu rationis carebant: ergo non putabant majores nostri esse necessariam actualem attentionem.

II. Conclusionis pars probatur etiam; tum quia dulcedo consistit in actu gustationis; actus autem gustationis nequit esse sine actuali attentione: tum etiam, quia distractio hæc non continet gravem irreverentiam erga sacramentum, nec vitam spiritualem extinguit; ergo non impedit nutritionem saltem habitualem.

III. Conclusionis pars probatur quoque; tum quia distractio hæc continet gravem

Digitized by Google

vem irreverentiam erga ſacramentum; tum etiam, quia importat contemptum ſacramenti, qui licet ex objecto ſit leve peccatum, ratione tamen circumſtantiæ eſt multum grave; tum denique, quia S. Bonavent. in brevi loquio par. 6. cap. 9. docet: *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu, non in ventre, ſed in mente; & mens Chriſtum non attingit niſi per cognitionem, & amorem, per fidem, & charitatem, ita quod fides illuminet ad recognitionem, vel recordationem, & charitas inflammet ad devotionem; ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod ſpiritualiter comedat, & ſic Chriſtum per recordationem fides maſticet, & per devotionem amoris ſuſcipiat, per quæ non in ſe transformat Chriſtum, ſed ipſe potius trajiciatur in ipſum myſticum corpus. Per quod manifeſte colligitur, quod qui tepide, indevote, & inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat, & bibit, quia tanto Sacramento contumeliam facit.*

Obſtant I. Venialis diſtractio, ſi committatur ante Euchariſtiæ ſumptionē, tollit totum & adæquatum Euchariſtiæ effectum, ex S. Thom. in 4. diſtinct. 2. quæſt. art. 1. quæſt. 3. ubi ſic loquitur: *Cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, oportet, quod adſit actualis devotio. Et quia interdum abſque mortali peccato actualis devotio impediri poteſt, cum diſtractiones variæ ipſam impediant, & peccata venialia virtutum actus tollant; abſque peccato mortali poteſt effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non conſequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, ſed forte reatum venialis peccati ex hoc quod imparatus accedat.*

II. Idem S. Thom. dicit, alimenta, quæ propter ſtomachi debilitatem non nutriunt, non ſemper eſſe venena, quæ mortem inferant: ergo pariter credit uſum Euchariſtiæ, quem attentio non comitatur, poſſe carere omni effectu, quamvis non ſit peccatum mortale.

Reſpondemus ad I. cum Juenino, quod S. Thom. ſenior factus retractavit in Summa, quod junior ſcripſit in Sententias. Nec bene dicit Contenſonius, quod S. Thom. loquatur de diſtractione naturali; quia S. Doct. expreſſe loquitur de ea diſtractione, quæ ex peccatis venialibus oritur: & hæc ſunt ejus verba: *Quæ quidem*, refectio ſpiritualis, *impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus, non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis.*

Ad II. eadem eſt reſponſio.

Denique idem Jueninus in art. 4. quærit. An gravi ſe flagitio devinciant, qui Euchariſtiæ effectibus *obicem apponunt*? Et præmittit, non eſſe quæſtionem de obice ſecundarii effectus Euchariſtiæ, ſed de primarii, qui poſitus eſt in augmento gratiæ ſanctificantis. Subdit quoque, quod non agitur de primarii effectus impedimento: „ quod oriatur ex culpa „ veniali, quæ expreſſe, & induſtria „ electa non fuerit; ſiquidem ut in arti„ culo præcedente obſervatum eſt; „ S. Thom. ſcribens in ſententias cen„ ſuit eum non peccare lethaliter, in „ quo ratione venialis diſtractionis SS. „ Sacramentum omni prorſus effectu „ vacuum eſt. Difficultas ergo de iis „ intelligitur, quorum communio pro„ pter fictionem, ſeu affectum ad pec„ catum mortale, nullum prorſus effe„ ctum operatur, & quæritur 1. num „ hujuſmodi communio grave ſit pec„ catum? 2. An ſit omnium graviſſi„ mum? „ Et poſt hæc concludit, quod communio, quæ propter ſumentis fictionem, ſeu effectum ad peccatum mortale, nullum effectum operatur, grave ſit peccatum. Concludit quoque, quod ſagrilega communio in ſe ſumpta gravius ſit peccatum iis omnibus, quæ contra creaturas committuntur. Proinde.

Dicimus III. grave eſſe peccatum communionem ſacrilegam, de qua loquimur; & eſſe gravius iis omnibus, quæ contra creaturas committuntur.

I. Concluſionis pars I. probatur ex Scripturis 1. ad Corint. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Quibus verbis enunciatur, & peccatum, & ejus gravitas. Iterum dicitur: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Quibus verbis importatur, quod peccatum in eo con-

consistat, quod in praxi non pluris faciat Christi carnem, quam cibum profanum: *non dijudicans corpus Domini*.

II. Probatur ex Patribus. Basilius lib. 2. de Baptismo, in responsione ad tertium quæsitum, scribit: *Gravissimum in lege Deus adversus eos decrevit, qui cum sint immundi, sacra audent contingere..... Si tales minæ adversus eos positæ sint, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum de eo, qui in tantum, ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid hic est templo faciendum Domini vocem, tanto gravius, & terribilius est in anima impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes, vel tauros.* Chrysostomus indigne communicantes comparat cum Juda proditore; Augustinus præfert eos in malitia Judæis, qui Christum crucifixerunt. Iterum Chrysostomus hom. 25. in cap. 11. primæ epist. ad Timot. docet morbos, calamitates, & ipsam mortem, esse pœnas indignæ communionis; & sic interpretatur verba Apostoli: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, dicens: *Quoties morbi, quoties detrimenta, quoties luctus, calamitatesque contingunt, & alia quælibet hujusmodi, hujus rei gratia fiunt. Id Paulus quoque signanter expressit: ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Et quomodo, inquies, ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea sacramenta sumamus. Hoc nempe est quod universa parturiat; quia non munditia animi, veram intervallo temporis longiore constare meritum putas, & summam arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non sæpius cœlestem illam adeas mensam; Ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, se supplicio tradit.* Cyprianus lib. de lapsis refert exempla, quibus Deus indignas communiones severe castigavit. E denique in tom. 2. Conciliorum Galliæ ex editione Sirmondi ad annum Christi 869. fol. 378. enarratur historia hæc, excerpta ex Chronico Rheginonis his verbis. „ Anno „ 869. Lotharius Romam profectus est. „ Quo cum perveniisset, ab Adriano „ Pontifice honorifice susceptus est. „ Qui ab eodem Præsule scisitatus, si- „ monita pii Patris D. Nicolai cum „ omni vigilantia hactenus observata „ haberet, & præstitum juramentum „ inviolato fœdere custoditum. Qui „ ab illo deceptus, qui in veritate non „ stetit, respondit, se ita omnia obser- „ vasse, ac si divinitus sibi essent impe- „ rata. Cumque Proceres, & Optima- „ tes, qui cum eo erant, eadem testifi- „ carentur.... universalis Papa talia „ prosequitur. Si vestræ testificationi „ veritas suffragatur, cum omni ala- „ critate mentis omnipotenti Deo „ multiplices gratiarum actiones refe- „ rimus. Restat ergo, fili charissime, „ ut ad Confessionem S. Petri accedas. „ Ibi Deo propitio hostiam salutarem „ pro tua, non tam corporis, quam „ animæ incolumitate, immolabimus; „ ex qua nobiscum te participare opor- „ tet, ut per hanc participationem „ membris Christi, unde abscissus es- „ se videbaris, merearis incorporari. „ Finitis igitur Missarum solemnibus, „ invitat Summus Pontifex eundem „ Regem ad Mensam Christi, accep- „ toque in manibus corpore, & sangui- „ ne Domini, ita eum alloquitur; Si „ innoxium te recognoscis a prohibi- „ to, atque interdicto tibi a Nicolao „ adulterii scelere, & hoc fixa mente „ statutum habes, ut nunquam diebus „ vitæ tuæ Uvaldradæ pellici tuæ, du- „ dum a te repudiatæ, miscearis, fidu- „ cialiter accede, & *sacramentum sa- „ lutis æternæ tibi ad remissionem pec- „ catorum profuturum percipe.....* „ Qui mente captus, obduratus, & ob- „ cæcatus absque retractatione com- „ munionem corporis, & sanguinis „ Domini de manu Pontificis sumpsit; „ non expaveſcens sententiam illam, „ quæ dicit, qui manducat, & bibit „ indigne, judicium sibi manducat, & „ bibit. Deinde conversus idem Præ- „ sul ad sequaces, & fautores Regis, „ unicuique Communionem obtulit in „ hac verba: si Domino, & Regi tuo „ Lothario in objecto adulterii crimi- „ ne favorem non præstitisti, neque „ consensum tribuisti, & Waldradæ, „ & aliis ab hac Sede Apostolica ex- „ communicatis non communicasti, „ corpus, & sanguis Domini nostri Je- „ su Christi prosit tibi in vitam æter- „ nam. Igitur quisquis se læsum sciens „ ausu temerario communionem sub „ tali testatione porrectam sumere „ præ-

Digitized by Google

„ præſumpſit, divino judicio percuſſus „ ab hac luce ſubtractus eſt, antequam „ ſubſequentis anni rediret principiũ; „ per pauci, qui ſe a Communione „ ſubtraxerunt. Porro Lotharius Ro- „ ma egreſſus morbo corripitur, & „ Placentiam civitatem perveniens „ diem clauſit extremum ſexto Idus „ Auguſti. „

II. Conoluſionis pars probatur ſimul, & explicatur ab eodem Juenino authoritate, & verbis S. Thom. 3. part. quæſt. 8. artic. 5. dicentis. *Dupliciter aliquod peccatum poteſt dici gravius alio; uno modo per ſe: alio modo per accidens; per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte objecti: & ſecundum hoc quanto contra quod peccatur, eſt majus, tanto peccatum eſt gravius. Et quia Divinitas Chriſti eſt major humanitate ipſius, & ipſa humanitas eſt potior, quam Sacramenta humanitatis; inde eſt quod graviſſima peccata ſunt, quæ committuntur in ipſam divinitatem, ſicut eſt peccatum infidelitatis, & blaſphemiæ; ſecundario autem ſunt graviora peccata, quæ committuntur in humanitatem Chriſti.... Tertio autem loco ſunt peccata, quæ committuntur contra ſacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti, & poſt hoc ſunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum eſt gravius alio ex parte peccantis, puta peccatum, quod eſt ex ignorantia, vel infirmitate, eſt levius peccato, quod eſt ex contemptu, vel ex certa ſcientia, & eadem ratio eſt de aliis circumſtantiis. Et ſecundum hoc iſtud peccatum in quibuſdam poteſt eſſe gravius, ſicut in his, qui ex actuali contemptu cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt; in quibuſdam vero minus grave; puta in his, qui ex quodam timore ne deprehendantur in peccato cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. Sic ergo patet, quod hoc peccatum eſt multis aliis gravius ſecundum ſuam ſpeciem; non tamen eſt omnium graviſſimum.*

Pro altera vero Diſſertationis parte multæ ſunt Scholaſticorum ſententiæ, quas videndas remittimus apud Jueninum cap. 2. qui concludit, eo inſtanti Euchariſtiam gratiam producere, quo verum eſt dicere, quod comeſta ſit, ſeu ex gutture ad ſtomacum trajecta. Et probat, quia eo inſtanti completur, quod Chriſtus circa Euchariſtiæ uſum præcepit; *accipite, manducate, bibite*; cœtera vero, ut digeſtio, & converſio in ſubſtantiam aliti, non poſſunt cadere ſub præceptum, quia ab hominis arbitrio non dependent.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXXV.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. An Eucharistia remittat pœnam peccatis debitam? An Eucharistia prosit corpori, & non tantum animæ? An prosit aliis ex opere operato?

SErmo hic est de pœna temporali, pro peccatis commissis peccatori debita, quæ quidē supponit ipsa peccata jam remissa, quanvis pœna temporalis adhuc luenda remaneat. Unde.

Dicimus I. Pœnam temporalem, peccatis debitam, per Sacramentum Eucharistiæ indirecte, non vero directe, remitti.

I. Probatur ex S. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 5. in corpore: *Si consideretur ut Sacramentum, habet effectum dupliciter: uno modo directe, ex vi Sacramenti; alio modo quasi ex quadam concomitantia..... Ex vi quidem Sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum: non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus.... sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem, non solum culpæ, sed etiam pœnæ; inde est quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris*,

II. Probatur simul, & explicatur Conclusio ab Henno disputat. 10. de Mirabilibus Eucharistiæ effectibus, q. 1. concluſ. 4. verbis hisce: „ Eucharistia quatenus Sacramentum, non „ tollit directe, & vi sacramenti, pœnas „ peccatis remissis debitas. Dico quate„ nus Sacramentum, ideſt, in quantum „ sumitur; nā quantū offertur, habet ra„ tionē Sacrificii. Ratio conclusionis est; „ quia hoc Sacramentum, ut ait S. Th. „ quæst. 79. art. 5. *Non est institutum „ adsatisfaciendum, sed ad spiritualiter „ nutriendum per unionem ad Christum, „ & ad membra ejus*. Unde nec Scrip„ tura, nec Concilia, nec Patres, hujus „ remissionis meminerunt. Si autem „ alicubi id videantur Eucharistiæ tri„ buere, agunt de illa ut sacrificium „ est, quod per se ad remissionem illam „ ordinatur, ut patebit infra. Dixi: „ non tollit directe; nam ex conse„ quenti, inquit D. Thom. supra, *per „ quamdm concomitantiam ad principa„ lem effectum, homo consequitur remis„ sionem pœnæ, non quidem totius, sed se„ cundum modum suæ devotionis, & fer„ voris*; ideſt, indirecte, & ex opere „ operantis. „

III. Probatur simul, & explicatur a Cacherano tom. 4. tract. 9. cap. 5. §. 1. his verbis. „ Secundam vero, „ ideſt remissionem pœnæ temporalis, „ quia licet Eucharistiæ sacramentum „ causando, ut ex dictis, causat remis„ sionem culparum venialium, causat „ consequenter aliquam remissionem „ temporalis pœnæ, eo quod non so„ leat fieri sine aliqua pœnæ remissione „ remissio culpæ; nihilominus hoc est „ causare pœnæ remissionem conco„ mitanter, & indirecte, adeoque im„ proprie: licet item excitando ad „ actus virtutum, quibus per modum „ satisfactionis, aut meriti, solet ali„ quid

Digitized by Google

„ quid pœnæ remitti, ad pœnæ remis-
„ sionem conducat; conducit tamen
„ causando valde remote, nec id spe-
„ ctat ad institutionem, & finem Eu-
„ charistiæ, ut sacramenti, cum sit ipsa
„ instituta quidem ad satisfaciendum,
„ in ratione sacrificii, ac tantum ad
„ spiritualiter nutriendum, in ratione
„ Sacramenti, ut egregie ratiocinatur
„ S. Doctor sæpius cit. quæst. 79. art. 5.
„ in corp. Porro, quia actibus virtutum
„ ab Eucharistia excitatis, non minus
„ quam excitatis aliunde, potest quis
„ per modum satisfactionis, impetra-
„ tionis, aut meriti congrue obtinere
„ aliquam remissionem temporalis pœ-
„ næ, aut quid simile aliis, si illos pro
„ aliis offerat, imo, & ad id valere
„ potest ipse actus communionis, ut est
„ actus virtutis religionis, forte non
„ sine speciali efficacia ex præsentia
„ Christi, ut notat Suarez disp. 63. sect.
„ 10. in fine; consequens est, Eucha-
„ ristiam posse indirecte, & minus pro-
„ prie, aliquem effectum in aliis a su-
„ sumente causare, iisdemque prodesse,
„ sive vivi, sive defuncti sint. „

Dicimus II. Eucharistiam prodesse non solum animæ, sed etiam corpori.

I. Probatur, & explicatur simul Conclusio ab Henno, citato loco, conclus. 5. per hæc verba. „ Certos etiam
„ effectus habet Eucharistia in corpus
„ nostrum: nam præterquam quod ejus
„ concupiscentiam temperat, ut dixi-
„ mus, illud quodammodo suo contactu
„ sanctificat, in ejusque gloriosam re-
„ surrectionem suo modo influit, in
„ quantum Deus movetur ad illud vi-
„ vificandum propter conjunctionem,
„ quam habuit cum vivificatrice Chri-
„ sti carne; & ideo forte dixit Christus
„ Joann. 6. *Qui manducat meam carnem,*
„ *& bibit meum sanguinem, habet vitam*
„ *æternam, & ego resuscitabo eum in no-*
„ *vissimo die*. Dixi: propter conjun-
„ ctionem; quia Christi caro non uni-
„ tur physice cum carne nostra, ut fin-
„ gere videntur aliqui, existimantes
„ hanc unionem perseverare, etiam
„ corruptis speciebus; sed tantum mo-
„ raliter, in quantum vere, & realiter
„ constituitur nobis intime præsens. „

II. Probatur a Witasse verbis hisce: „
„ Quæres 3. an Eucharistia vitæ æternæ
„ semen sit, ac pignus, tũ quoad corpus,
„ tũ quoad animã? Respondeo ita esse:
„ 1. enim Joan: 6. *Qui manducat meam*
„ *carnẽ & bibit meũ sanguinẽ, habet vitã*
„ *æternam, & ego resuscitabo eum &c. Si*
„ *quis manducaverit ex hoc pane, vivet*
„ *in æternum*. 2. Juxta doctrinam san-
„ ctorum Patrum eo fine sese Christus
„ in hoc Sacramento cum hominibus
„ communicat, ut jam illud possidere
„ incipiant, quo æternum sunt fruituri.
„ 3. Est etiam illud commune apud eos
„ effatum, quod Christus ideo carnem
„ suam nostræ commisceri voluerit,
„ ut ei vim, ac jus inderet ad glorioſam
„ immortalitatem. Vide supra Irenæũ,
„ Cyrillum Alexandrinum &c. „

III. Probatur rationibus, & verbis Frassen tract. 2. disp. 1. art. 3. sex. 3. q. 1. §. 4. „ *De tribus effectibus divinæ Eu-*
„ *charistiæ erga corpus sumentis*. Primus
„ est fomitis appetitus sensitivi miti-
„ gatio, & sævientium passionum re-
„ frænatio, ac moderatio: Quod uti-
„ que præclare docet S. Cyrillus lib. 4.
„ in Joan. cap. 17. ubi de præparatione
„ ad dignam hujus Sacramenti rece-
„ ptionem sermonem faciens, ait: *Pias,*
„ *quæso, cogitationes suscipias, studiose*
„ *sancteque vivas, & benedictionem*
„ *participes, quæ (mihi crede) non mor-*
„ *tem solum, verum etiam morbos omnes*
„ *depellit: sedat enim cum in nobis manet*
„ *Christus, sævientem membrorum no-*
„ *strorum legem, pietatem corroborat,*
„ *perturbationes animi extinguit, ægrotos*
„ *curat, collisos redintegrat, & sicut*
„ *Pastor bonus, qui animam suam pro*
„ *ovibus ponit, ab omni nos erigit casu*.
„ Ipsi concinit S. Bernardus Serm. de
„ Baptismo, & Sacramento Altaris:
„ Duo, *inquit*, Sacramentum hoc ope-
„ ratur in nobis, ut videlicet, & sen-
„ sum minuat in minimis, & in gravio-
„ ribus peccatis tollat omnino consen-
„ sum. Si quis vestrum non tam sæpe
„ modo, nec tam acerbos sentit iracun-
„ diæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut
„ cæterorum hujusmodi; gratias agat
„ corpori, & sanguini Domini; Quo-
„ niam virtus Sacramenti operatur in
„ eo. „

Idem affirmat Catechismus Romanus
„ num. 55. „ *Carnis etiam*, inquit, *libi-*
„ *dinem cohibet, ac reprimit; dum enim*
„ *charitatis igne animos magis incendit,*
„ *concupiscentiæ ardorem extinguat ne-*
„ *cesse est*. Quibus verbis, ut apparet,
„ significat Eucharistiam moderari qui-
„ dem corporis passiones, & non im-
„ mediate, sed dumtaxat mediate; seu

„ ex

„ ex consequenti, inquit Bosco concl. „ 3. num. 27. quatenus Deus propter „ illam, vel tollit, vel minuit materiam „ incentivam illius fomitis; puta per „ applicationem naturalium causarum, „ minuendo temperamentum corporis, quod excitat appetitum ad motus iræ, luxuriæ, ac similium vitiorum. Vel tollit objecta extrinseca „ inflammantia appetitum, & sua singulari protectione hominem servat „ ab occasionibus peccatorum. Vel „ quatenus bonis instinctibus ita prævenit, & adjuvat voluntatem, ut facile „ possit avertere appetitum a delectabilibus contra rationem. Vel denique quatenus adaucta per hoc Sacramentum charitate, qua voluntas „ vehementius delectatur bonis divinis, appetitus minus potest occupari „ circa delectationem boni terreni; fit „ namque propter naturalem potentiarum unionem, & radicationem in „ eadem anima, ut quo una vehementius applicatur suo objecto, eo minus „ altera possit applicari ad suum objectum; eo quod virtus animi finita, „ qua per singulas potentias operatur, „ ad unum actum amplius intenta, minor est ad alium. Ita ergo, & non „ aliter hoc Sacramentum minuit fomitem concupiscentiæ. Hæc Bosco. „ *Secundus effectus* Eucharistiæ erga „ corpus digne suscipientis est, quod „ sit in eo veluti semen immortalitatis, „ & beatæ resurrectionis; quem utique effectum significavit Christus D. „ cum dixit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet „ vitam æternam, & ego resuscitabo eum „ in novissimo die*. Quæ verba sic præclare expendit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 2. Fieri „ prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem non „ superet, ac vincat mortem: proinde „ licet mors, quæ per prævaricationem „ nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat; tamen „ quia Christus per suam ipsius mortem „ in nobis est, omnino resurgemus: „ incredibile enim est, imo vero impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet; quemadmodum „ enim scintillam multis paleis inferimus, ut semen ignis servemus: sic etiã „ Dominus noster Jesus Christus per „ carnem suam in nobis vitam integit, „ ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam, quæ in „ nobis est, corruptionem abolet. „ Quibus verbis S. Cyrillus significat, „ fieri non posse secundum ordinariam „ Dei potentiam, & solitum ejus sapientiæ, & bonitatis agendi modum, „ ut qui digne suscipit Eucharistiam, „ aliquando non resurgat, non qualicunque resurrectione, qua omnes, „ quotquot sunt homines, resurrecturi „ sunt sed resurrectione beata, & gloriosa. „

Hinc præclare S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 34. „ Loquens de „ Valentinianis, qui corporum resurrectionem negabant, sic eos arguit: „ *Quomodo autem rursus dicunt, carnem „ in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini, „ & sanguine alitur?* Quem locum sic „ interpretatur doctissimus, ac pissimus Rosensis: Proinde est, *inquit*, „ ac si dixisset: quoniam caro Christi „ vivificativa est, & eadē resurrexit ad „ vitam incoruptibilem: inde fit, ut „ qui carnem illam digne comederunt, „ si nulla post hæc sua culpa virtutem „ illam, quam acceperunt, amittunt, „ eorum corpora procul dubio resurgent ad immortalitatem. Quapropter SS. Patres cum S. Ignatio epist. „ ad Ephesios, Eucharistiam communiter appellant, *Pharmacum immortalitatis, præservativum contra mortem*. „

Quæ omnia tamen sic intelligenda velim, non quod Eucharistia vim aliquam physicam corporibus inferat, „ sed duntaxat, quod eis conferat quãdam dignitatem, & consecrationem, „ ratione cujus digna sint, ut quæ cum „ Christo unionem habuerunt in statu „ mortalitatis, eandem habeant in regno immortalitatis. Qui plura hac „ de re exoptat, percurrat S. Chrysostomum lib. de Sacerdotio cap. & S. „ Cyrillum lib. 3. in Joann. cap. 6. & „ lib. 4. cap. 2. nec non & S. Petrum „ Chrysologum serm. 95. „

„ *Tertius denique effectus est*, cordis castimonia, & corporeæ puritatis propagatio; quem utique effectum colligit S. Thomas artic. 2. ad 3. ex illo „ Zachariæ 9. *Quid est bonum ejus, & „ quid pulchrum ejus, nisi frumentum „ Electorum, & vinum germinans virgines?* Unde Paschasius lib. de corpo-

„ re,

Digitized by Google

„ re, & sanguine Domini cap. 21. *Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur: nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, ab isto vero virgines procreantur.* Et Glossa super illa verba Psalmi 67. *Selmon mons Dei*, sic ait: *De corpore Christi manet umbra gatiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiscentiæ*: Quæ verba refert S. Thomas opusc. 58. cap. 21. & subdit: *Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratiæ, quæ de ipso fluit:* Oseæ 140. *Ego quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium.*„

Sicut autem, *inquit Seraphicus Doctor*, vel quisquis est Author compendii theologici lib. 6. cap. 15. „ Recte communicantibus multa bona proveniunt, ut dictum est: sic indigne sumentibus corpus Christi multa mala occurrunt. Nullum enim opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Indigna enim communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. De his per ordinem dicitur. *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis &c.* Ecce primum. *Et in retributionem*: ecce secundum. *Et in scandalum*: ecce tertium: *Obscurentur oculi eorum ne videant*: ecce quartum: *Et dorsum eorum semper incurva*: ecce quintum: *Effunde super eos iram tuam*: ecce sextum: *Fiat habitatio eorum deserta*: ecce septimum: *In tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet*: ecce octavum.„

Dicimus III. Eucharistiam prodesse etiam aliis a sumente, non directe, sed indirecte.

I. Probatur Conclusio pro I. Parte. Et quidem loquendo de Eucharistia, non prout est sacrificium, quia de hoc inferius erit sermo; sed prout sacramentum; & sensus est; an ex ea illi colligant fructus suos, a quibus non sumitur? Et nos dicimus, seu respondemus, negative, si directe loquamur; affirmative vero, si sermo sit indirecte. Igitur prima pars probatur; quia sacramenta directe prosunt illis tantum, qui ea sumunt: ergo non aliis, qui ea non sumunt. Antecedens probatur. Sacramenta suam virtutem ex opere operato in eos tantum effundunt, quibus exterior illorum status applicatur, scilicet materia, & forma; sed hæc applicantur tantum illis, qui ea sumunt: ergo his tantum directe prosunt.

II. Probatur. Eucharistia instituta est ad instar cibi, & potus; sed hæc prosunt directe illis tantum, qui ea sumunt: ergo pariter Eucharistia. Igitur eo modo, quo alimenta iis tantum prosunt, a quibus sumuntur; ita eodem pariter Eucharistiæ sacramentum in eos tantum per se agit, a quibus editur.

I. Probatur Conclusio pro II. parte. Omne opus pium, ratione communionis Sanctorum, quam in symbolo profitemur, prodest etiam aliis, a quibus non fit; sed Eucharistia est opus maxime pium: ergo prodest etiam aliis indirecte, a quibus non sumitur.

II. Probatur a Juenino ratione S. Thomæ his verbis: „ Eucharistiæ sumptio indirecte, & per quandam concomitantiam ad effectum principalem, pœnæ peccato debitæ remissionem operatur: ergo idem præstat eorum respectu, pro quibus a communicantibus offertur; quod enim quisque per laborem, seu per proprium actum comparaverit, per amorem, ac oblationem potest efficere, ut proximo commune sit.„

III. Probatur ab eodem; quia Sacra Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Congregatio proscripsit recentioris cujusdam Opusculum, quo communionem, pro mortuis factitari solitam, damnarat tanquam *sordem non ferendam, vel uti piam fraudem, escam falsi fructus, strophas, prætextu pietatis, tectoriam falsitatis.* Tournely pariter respondet quæsito, utrum Eucharistia, ut Sacramentum est, aliis, quam sumentibus, prodesse possit? & dicit „ directe non prodesse, sed indirecte tantum. Non prius, quia cibus sumenti tantum directe prodest: indirecte tamen cibus spiritualis, propter suscipientis pietatem, ac devotionem, quia communionem suam in aliorum gratiam offert, prodesse potest; *sicut* inquit S. Thom. *prodest indirecte ad remissionem pœnæ temporalis.* Unde Sacra „ Car-

„ Cardinalium Concilii Tridentini Interpetum Congregatio proscripsit „ opinionem eorum, qui morem communicandi pro mortuis damnant. „

DISSERTATIO CCCCXXXVI.

De Sacrificio Missæ. Quid sit Sacrificium in genere? Quotuplex sit? An in qualibet Religione fuerit?

QUia Eucharistia considerari potest, & ut Sacramentum, & ut Sacrificium; usque modo de ipsa egimus, ut sacramentum est; Remanet igitur ut de eadem, ut sacrificium est, pertractemus. De sacrificio igitur Missæ acturi, congruum ducimus, ut prius de ipso sacrificio in genere agamus. Et quidem incipimus a quidditate ejusdem, quæ per definitionem explicatur; quam definitionem ab Hæreticis tractam, utpote malam, rejiciemus; quam vero tradunt Catholici, quia optima est, amplectemur.

Hæretici, qui sacrificium definiunt, sunt Melacthon, & Calvinus: Primus ait in Apologia Confessionis art. de Missa: Sacrificium est ceremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus: Alter vero definit: Sacrificium est quidquid omnino Deo offertur. Utramque definitionem malam esse, quæ sequuntur rationes demonstrant. Et quidem primo, quia quanvis omnis actio virtutis dici possit sacrificium latissimo sensu, quia cedit in gloriam Dei; in sensu vero rigoroso, & theologico, dici non potest: & de facto in Scripturis opera multarum virtutum sacrificiis opponuntur, videlicet Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium*. 1. Regum 15. *Melior est obedientia, quam victimæ*. Si autem ipsa misericordia, ipsa obedientia, sacrificium essent, non possent recte sacrificio opponi. Secundo, quia sacrificium non includit solam actionem, sed etiam esse debet res externa, & sensibilis; ut legitur Geneſis 22. *Ecce ignis, & ligna, ubi est victima holocausti?* Et ad Hæbreos 8. *Omnis Pontifex ad offerenda munera, & hostias constituitur; unde necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat*. Si autem sacrificium esset quodlibet opus ad honorem Dei factum, Sacrificium in sola actione consisteret. Tertio, quia opera virtutum vocantur quidem sacrificia, at cum addito, non simpliciter, & absolute: Nimirum, sacrificium laudis: Hostiæ spirituales: sacrificium cordis contriti, & humiliati: quæ vero sacrificia sunt, proprie, & vere sacrificia simpliciter, & absolute dicuntur. Quarto, quia sacrificium legis euangelicæ unum est, quanvis cruentum, & incruentum dicatur, quoad modum scilicet offerendi, non vero quoad rem, & substantiam: si autem omnia sacramenta, & omnia opera bona, sacrificia essent, sarificia novæ legis plura essent, non unum. Quinto, quia non omnes illi, qui bonum operantur, sunt Sacerdotes: essent autem, si omne opus bonum sacrificium esset; quia sacrificium, & Sacerdotium inter se dicunt relationem. Sexto tandem, quia in Scripturis multa dicuntur Deo oblata, quæ vere, & proprie sacrificia non fuerunt; videlicet Exodi 25. & 35 dicuntur offerri Deo, aurum, argentum, æs, ligna, primitiæ, decimæ &c. Scimus Hæreticos hosce nobis opponere Augustinum lib. 10. de Ci-

Civitate Dei cap. 6. dicentem: *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Insuper idem Augustinus pluries appellat misericordiam in eodem loco sacrificium: At scimus quoque, Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 2. quem refert Tournely, respondere.,, „ Bona illa opera *verum sacrificium* ab „ Augustino appellari, ratione digni- „ tatis, & ratione effectus, non ratio- „ ne formæ, & essentiæ sacrificii pro- „ prie dicti: neque enim sanctus Do- „ ctor eo loci definit sacrificium in ge- „ nere, aut sacrificium proprie dictum, „ ut placet Novatoribus, sed solum „ sacrificium, quod præcipue internum „ est, opponitur sacrificiis legalibus, „ ac mere externis: neque mens ipsius „ est dicere, sacrificia interna esse „ magis proprie dicta sacrificia, quam „ externa, sed esse præstantiora, & „ Deo gratiora, quibus facilius divina „ majestas placatur, & nobis conciliatur. Verba autem Bellarmini sunt: „ Sed facilis responsio. Nam S. Augu- „ stinus non definit sacrificium in ge- „ nere, nec sacrificium proprie dictum, „ sed solum sacrificium, quod præci- „ pue est internum, & opponitur sa- „ crificiis legalibus, & mere externis. „ Et vocat sacrificium verum ratione „ dignitatis, & ratione effectus, non „ ratione formæ, & essentiæ sacrificii „ proprie dicti. Non enim vult dicere „ sacrificia interna esse magis proprie „ dicta sacrificia, quam externa; cum „ oppositum sit verum; sed esse præ- „ stantiora, & Deo gratiora, & faci- „ lius Deum placare. Similis sententia „ est, Joan. 15. *Ego sum vitis vera*: nec „ enim Dominus eo loco significare „ volebat, se magis proprie esse vitem, „ quod attinet ad formam, & essentiã „ vitis; quam sit illa, quæ plantatur in „ vineis: sed solum esse vitem nobilio- „ rem, & effectus excellentiores pro- „ ducere, ut Euthymius in commen- „ tario hujus loci recte exponit. „

Definitio vero Sacrificii in genere, ex communi omnium Theologorũ sensu apud Tournely, sic concipitur: est præstantissimum opus religionis, quo testamur, ac recognoscimus, supremũ Dei dominium in res omnes, & nostram ipsi subjectionem, ac dependentiã; proinde sic ab eodẽ definitur: *Oblatio rei sensibilis cum ejus destructione, vel immutatione, soli Deo facta per legitimum ministrum, ad recognoscendum supremum ejus in res omnes creatas dominium, ritu mystico consecrata.* Idem Tournely his verbis allatam definitionem, explicat, quæ operæ pretium ducimus ad literam hic afferre. „ Dicitur 1. *Oblatio*; „ quæ vox tenet locum generis, in quo „ sacrificium cum aliis oblationibus „ primitiarum, decimarum, ac bono- „ rum operum convenit. *Sacrificium*, „ ait hic Bellarminus, *accipimus pro „ actione sacrificandi, non pro ipsa victi- „ ma, quæ sacrificatur, tamesi ipsa etiam „ sacrificium dici solet.* „

Dicitur 2. *sensibilis*, seu *externa*: sacri- „ ficium enim visibile debuit esse, *sicut „ hominum natura exigit*, ait Conc. Trid. „ sess. 22. cap. 1. *Omnis Pontifex*, ait „ Apostolus Hebr. 8. vers. 3. *Ad offe- „ renda munera, & hostias constituitur; „ unde necesse est, & hunc habere aliquid „ quod offerat*: qua ex parte sacrificium „ proprie dictum distinguitur ab inter- „ na oblatione, qua quis seipsum, & „ sua omnia Deo subjicit, & offert, quæ „ non est proprie sacrificium; tametsi „ perfectiori modo præstet fructum „ sacrificii, quam externa oblatio. „

Dicitur 3. *Cum ejus destructione*, ut a „ simplici oblatione distinguatur, in „ qua res oblata non destruitur. Ratio „ hujus destructionis duplex est: prima, „ ut significaretur futura mors Christi: „ altera, in protestationem supremi „ Dei in res omnes dominii, quæ po- „ stulat, ut non solum usus rei Deo of- „ feratur, sed & ipsa substantia, quod „ fit per consummationem. Additur, „ *vel immutatione*, quia non semper rei „ destructio necessaria est, sed immu- „ tatio sufficit, ut videre est in sacrifi- „ cio capri emissarii, qui non occide- „ batur, sed tanquam exul in desertum „ ejiciebatur. Levitici 16. Neque di- „ cas in sacrificio Melchisedech nullam „ destructionem, seu immutationem „ contigisse, in pane, & vino. Nam- „ que qua facilitate id asseritur, eadem „ negatur; silet enim ea de re Scriptu- „ ra, & mutationem aliquam factam „ esse, quidni quis conjicere, & affir- „ mare poterit? „

Dicitur 4. *Soli Deo facta*: quia soli Deo de- „ bitus est supremus latriæ cultus. *Quis „ enim*

„ *enim sacrificandum esse censuit*, ait „ S. Augustinus lib. 10. de Civitate „ Dei cap. 4. *nisi ei, quem Deum aut „ scivit, aut putavit, aut finxit?* Et „ cap. 19. *Nec ob aliud fallaces illi* (Spi- „ ritus) *superbe sibi hoc exigunt, nisi „ quia vero Deo deberi sciunt*. Et lib. „ 20. contra Faustum Manich. cap. 21. „ *Quanvis in memoriis Martyrum con- „ stituamus altaria, quis Antistitum in „ locis sanctorum corporum assistens alta- „ ri, aliquando dixit: offerimus tibi Pe- „ tre, aut Paule, aut Cypriane? Sed „ quod offertur, offertur Deo, qui Mar- „ tyres coronavit*, quam doctrinam „ egregie confirmavit Conc. Trid. sess. „ 22. cap. 3. „

„ Dicitur 5. *Per legitimum ministrum*, „ non per qualemcumque hominem, „ sed eum, qui ad hocce ministerium „ vocatur, ac seligitur. Hinc Ozias „ Rex, cum non esset Sacerdos, & „ tamen sacrificium offerre vellet, a „ Deo punitus est, lib. 2. Paralip. cap. „ 26. vers. 18. & Saul ob eandem cau- „ sam a Deo rejectus fuit, & Regno „ privatus. Sacerdotum munus in „ Lege naturæ ad Capita familiarum, „ vel ad primogenitos pertinebat: in „ Lege scripta ad eos, qui erant de „ stirpe Aaron; in lege autem Euan- „ gelica ad eos, qui ab Episcopis sin- „ gulari ritu ordinantur, & consecran- „ tur. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus „ Hebr. 5. vers. 1. *Ex hominibus assum- „ ptus, pro hominibus constituitur in his, „ quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, „ & sacrificia*. Et vers. 4. *Nec quisquam „ sumit sibi honorem, sed qui vocatur a „ Deo, tanquam Aaron*. „

„ Dicitur 6. *Ad recognoscendum supre- „ mum Dei in res omnes dominium*. Est „ quippe hic finis directus, ac prima- „ rius Sacrificii, qua ex parte a Sacra- „ mento distinguitur. Sacramentum „ quippe primario ac directe ordina- „ tur ad sanctificationem hominis; sa- „ crificium vero ad cultum Dei, atque „ nonnisi consequenter indirecte, ac „ secundario gratiam producit, in „ quantum scilicet dignitate hostiæ, „ quæ offertur, mitigatur Deus, pla- „ catur, ac peccata nobis remittit. „ *Christi oblatione placatus Dominus*, ait „ Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. *Gratiam „ & donum pœnitentiæ concedens, cri- „ mina, & peccata etiam ingentia dimit- „ tit*. „

„ Dicitur denique, *ritu mystico conse- „ crata*, quia, inquit Bellar. res illa „ quæ Deo offertur, ex prophana sacra, „ & Deo dicata fieri debet; id etenim „ significat verbum *sacrificare*, idest, „ *sacra facere*. Ista autem consecratio, „ & dedicatio semper in lege veteri „ fiebat certo ritu, & ceremonia, my- „ sterium aliquod continente, ut im- „ positione manuum, vel elevatione „ oblationis in altum; & in hoc distin- „ guitur sacrificium a simplici oblatio- „ ne, v. g. primitiarum, decimarum, „ & bonorum operum, quæ non re- „ quirit ex se ejusmodi mysticam con- „ secrationem. „

Devenientes modo ad Sacrificii in genere divisionem, ipsum dividunt I. ratione materiæ; II. ratione formæ; III. ratione finis. Ratione materiæ, dividunt in hostias seu victimas, immolationes, & libamina. Si offertur, & immolatur aliquod animal, oblatio dicitur victima, seu hostia; victima a victoria, quia aliquando offerebatur post victoriam de hostibus reportatã: hostia, quia offerebatur propter hostes devictos. In Lege veteri non licebat omnia animalia offerre, sed certa quædam; scilicet Oves, Capras, Hædos, Boves, Vitulos, Columbas, Passeres, Turtures. Si vero offerebatur aliquod liquidum, dicebatur libamen; & liquida, quæ offerebantur, erant, sanguis, vinum, oleum, aquæ; de aliis vero hæc prosequitur Tournely: „

„ Res vero inanimæ, quæ vita, & ani- „ ma carent, solidæ erant; panis, verbi „ gratia, simila, sal, thus seu incensum, „ manipulus spicarum virentium, & „ triticum; Levitici capite secundo, „ & sexto. Hæc levabat Sacerdos in „ altum, & varie immutabat, in qua „ immutatione consistebat ratio sacri- „ ficii: nam panis in frusta scindebatur, „ & simila sartagine, clibano, vel cra- „ticula cremabatur; sal urebatur, thus „ adolebatur, manipulus spicarum „ torrebatur, triticum conterebatur. „

Ratione formæ dividunt sacrificium in holocaustum, sacrificium aut hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Holocaustum erat perfectissimum sacrificium, quia in eo res tota consumabatur, & nihil inde cedebat in usum humanum; sacrificium pro peccato in parte cremabatur, &

in

Digitized by Google

in parte cedebat in uſum Sacerdotũ, qui illud comedebant in atrio Templi; unde dicebantur comedere peccata populi, ideſt victimas pro peccatis oblatas. Et hoc ſacrificium non tantum offerebatur pro peccatis internis, ſed etiam pro quibuſdam externis; nimirum pro peccatis commiſſis per ignorantiam circa ceremonias, ut legitur Levitici 4. & 5. etiam pro peccato furti, perjurii, & calumniæ; ut habetur Levitici 6. & 7. Hoſtia pacifica in parte cremabatur, & in parte edebatur a Sacerdotibus, & ab offerentibus; & ſolebat offerri in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel ad nova impetranda: conſumptio autem poterat differri in diem poſterum, non autem diutius. Denique ratione finis dividebatur in ſacrificium latreuticum, euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium; quæ ſic explicantur a Tournely „ Latreuticum dicitur, ob cultum „ latriæ, ſeu perfectæ ſervitutis, qui „ Deo ſupremo rerum omnium domino exhibetur, quod quidem in holocauſto perfecte omnino perficitur. „ Euchariſticum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, impetratorium vero pro accipiendis: utrumque in lege veteri dicebatur, hoſtia pacifica. Propitiatorium dicitur, quod „ Deum nobis propitium, ac placatum „ reddit, & offertur pro peccatis, & „ pro peccatorum pœnis, ac flagellis „ avertendis: hoc idem eſt quod hoſtia „ pro peccato. „

Pro tertia tandem Diſſertationis parte, in qua quæritur; an in qualibet Religione ſacrificium fuerit? Affirmative reſpondemus; & hoc probamus ex ſacrificii neceſſitate, quæ conſtat tum ex parte Dei, tum ex parte hominis; tum ex uſu perpetuo omnium Gentium, in quibus fuit ſemper ſenſus alicujus numinis, ac religionis.

Primo igitur ex parte Dei quadruplex neceſſitatis cauſſa aſſignatur; ſcilicet proteſtatio dominii ſupremi, quod in nos habet Deus; gratiarum actio pro beneficiis a Deo acceptis; impetratio novorum beneficiorum; & expiatio peccati, quod contra Deum committitur; quæ quidem omnia adducuntur, & explicantur a S. Thom. 2. 2. quæſt. 85. artic. 1. dicente: „ Ex „ naturali ratione procedit, ut quemadmodum dominis temporalibus, „ aliqua offeruntur in recognitionem „ dominii; ita etiam Deo, tanquam „ ſupremo omnium domino, quaſdam „ ſenſibiles res in ſignum debitæ ſubjectionis, & honoris offeramus: unde „ ſacrificiorum oblatio ad jus naturæ „ pertinet. „

Secundo, ex parte hominis, hæ neceſſitatis cauſſæ aſſignantur, nimirum ejus naturalis conditio, per quam corpore, & animo Deo ſe offerre debet, a Deo dependere, & ſubjectionem ſuam ipſi oſtendere: denique neceſſitas, quam habet, ut Deus ſibi peccata condonet, ac proinde condonationem hanc oblationibus ſuis debet a Deo poſtulare. Proinde Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. ſcribit: „ In nullum quippe nomen religionis, ſeu verum, ſeu „ falſum, coagulari homines poſſunt, „ niſi aliquorum ſignaculorum, aut Sacramentorum viſibilium conſortio „ colligentur. Et S. Thom. loco nuper „ citat. Naturalis ratio dictat homini, „ aut quod alicui ſuperiori ſubdatur, „ propter defectus, quos in ſeipſo ſentit, in quibus ab aliquo ſuperiori eget „ adjuvari, & dirigi. Sicut autem in „ rebus naturalibus naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur, ita etiam „ naturalis ratio dictat homini ſecundum naturalem inclinationem, ut ei „ quod eſt ſupra hominem ſubjectionem, & honorem exhibeat ſecundum „ ſuum modum. Eſt autem modus conveniens homini, ut ſenſibilibus ſignis „ utatur ad aliqua exprimenda, quia „ ex ſenſibilibus cognitionem accipit. „ Et ideo ex naturali ratione procedit, „ quod homo quibuſdam ſenſibilibus „ rebus utatur, offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubjectionis, & honoris, ſecundum ſimilitudinem eorum, „ qui dominis ſuis aliqua offerunt in „ recognitionem dominii. Hoc autem „ pertinet ad rationem ſacrificii; & ideo „ ratio ſacrificii pertinet ad jus naturale. „

Tertio, omni tempore, & ab omnibus hominibus, in quacunque religione fuerint, ſemper Deo oblata ſacrificia fuerunt: unde ait S. Thom. art. cit. „ in qualibet ætate, & apud quaslibet „ hominum nationes, ſemper fuit aliqua ſacrificiorum oblatio. Et S. Auſtinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 4.

„ Quis

Digitized by Google

„ Quis sacrificandum censuit, nisi ei, „ quem Deum, aut scivit, aut putavit, „ aut finxit? Quam porro antiquus sit „ in sacrificando Dei cultus, duo illi „ fratres Cain, & Abel, satis indicant, „ quorum majoris Deus reprobavit „ sacrificium, minoris aspexit: & cap. „ 19. Nec ob aliud fallaces illi (Spiri- „ tus) superbe sibi hoc exigunt, nisi „ quia vero Deo deberi sciunt. „

Objiciunt I. Deus sæpe rejiciebat sacrificia Judæorum: ergo sacrificia nihil habent meriti apud Deum. I. Sacrificia, quæ Gentiles offerebant, non Deo, sed dœmonibus offerebantur: ergo non erant protestationes humanæ subjectionis erga Deum. III. Deus in sacris literis expresse dixit, se nolle victimas Judæorum; nimirum Isaiæ 1. „ Quo mihi multitudinem victi- „ marum vestrarum? ..... Incensum „ abominatio est mihi: Neomeniam, „ & Sabbatum, & festivitates vestras „ alias non feram: Oseæ 6. misericor- „ diam volui, & non sacrificium. „

Respondemus ad I. Quod detestabatur Deus externa sacrificia Judæorum, quia fiebant sine animo interiori, & sine religionis, ac pietatis affectu. Quod ipsemet Deus dicebat Isaiæ 1. „ Iniqui sunt cœtus vestri, & Psal. 49. „ Tu disciplinam odisti, & projecisti „ sermones meos retrorsum. Si vide- „ bus furem, currebas cum eo, & cum „ adulteris portionem tuam ponebas; „ os tuum abundavit malitia, & lingua „ tua concinnabat dolos. „ Sacrificia vero externa, quæ cum debito, ac cum interiori cultu offerebantur, Deus nec rejiciebat, nec reprobabat. Unde Psalm. 49. citato subjiciebat: „ Immola Deo sacrificium laudis, & „ redde Altissimo vota tua, & invoca „ me in die tribulationis; eruam te, „ & honorificabis me. „

Ad II. Dicitur, etsi Gentiles errarent in cognitione veri Dei, sacrificia tamen, quæ offerebant, vero Deo offerre intendebant; ac proinde ipsorum error non consistebat in sacrificiorum oblationibus, sed in cognitione veri Dei, quem ignorabant.

Ad III. Deus rejiciebat sacrificia Judæorum, quia Judæi sacrificando a peccato non cessabant; unde per peccatum sacrificia ipsorum polluebantur, ac proinde a Deo detestabantur. Quod docuit Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 19. num. 3. dicens: „ Si quis solummodo secundum quod „ videtur, munde, & recte, & legiti- „ me offerre tentaverit ..... neque „ timorem habeat Dei; non per id, „ quod recte foris oblatum est sacrifi- „ cium, seducit Deum, intus habens „ peccatum. „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXXVII.

De Sacrificio Missæ. Quænam fuerint, & sint, Sacrificii Missæ nomina? Quinam fuerint, & sint, Sacrificii Missæ hostes?

INcipientes a nominibus sacrificii Missæ. Græci eam appellabant Liturgiam, quam vocem Latini explicant per publicum, & sacrum ministerium; & hoc quidem per anotonomasiam, quia in Religione Christiana nulla est actio præstantior, & nulla magis publica, quam ea, per quam Christi corpus, & sanguis conficiuntur, & omnium fidelium nomine per os, & manus publici ministri, qui est Sacerdos, Deo Patri offeruntur. Græci etiam Missæ sacrificiũ appellabant *Mystagogiam*, per quã vocẽ importatur secreta actio; quia actio hæc Gentilibus, Catechumenis, & Pœnitentibus publicis, non innotescebat: unde Author libri de Ecclesiastica hierarchia cap. 1. *Verumtamen ne ipsæ quidem symbolorum rationes omnibus sunt revelatæ, ac notæ, sed viris sanctis; quibus non licet eas exponere iis, qui adhuc sunt Catechumeni.* A Græcis similiter sacrificium Missæ dicebatur *Synaxis*, quæ vox significabat populi fidelis cum Christo unionem. Insuper Græci sacrificium Missæ vocabant *Anaphoram*, quæ vox interpetratur sursum elatio; quatenus sacrificium nostrum sursum fertur ad Deum; unde Sacerdos dicit: *Sursum corda*; & Ecclesia respondet: *habemus ad Dominum.* Denique sacrificiũ Missæ a Græcis appellatur Θυσια, ideſt oblatio: & vocabulum usurpatum fuisse ab Eusebio Cœsariensi, asserit Jueninus, dicens. „ Illud vocabulum usurpatum est ab Eusebio Cœsariensi; ubi „ enim jusjurandum refert, quod Novatianus extorquebat a suis gregalibus, dum sacram Communionem „ largiebatur, utitur *Oblationis* nomine; sic enim Cornelium Papam hisce „ verbis scribentem ad Fabium Antiochenum induxit; *Cum feciſſet* Oblationes, *& ſingulis partem Sacramenti diſtribuiſſet, porrexiſſetque, miſeros homines, & infelices pro benedictione, & gratiarum actione, jusjurandum dare coegit, atque ſuis utriſque manibus, manus accipientis prehendens, non prius dimiſit, quam hoc jurejurando eum obſtrixiſſet, (illius enim verbis utar) Jura mihi per corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam, nec me deſerturum, nec ad Cornelium reverſurum. Atque miſer homo non ante deguſtavit, quam ita illi ſe ſe devoviſſet, & qui illum acceperat, pro, Amen quod dicere debuerat: hoc dixit: non deinceps ad Cornelium revertar.* „ Idem oblationis nomen eodem in„ senſu sumitur in Concilio Nicæno I, „ can. 18. „ Hæc alia nomina a Græcis Patribus usurpata, refert Frassen in Appendice *de Sacrificio Missæ*; nimirum ab Epiphanio hæresi 75. *Economia, & Latria*; a Chrysostomo in epist. ad Hæbreos, *hostia mundana.*

Latini vero appellarunt sacrificium Missæ *Collectam*; & hoc, quia populi, ut interessent sacrificio, in unum colligebantur; unde Augustinus agens contra Donatistas, dicebat: „ Con„ fitebantur se collectam egisse.„ Dixerunt pariter *Dominicum*; proinde Cyprianus, contra Aquarios agens epist. 62. ad Cœcilium: „ Nunquid „ Dominicum celebrare debemus? „ Pariter dictum est *Agenda*; ut legitur

lib. 7.

lib. 7. capitularium cap. 165. *Si quis Presbyter, inconsulto Episcopo, Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.* Similiter eam dixerunt *oblationem*, ut pariter fecerunt Græci; propterea Tertullianus lib. 2. ad Uxorem: *Felix matrimonium, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio.* Augustinus lib. 2. quæst. Euangelicarum, quæst. 3. vocavit *Sanctum Sanctorum*: & lib. 9. Confessionum capit. 20. sacrificium pretii nostri: & lib. de Anima, & illius origine, cap. 9. *Sacrificium corporis, & sanguinis Christi*, & epist. 23. *Sacramentum, in quo Christus immolatur.* Sanctus Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 19. *Sacrificium panis, & vini.*

Tandem communi vocabulo Sacrificiũ Eucharistiæ dictum est *Missa*; ut eum vocat Ambrosius in epist. ad Marcellinam Sororem: & Victor Uticensis lib. 2. Wandalicæ persecutionis. Hujus nominis antiquitatem ostendit Baronius ad annum Christi 34. n. 60. dicens: „ Ea enim voce usa videtur in suo ipsius exordio Romana Ecclesia: Nam Pius Papa, proximus „ Apostolorum temporibus, scribens „ ad Justum, Episcopum Viennensem, „ idem sacrificium Missam vocans, sic „ dicit, ut habetur tom. 2. Bibliot. veterum Patrum. *Soror nostra Eupropria, sicut bene recordaris, titulum „ domus suæ pauperibus assignavit, ubi „ nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus.* Item Cornelius „ Papa epist. ad Lupicinum, Viennen„ sem Episcopum, his utitur verbis: „ *Publice, neque criptis notioribus, Miss„ sas agere Christianis licet.* Eodem usi „ sunt nomine cæteri Romani Pontifices, quod longum esset figillatim „ recensere. In Concilio Romano sub „ Sylvestro in fine: in Concilio Carthaginensi 2. can. 3. in Concilio Agathensi, cap. 47. & aliis, Patres, qui „ interfuerunt, eodem quoque *Missæ* „ pronomine ipsum incruentum sacrificium nominarunt; sicut, & Ambrosius ad Marc. epist. 13. Augustinus serm. 251. de tempore, Victor „ Uticensis lib. 3. de persecutione Wandalorum, ac denique cæteri, & post „ ipsos Recentiores omnes; *Hæc ibi „ Baronius.* „

Et quidem circa hanc vocem *Missam*, duo sunt observanda; unum est, quod aliquando usurpata fuerit pro rebus aliis, quæ ad Eucharistiæ sacrificium non pertinent: alterum vero, a quo ejusdem vocis origo sit deducenda? Circa primum, hæc scribit Jueninus in præfatione ad dissertationem 5. de Eucharistia pro ut est sacrificium: „ Monitum igitur velim Lectorem, „ Missæ nomen a Latinis Scriptoribus „ sæpius pro multis usurpatum fuisse, „ quæ ab Eucharistiæ sacrificio longe „ absunt. 1. Ea voce usi sunt, ut Ca„ techumenorum a Liturgia dimissionem significarent; *Episcopus* (ait can. „ 84. quarti Concilii Carthaginensis) „ *Nullum prohibeat usque ad Missam Ca„ techumenorum*: nec aliud, his etiam „ temporibus significatum vult Eccle„ sia, cum peracto sacrificio, per os „ Diaconi hæc edicit: *Ite Missa est.* „ 2. Missæ nomen sumpserunt pro ea „ Liturgiæ parte, quæ ab Offertorio „ ad finem usque sacrificii protrahitur, „ soletque, proprio nomine, *Missa „ fidelium* appellari; *Non tunc fiunt Miss„ sæ* (inquit S. Cœsarius Arelatensis „ homil. 12.) *Quando divinæ lectiones „ in Ecclesia recitantur, sed quando mu„ nera offeruntur, & corpus, vel sanguis „ Domini consecratur.* 3. Eandem vo„ cem adhibuerunt pro *Collectis*, sive „ pro iis orationibus, quæ in ipsa sacri„ ficii celebratione a Sacerdote reci„ tantur; *Placuit* (inquit secundum „ Concilium Milevitanum cap. 12.) „ *Ut Preces, vel Orationes, seu Missæ, „ quæ probatæ fuerint in Concilio, ab „ omnibus celebrentur.* 4. Eodem ter„ mino Latini Patres usi sunt, ut San„ ctorum memorias, seu solemnitates, „ significarent; sic in capitularibus, „ festum S. Martini, Missa S. Martini „ nuncupatur. 5. Eo vocabulo Patres „ Latini significatam voluerunt totam „ Liturgiam, sive integrum sacrificii „ offerendi ordinem; quatenus nempe „ tum Catechumenorum, tum fide„ lium Missam complectitur.

Alterum autem, quod continet vocis Missæ originem, sunt qui eam repetunt ab hebraica voce; ea moti ratione, quod Deutoronomii 16. legatur Missa, & pro oblatione intelligatur, quam Hebrei offerebant Domino, pro acceptis fructibus terræ, & pro eis gratias Domino reddebant.

Hu-

Digitized by Google

Hujus opinionis fuit Concilium Senonense in decretis fidei cap. 11. & post ipsum Theologi etiam quamplures, inter quos Baronius, loco superius citato num. 59. scribens: *Neque tamen prætermittendum est, quod cum multa sint hujus sacrificii nomina, illud est antiquissimum, & apud Latinos usitatius atque frequentius, Missa, quod quidem (sicut & christiana fides profitetur) ex hebraica, vel caldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata legitur Deuter. 16. spontanea oblatio, hebraice, & caldaice dicitur Missah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua & vescebantur in templo, cum recordatione præteritæ servitutis, & ab eadem liberationis, quæ quidem omnia, cum optime conveniant prædicto a Christo instituto sacrificio, eo potius majores nostri usi sunt nomine, quam cujuspiam alterius sacrificii.* At de hac Baronii opinione hæc scribit Jueninus. „ Sed ita „ licet senserit doctissimus Baronius, „ in eam tamen opinionem ne abeamus obstat Apostolorum de ea voce „ silentium. Quanvis enim patione „ Hebrei fuerint, nusquam tamen ea „ usi sunt; nec primi Christiani, qui ex „ Oriente in Occidentem catholicam „ fidem invexerunt; licet hæc, & alia „ nomina, *Amen*, *Alleluja*, *Sabaot*, „ *Sabbatum*, retinuerint. „

Alii autem, rejecta ex hebreo Missæ denominatione, recurrerunt ad Græcum, & voluerunt deduci a græco vocabulo μῦσις, quod oritur a græca voce μύω, quæ latine interpretatur doctrina; & rationem reddunt dicentes: „ Nec mirum; christianum „ enim sacrificium mysticam, ac sublimam doctrinam complectitur. Sed „ illorum Authorum pace dixerim, „ opinionem, quam tuentur, omni „ carere verisimilitudine, cum vox „ Missa Græcos omnes fugiat, nec „ inter eos aliquis ejusmodi termino „ usus sit, ut eucharisticum sacrificium „ exprimeret. „

Reliqui, omittentes denominationem Missæ ex græco, recurrerunt ad denominationem ex latino: Albaspinæus vult Missam dici a nomine *Meths*, quo significatur apud Septentrionales Festum, vel ad Festum, congregatio. Et quia populi in unum adunantur, ut sacrificio intersint, ideo sacrificio eucharistico Missæ nomen a Latinis datum est. At hæc opinio etiam a Juenino confutatur, dicente: „ Verum vir, alioquin „ omni eruditionis genere conspicuus, „ potest ex eo confutari, quod Septentrionales populi non ante decimum „ seculum religioni christianæ nomen „ dederint, ac proinde fideles ab eis „ nomen mutuari non potuerunt, quo „ jam quarto Ecclesiæ secundo utebantur; *Ego mansi in munere* (inquit Ambrosius epist. 33. de Basilicis tradendis agens) *Missam facere cœpi, orare „ in oblatione Deum, ut subveniret.* „ Aliquibus post annis eadem voce „ usus est Leo Magnus: *Nec publice* „ (inquit epist. 88.) *In Missa quemquam „ pœnitentem reconciliare &c. Necesse „ est*, (ait idem S. Doctor epist. 81.) „ *ut quædam pars populi sua devotione „ privetur, si unius tantum Missæ more „ servato, sacrificium offerre non possunt, „ nisi qui prima diei parte convenerint.* „

Alii deductam volunt a latina voce *mitto*; & hujus sententiæ est Cardinalis Bona, de quo dicit Jueninus: *Eminentissimo Cardinali Bona visum est*, Missam *latinum esse vocabulum*; *quod quidem a* mittendo *dictum sit*; *tum quod sacrificium ex oblatis a populo missis olim fieret*; *tum quod Ecclesia Sacerdotum ore, ac manibus, preces suas in sacrificio ad Deum transmittat*; *tum etiam* (inquit Magister sententiarum) *quod Angelus mittatur, ut tremendo intersit sacrificio. Addit laudatus mox Cardinalis, probabilem sibi videri illorum opinionem, qui nomen illud ortum putant a solenni plebis dimissione, quæ quondam peractis divinis precibus fieri solebat. Sed hæc de christiani sacrificii nomine satis sint, ejus vero substantiam explicemus oportet.* Ejusdem interpretationis meminit Frassen, eamque tribuit Gregorio Magno, scribens: *Unde verisimilius est, vocem illam esse latinam, & deductam, vel a verbo* mitto, *quia in illa oblatio, & & preces ad Deum mittuntur: sicque dum Diaconi in fine oblationis populo denuntiant*: Ite Missa est; *sensus est, quod oblatio sit pro eis ad Deum transmissa*; *sicque liberi possunt recedere. Ita explicat S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 58. ubi hæc scribit*: „ Dicitur „ Missa quasi transmissio, eo quod „ popu-

„ populus fidelis per ministerium Sa-
„ cerdotis, qui fungitur vice Mediato-
„ ris inter Deum, & homines, preces
„ & supplicationes, & vota transmit-
„ tat Altissimo, Ipsum vero sacrificium
„ idest, hostia, Missa vocatur, quasi
„ transmissa primum nobis a Patre, ut
„ esset nobiscum per Incarnationem; ;
„ postea Patri a nobis, ut intercedat
„ pro nobis ad ipsum per Passionem;
„ ut in Sacramento primum nobis a
„ Patre per sanctificationem, postea
„ Patri a nobis per oblationem. „ *Vel*
„ *quod verius apparet, Missæ nomen de-*
„ *ductum est a* Missione, *seu* dimissione
„ *populi, post peractum sacrificium. Ita*
„ *S. Augustinus serm. 237. de tempore*,
„ *& Isidorus lib. 6. Originum cap. 16. &*
„ *alii plurimi; Antiquis enim familiare*
„ *est usurpare præterita passiva loco nomi-*
„ *num verbalium, sic interdum apud eos,*
„ *remissa idem significat, ac* remissio, col-
„ lecta, *ac* collectio. *Duplex autem*
„ *erat olim populi dimissio:* altera *quidem,*
„ *quæ fiebat, dum finitis lectionibus sacræ*
„ *Scripturæ, & illis precibus, quibus*
„ *interesse poterant Catechumeni, Ener-*
„ *gumeni, & alii non initiati: hi & si-*
„ *miles jubebantur exire voce Diaconi eis*
„ *exitum præcipientis, ne sacris interes-*
„ *sent*, Altera *cum peracta Euchari-*
„ *stiæ celebratione fiebat facultas fidelibus*
„ *exeundi; Diacono proclamante*; Ite
„ Missa est,„ Et hæc pro prima dissertationis parte, quæ sacrificii eucharistici nomina comprehendit. Nunc deveniamus ad recensendos errores, qui contra ipsum ab Hæreticis, sive veteribus, sive modernis, inducti sunt,

Primo, Missæ sacrificium negarunt veteres illi hæretici, de quibus S. Ignatius Martyr in epist. ad Smyrnenses, qui credentes Christum assumpsisse non veram carnem, sed phantastică, & cum ea non vere, sed phantastice tantum fuisse passum, ac mortuum, consequenter ad hæc non celebrabant Eucharistiam, & Oblationes, Refert Tournely art. 1.

Secundo, Bogomoli mysticum venerandum sacrificium contemnebant, atque despiciebant, & sanctam corporis, & sanguinis Domini communionem Dœmonum, qui in templis habitant, sacrificium appellabant, Refert Coccius in thesauro lib. 6. de Eucharistia artic. 4. ex Euthymio in panoplia part. 2. tit. 23. cap. 17. & ex Armenopulo de sectis.

Tertio, Pseudoapostoli, negabant Missam esse sacrificium, nec celebrari debere, asserebant. Idem Coccius testatur ex Petro Cluniacensi epist. 1. contra Petrobrusianos.

Quarto, Waldenses semel tantum in anno, idest in cœna Domini, Missam celebrabant, & illam absque forma verborum Christi: *Hoc est corpus meum*: septies dicendo *Pater noster*. Testis est Guido de Waldensibus.

Quinto, Arnoldus de Villanova dixit, quod in sacrificio Missæ non laudatur Deus opere, sed ore tantum. Refert Nicolaus Eymericus part. 2. quæst. 11.

Sexto, Lollardi dicebant, Missas esse vanitatem, & bullus, vel reverentiæ, vel utilitatis. Ita Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad anno 1315.

Septimo, Joannes Wiclefus art. 5. in Concilio Constantiensi damnatus, asserunt; non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missas ordinavit. Verum de his omnibus antiquis hæreticis hæc est Juenini opinio, quam propriis ipsius verbis exprimimus: *Nullus fere est e recentioribus hæreticis, qui non contendat, Waldenses damnasse Ecclesiam Romanam, quod credat, Eucharistiam esse verum legis novæ sacrificium. Sed id fingunt, ut inter Christianos duodecimi seculi erroris sui patronos inveniant. Nam* 1. *nullus ex historicis, qui duodecimo, & decimo tertio seculo texuerunt catalogum errorum, quos Waldenses profitebantur, hunc eis affingit, quod negarent Eucharistiam esse verum legis novæ sacrificium. Nec enim Reynerius, qui scripsit circa annum* 1250. *cuique accurate perspecta fuerunt Waldensium dogmata; nec Philiodorfius, qui centum post annos eorum reliquiis bellum indixit, nec Eymericus Inquisitor, qui contra illos egit sæpissime; nec Claudius Seyssellius, Archiepiscopus Taurinensis, qui anno* 1517. *de Waldensium in quibusdam Taurinensis Diœceseos angulis latitantium dogmatis inquisivit, asserunt, eos eucharisticum sacrificium rejecisse.* 2. *E contra Reynerius, Philodorfius, Seyssellius scribunt, Waldenses Eucharisticam sacrificium a pits suæ sectæ ho-*

mini-

minibus, licet Laicis, non vero ab Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, cum ex ipsis, impii essent nulla erat consecrandi potestas. 3. Post annum 1530. aliud quidem senserunt, qui Sabaudiæ, & Delphinatus montes ducentis ante annis se receperant; sed neminem fugit tunc a Bucero, & Helvetiis Calvinianam reformationem accepisse; unde ex fide, quam illi Waldenses postea professi sunt, nihil pro antiquorum Waldensium doctrina concludi potest.

Octavo, dubitant quidam de Joanne Hus, an fuerit Missæ sacrificii hostis; & hoc sibi suadent aliqui ea ratione, quia Wiclefus fuerit semper apud Joannem summo in pretio habitus. Attamen idem Jueninus de eodem scribit. *Dubitatum est a quibusdam, an Joannes Hus Missæ sacrificii hostis extitisset, quod nempe Wiclefus apud eum summo semper in pretio fuerit. Sed jam temporis extra controversiam est Joannem Hus in nullo dogmate dissensisse ab Ecclesia Romana, quam in articulo de Communione sub utraque specie; ratum est quoque, eum, licet interdicto ligatum, Constantiæ quoad potuit, celebrasse Missam. Argumenta quibus assertum hujusmodi nititur, Latroquius, Calvinianæ sectæ minister apud Gallos, abunde sufficit in historia quam de Eucharistia scripsit, part. 2. cap. 19.*

Nono, Lutherus apertissimus sacrificii Missæ hostis, hæc convicia, & improperia contra ipsum evomuit in Colloquiis convivalibus fol. 352. 6. Malo admittere, ut nullus rusticus Sacerdotibus, Monachis, atque Ecclesiasticis, aliquid det, imo Turcas potius, aut Tartaros tolerabo, quam ut Missa maneat. Libro contra Regem Angliæ: Manifestum est, Sacerdotes in Missa id omittere, quod Judæi fecerunt in Cruce Christo. Libro contra Oecolampadium, ac Zuinglium: Maxima sunt peccata mea, quod tam sanctus fui Monachus, ac tot Missis per annos quindecim, Dominum meum tam graviter offendi. Ad capit. 66. Esaiæ: Monachi quoties Missam celebrant, gravius peccant, quam si cædem faciant. Est enim blasphemiæ opus.

Decimo, Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 18. contra Missæ sacrificium portenta hæc scribere non erubuit. Horrendæ abominationis fuit, cum signum extulit Satan, quo non modo obscuraretur, & perverteretur, sed penitus abolita, & obliterata evanesceret, & ex hominum memoria excideret sacra Christi Cœna: nempe cum pestilentissimo errore totum pene orbem obcœcavit, ut crederet, Missam sacrificium, & oblationem esse ad interpretandam remissionem peccatorum. Scribit deinde, se verbo Dei clarissime comprobaturum, hanc, quantumvis fucatam, & splendidam, insigni contumelia Christum afficere, crucem ejus sepelire, mortem ejus inoblivionem tradere, fructum, qui ex ea proveniebat, tollere.

Undecimo, Nicolaus Emmincius ad capit. 2. epist. 2. ad Thessalonicenses scripsit: Missa abominabilius idolum est, quam ullum ethnicum idolum unquam fuit.

Duodecimo, Jacobus Henbrandus in posteriori disputatione, de missa, habuit: Constanter affirmamus, Missam esse cultum impium, & idololatricum.

Digitized by Google

DISSERT. CCCCXXXVIII.

De ſacrificio Miſſæ. Quomodo probetur ſacrificium Miſſæ ex veteri Teſtamento? Quomodo probetur ex novo? Quomodo probetur ex Traditione?

Recentiores Sectarii fatentur quidem, Miſſam eſſe ſacrificium ſpirituale, vel improprium, ſed negant eſſe ſacrificiũ externũ, viſibile, & proprie dictum, in quo corporis & ſanguinis Chriſti oblatio Deo Patri exhibeatur, Contrarium autem eſt, quod intendimus nos, & quod in hac diſſertatione probamus.

Dicimus I. Sacrificium Miſſæ ex veteri Teſtamento probari.

I. Probatur Concluſio. Genes. 14. dicitur, *Quod Melchiſedech, Rex Salem, protulit panem, & vinum: erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi: benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creavit Cœlum, & Terram.* Poſtquæ verba Bellarminus lib. 5. de Miſſa cap. 6. hæc addit; *Hunc locum de Chriſto ita referunt David Pſal. 109. & Paulus Hebr. 7. ut non dicant, Melchiſedechum figuram tantum Chriſti geſſiſſe, quod etiam de Aarone dici potuiſſet, ſed Chriſtum Sacerdotem fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, & non ſecundum ordinem Aaronis, ut aperte ſcribit Paulus.* Hinc habetur differentia inter Sacerdotium Aaronis, & Sacerdotium Melchiſedechi, poſita in externa ſpecie ſacrificii, Etſi enim utrumque Chriſtum crucifixum ſignificaret, in ſignis tamen diverſificabantur; quia ſacrificia Aaronica erant cruenta, & mortem Chriſti repræſentabant: Sacrificium vero Melchiſedechi fuit incruentum, & ſub ſpecie panis, & vini ejuſdem Chriſti corpus, & ſanguinem figuravit. Ex quo colligit laudatus Bellarminus cit. loco. „ Quare ſi Chriſtus „ Sacerdos eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, & non Aaronis, ſacrificium inſtituere debuit incruentum, „ & ſub ſpecie panis, & vini, ut Eccleſia Catholica recte canit in veſperis feſti Corporis Domini: *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundum ordinem Melchiſedech panem, & vinum obtulit.* Quod ſi ex vi Sacerdotii ſecundum ordinem Melchiſedech non certo colligeretur, ut certo colligitur, Chriſtum ſacrificaſſe „ debuiſſe hoſtiam in ſpecie panis, & „ vini; id tamen colligeretur ex vi typi, „ & figuræ. Fuit enim Melchiſedech „ in illa ceremonia panis, & vini, „ figura manifeſtiſſima, conſenſu Patrum, quem paulo poſt adferemus, „ Chriſti ſacramentum Euchariſtiæ inſtituentis in pane, & vino. Sed Melchiſedech panem, & vinum obtulit, „ ut Sacerdos Dei Altiſſimi, ac proinde vere ſacrificavit; igitur, & Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ, ut „ Sacerdos egit, & vere ſacrificavit, „ alioquin non exacte figuram illam „ impleviſſet. „ Cæterum pro ſacrificio Melchiſedechi repræſentativo ſacrificii Miſſæ faciunt, quæ ad rem apprime ſcripſerunt Patres; & quidem Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum circa finem, ait: *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei Altiſſimi, qui vinum, & panem ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ.* Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cœcilium, explicans verba illa Pſalmi: *Tu es Sacerdos in æternum ſecun-*

ſecundum ordinem Melchiſedech : ita ſcribit : *Qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus? Qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt, panem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem?* Euſebius Cæſarienſis lib. 5. demonſtrationis evangelicæ cap. 3. *Et ſane oraculi exitus admirabilis ei, qui contemplatur, quemadmodum Salvator noſter Jeſus, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos Miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille Sacerdos, gentium erat, nunſquam videtur ſacrificiis corporalibus functus; ſed vino ſolo, & pane, dum ipſi Abraham benedixit; ita ſane primus ipſe Salvator, ac Dominus noſter, deinde qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes, in omnibus gentibus ſpirituale ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino, ac pane corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant; quæ ſane myſteria Melchiſedech tanto ante ſpiritu divino cognoverat, & rerum futurarũ imaginibus uſus fuerat.* S. Ambroſius, vel quislibet alius ſub ejus nomine, lib. 5. de Sacram. cap. 1. *Cognovimus Sacramentorum iſtorum figuram Abrahæ temporibus præceſſiſſe, quando obtulit ſacrificium S. Melchiſedech.* Et infra : *Diximus, quod in Altari conſtituatur calix, & panis; in calice mittitur vinum, & quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis; Quomodo ergo Melchiſedech panem, & vinum obtulit? Quid ſibi vult admixtio aquæ?* S. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam, ut migret Bethlehem : *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech Regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Chriſti panem, & vinum obtulit, & myſterium chriſtianum, in Salvatoris ſanguine; & corpore dedicavit.*

II. Probatur ex figura agni paſchalis, cujus fit ſermo Exodi 20. & alibi; & argumentum ex eo deductum ſic proponit cit. Bellarminus cap. 7. Celebratio agni paſchalis figura erat expreſſa celebrationis Euchariſtiæ; ſed illa erat immolatio quædam victimæ Deo oblatæ: ergo celebratio Euchariſtiæ eſſe debet immolatio victimæ Deo oblatæ, ut figura figurato reſpondeat. Major probatur ex Apoſtolo prima ad Corint. 5. *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Inſuper probatur ex Patribus; nempe Tertulliano lib. 4. in Marcionem exponente illud Lucæ 22. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*; & dicente : *Profeſſus ſe concupiſcentia concupiſſe edere Paſcha, ut ſuum* (indignum enim ut quid alienum concupiſceret Deus) *acceptum panem, corpus ſuum efficit* &c. Ambroſio in cap. 1. Lucæ : *Quando ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur: etenim Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus*, Gaudentio tract. 2. in Exodum. *In umbra illius legalis Paſchæ, non unus agnus occidebatur, ſed plures. Singuli enim occidebantur per domos, nam ſufficere unus non poterat univerſis.* Et infra : *Idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis, & vini reficit immolatus, vivificat creditus, conſecrantes ſanctificat conſecratus, hæc agni caro, hic ſanguis eſt.* Hieronymo in cap. 26. Mat. *Poſt quam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat: aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & adverſum Paſcha tranſgreditur Sacramentum.*

III. Probatur ex aliis figuris aliorum Sacrificiorum veteris teſtamenti. Fœdus, quod Deus pepigit cum Hebreis, ſancitum fuit ſolemni ſacrificio, & ſanguinis aſperſione, per illa verba : *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Hæc recitat Apoſtolus ad Heb. 9. & adducit verba Moyſis Exodi 24. Hoc ipſum explicat Chryſoſtomus in Pſal. 95. *Omnia veterum ſacrificia nova ſuperveniente gratia uno complectitur ſacrificio.* Et Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. ait; *Menſa, quam Sacerdos novi Teſtamenti exhibet, de corpore, ac ſanguine ſuo eſt; id eſt enim ſacrificiũ, quod ſucceſſit omnibus ſacrificiis, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam agnoſcimus vocem illam in Pſalmo 89. ejuſdem Mediatoris; corpus autem aptaſti mihi, quia pro illis omnibus*

Digitized by Google

bus sacrificiis, & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.

IV. Probatur ex illo Malachiæ 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quod testimonium hoc de Missa sit intelligendum, Bellarminus cap. 10. probat his verbis „ Hoc testimonium non potest „ intelligi de sacrificio Crucis, quia „ illud non offertur in omni loco, sed „ semel tantum uno in loco oblatum „ fuit; nec de sacrificio aliquo Judaico, „ quia Profeta dicit a Gentibus offe„ rendum, & aperte illud opponit sa„ crificiis Hebreorum. Neque etiam „ de sacrificiis Gentilium piorum, qui „ erant in mundo ante Christi adven„ tum, ut Melchisedech, Job, & simi„ lium. Hi enim viri Sancti inter Gen„ tiles paucissimi erant, ac præsertim „ temporibus Prophetarum, quando „ Idololatria mundum plane repleve„ rat, itaut David diceret: *Notus in „ Judæa Deus, in Israel magnum nomen „ ejus.* Psalm. 75. Malachias autem „ contrario modo vaticinatur: *Ma„ gnum est nomen meum in Gentibus, & „ ab ortu solis usque ad occasum &c.* Nec „ denique potest locus hic Malachiæ „ intelligi, ut quidam suspicati sunt, „ de sacrificiis Gentilium idololatra„ rum: non enim illa oblatio munda „ ullo modo dici posset, nec Deo vero „ offerebatur, sed Diis alienis: *Quæ „ enim Gentes immolant*, inquit Apo„ stolus 1. Corinth. 10. *Dæmoniis immo„ lant, & non Deo.* „

Dicimus II. sacrificium Missæ probari ex novo Testamento.

I. Probatur Conclusio. Sacrificium Missæ tunc esset verum sacrificium, si Christus, ipsum instituens, obtulisset Deo Patri sub specie panis, & vini, & sic etiam jussisset offerri ab Apostolis, eorumque Successoribus; sed ita revera fuit; ut legitur Matt. 26. Marci 14. Luc. 22. & 1. ad Corinth. 11. ergo sacrificium Missæ ex novo Testamento est verum sacrificium. Probatur minor. In verbis apud citata loca relatis, dicitur, quod Corpus Christi datur, frangitur, & sanguis Christi effunditur; sed hæc verba important verum sacrificium. Argumentum vim habet, quia non ait Christus, quod vobis datur, quod vobis frangitur, quod vobis effunditur, sed quod pro vobis datur, frangitur, effunditur; quæ sane verba important utilitatem actionis esse pro nobis, obiectum vero esse Deum Patrem; ac proinde veram rationem sacrificii importare.

II. Probatur. Haberemus verum sacrificium in Eucharistia, si Christi corpus, & sanguis sumerentur in cœna ut caro, & sanguis victimæ, quæ pro nobis offertur; sed sic de facto sumuntur: ergo &c. Minor hoc pacto a Bellarmino probatur: „ Sumi „ autem Christi corpus, & sanguinem, „ ut participationem victimæ, Luthe„ rani non negant: & si negarent, fa„ cillime probaretur. Nam in primis „ ideo in cœna seorsim consecratur „ corpus, & seorsim sanguis, ut intel„ ligamus, præsentiam corporis, & „ sanguinis in cœna esse ad modum „ occisi, & mortui corporis. Deinde „ corpus, & sanguis sunt in cœna ut „ cibus, & potus. At caro, & sanguis, „ non sunt apta ad cibum, nisi prius „ animal moriatur; Christus autem non „ moritur, nisi per immolationem. „ Et hoc est argumentum Gregorii „ Nysseni in prima oratione de Resur„ rectione, ubi colligit in cœna Chri„ stum immolari, quia non possemus „ aliter carne ejus vesci. Hinc etiam „ Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. „ dicit, Matrem suam omnibus diebus „ servisse Altari, unde sciret dispensari „ victimam sanctam. „

III. Probatur. Patres in novo testamento agnoscunt verum sacrificium Deo offerri per Eucharistiam; ergo ex novo testamento probatur, Eucharistiam continere verum sacrificium. Antecedens probatur ex verbis Patrum, quæ ab eodem Bellarmino afferuntur: Patres sunt. Iræneus lib. 4. cap. 32. *Novi testamenti novam docuit oblationem.* Cyprianus lib. 2. epist. 3. *Quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? Qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet, & vinum, hoc est, suum corpus, & sanguinem.* Ambrosius

Digitized by Google

sius in Psalm. 38. in illa verba : *In imagine pertransit homo : vidimus*, inquit, *Principem Sacerdotum ad nos venientem ; vidimus, & audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur ut possumus, Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, Nam & si infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio : quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offeretur : immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur*. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Resurrect. *Pro ineffabili, arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit, sacrificii modo, sua dispositione prævocupat impetum violentum, ac seſe oblationem, ac victimam offert pro nobis Sacerdotes simul, & agnus Dei. Quando hoc accidit ? Cum suum corpus ad comedendum, & sanguinem ad bibendum familiaribus præbuit*. Joann. Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinthios : *Pro brutorum*, inquit, *cæde se ipsum offerendum præcepit*. Et homil. 2. in posteriorem ad Timotheum, prope finem, *Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujuscunque meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt : nihil habet ista, quam illa minus. Cur id ? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat*. Augustinus in Psal. 33. conc. 2. *Ipse de corpore, & sanguine suo, sacrificium instituit, secundum ordinem Melchisedech*. Vide etiam lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 19. lib. 20. contra Faustum, cap. 21. epist. 5. ad Marcellinum, lib. 17. de Civit. Dei, cap. 20. & lib. 83. quæst. 61. Leo serm. 7. de Passione Domini : *Ut umbræ cederent corpori &c.* Isichius lib. 2. in Levit. cap. 8. Prius figuratam ovem cum Apostolis cœnans Dominus, postea suum obtulit sacrificium. Rupertus lib. 2. in Exodum cap. 6. *In angustia passionis agonizans, prius propriis manibus Deo Patri semetipsum immolavit, accipiens panem &c.*

Dicimus III. Sacrificium Missæ in Eucharistia probari ex Traditione.

I. Probatur. Liturgiæ, quæ per universas Christiani Orbis partes, a primis usque seculis invaluerunt, sacrificium Missæ aperte ostendunt ; ejusque ritus exhibentes, illius antiquitatem invicte demonstrant ; unde Petrus, venerabilis Abbas Cluniacensis, ex Liturgiarum antiquitate veritatem sacrificii probans in epistol. 2. contra Hæreticos Petrobrusianos, hæc scribebat. *Respondet vobis, hostes Dei, Ecclesia Dei, se neque absque sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliquid, quam corpus, & sanguinem sui Redemptoris offerre : offert quidem illa Domino Deo suo sacrificium spiritus contribulati, de quo ait Propheta ; sacrificium Deo spiritus contribulatus : offert sacrificium justitiæ, de quo idem : tunc acceptabis sacrificium justitiæ : offert sacrificium laudis, de quo idem dicit ; Immola Deo sacrificium laudis : sed longe acceptabilius offert sacrificium, eum scilicet, quia, juxta Apostolum, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientias nostras ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi : offert Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec divisus minuitur, nec comestus consumitur ; offert ipsum pro se ipsa, qui, seipsum obtulit pro ipsa, & quod ille fecit semel moriendo, hoc illa facit semper offerendo*. Liturgiæ autem, quas asserimus, scimus quod ab Eruditis Criticis, non admittuntur illorum esse, quorum nomina præseferunt : attamen ipsarum antiquitatem negare non possunt, quod sufficit ad probandum, quod nos intendimus. Et quidem hæ sunt : *Liturgia Ecclesiæ Romanæ a D. Petro Apostolo tradita*. „ Hostiam „ tibi Domine destinatam in oblatio„ nem sanctifica, & per eam nos cle„ menter suscipe, per Dominum no„ strum Jesum Christum. Te igitur, „ benignissime Pater, supplices roga„ mus, ac petimus, ut accepta habeas, „ & benedicas hæc dona, hæc munera, „ hæc sancta sacrificia illibata. Impri„ mis quæ tibi offerimus pro Ecclesia „ tua sancta Catholica &c. Deprecа„ mur, ut accepta habeas, & benedi„ cas hæc dona, hanc oblationem, „ hanc hostiam irreprehensam. In pri„ mis, quæ tibi offerimus pro sancta „ tua Catholica, & Apostolica Eccle„ sia. Memento Domine servorum „ tuorum, qui offerunt hanc hostiam „ lau-

„ laudis pro seipsis, & suis omnibus, „ pro Redemptione animarum, & corporum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ. Tua ex tuis offerimus venerandæ Majestati tuæ de donis tuis, „ & charismatibus, hostiam puram, „ hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, „ & calicem salutis perpetuæ. Super „ quæ propitio, & sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti dignatus es dona pueri tui justi „ Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ; & quemadmodum tibi „ primus Sacerdos tuus Melchisedech „ sanctum sacrificium, & immaculatam hostiam, supplices te rogamus „ omnipotens Deus, jube hæc administrari per manum Sancti Angeli tui, „ in illud sublime Altare tuum, coram „ divina Majestate &c. „ *Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ a D. Jacobo primum conscripta*. „ Domine, Domine, qui visitasti nos in misericordia, & commiseratione, & nobis „ abiectis peccatoribus, ac indignis „ servis tuis concessisti, ut confidentes accederemus ad sanctum Altare „ tuum, & offeremus tibi verendum „ hoc, & incruentum sacrificium pro „ peccatis nostris, & ignorantiis &c. „ Placeat tibi Domine, ut nos ministri „ simus tui novi testamenti, ac sacrificii immaculatorum tuorum mysteriorum, & admitte nos accedentes ad sanctum Altare, ut digni simus, qui offeramus tibi munera, & „ sacrificium pro nobis, & pro iis, quæ „ populus per ignorantiam admisit: „ daque nobis Domine, ut tibi cum „ omni metu, ac pura conscientia hoc „ sacrificium spiritale, atque incruentum offeramus: quod ubi admiseris „ in sanctum, super cœleste, ac intellectuale tuum Altare, in odorem „ suavitatis spiritualis, vicissim mitte „ nobis gratiam spiritus tui sanctissimi. „ O Deus respice in nos, & ad nostrum „ hoc rationale obsequium intuere, „ idque accipe, ut Abel dona accepisti, „ Noe sacrificia, Moysis, & Aaronis „ Sacerdotia, Samuelis pacifica, Davidis pœnitentiam, Zachariæ incensum: ut de manu Apostolorum „ tuorum verum hunc cultum accepisti: ita quoque e manibus nostris, qui „ peccatores sumus, recipe munera „ hæc proposita, per tuam benignitatem: & fac, ut oblatio nostra grata, „ & acceptabilis sit per Spiritum Sanctum sanctificata, in propitiationem „ peccatorum nostrorum, ac eorum, „ quæ populus per ignorantiam admisit. „ *Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ, Auctore D. Marco*. Purga cor nostrum „ ab omni inquinamento, ut corde „ puro, & pura conscientia tibi hoc „ Thymiama offeramus, in odorem „ suavitatis, & in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi „ tui &c. Thymiama offerimus coram „ sancta gloria tua, quod assumas in „ sanctum, supercœleste & intellectuale tuum Altare &c. Per quem *Christum* offerimus rationabilem, & incruentam λατρείαν, seu oblationem „ hanc, quam offerunt tibi Domine „ omnes gentes, ab ortu solis usque ad „ occasum, a Septentrione ad Meridiem: Quia magnum nomen tuum „ in omnibus gentibus, & in omni loco „ incensum offertur nomini tuo sancto, „ & sacrificium, & oblatio. „ *Liturgia Ecclesiæ Æthiopum, cujus primum auctorem ferunt D. Matthæum Apostolum. Quando Sacerdos offert hostiam super Altare, dicit orationem sequentem*: „ Domine Deus noster, qui suscepisti sacrificium Abel in deserto, „ & Noe in Arca, & Abrahæ in summitate montis, & Heliæ in Monte „ Carmeli, & David in area Orna Jebusæi, & oblationem pauperculæ viduæ in templo sancto: Sic oblationem meam, & omnium famulorum, „ famularumque tuarum, offerentium „ in nomine sancto tuo suscipe, & pro „ meis, & eorum peccatis fiat redemptio: & sicut nos offerimus, ita mercedem nobis retribue, in præsenti „ seculo, & in futuro, & in secula seculorum, Amen. *Oratio oblationis* „ *sacræ*: O amator hominum humiliter „ imploramus, ut faciem tuam super „ hunc panem, & calicem in hoc Altare portatile ostendas: benedic, „ sanctifica, munda, & transfer panem „ hunc in carnem tuam immaculatam, „ & vinum hoc in sanguinem tuum „ pretiosum; fiat sacrificium ardens, & „ acceptabile, medela, & salus animæ, & corpori nostro &c. Præsta „ Domine sicut eis officium hoc sacerdotale in Ecclesia sancta tua tribui- „ sti: ita bonitatem, & clementiam „ tuam imploramus, O amator homi-

„ num,

Digitized by Google

„ num, ut absolvant nos servos tuos, „ omnes capita sua inclinantes ante „ conspectum tuum in hoc sacrificio „ sancto tuo. *Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis primum a Barnaba tradita, postea a B. Ambrosio locupletata*: *Orationes secretæ ad munus oblatum*: „ „ Omnipotens sempiterne Deus placabilis, & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore, & pro delictis meis „ innumerabilibus tuæ pietati offero „ &c. Te igitur supplices rogamus, & „ petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc „ sancta sacrificia illibata: In primis „ quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua „ sancta Catholica &c. Petimus, & „ precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui „ justi Abel, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech.„ *Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ a D. Basilio conscripta*. „ Tu es, qui offers, „ & offerris, & qui suscipis, & impertis, Christe Deus noster. *Alta voce Sacerdos*: Tua ex tuis tibi offerentes „ in omnibus, & per omnia &c. Tu „ Domine ostendisti nobis magnum illud salutis mysterium, tu dignos nos „ fecisti miseros, & indignos servos „ tuos fieri ministros sancti altaris tui: „ idoneos nos fac virtute sancti tui spiritus in ministerio isto, ut indamnabiliter stantes in conspectu sanctæ „ gloriæ tuæ offeramus tibi sacrificium „ laudis. Tu enim es operans omnia „ in omnibus. Da Domine, & pro „ omnibus nostris peccatis, & populi „ tui ignorantia, acceptabile, & susceptibile fieri sacrificium nostrum in „ conspectu tuo.„ *Liturgia Ecclesiæ Syriæ, quam se a Basilio Magno accepisse dicunt*. „ Dignos efficito nos, „ qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus, atque offeramus „ sacrificium hoc reverendum, & incruentum, ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui, eorumque peccatorum, quæ ille per „ inscitiam admisit, ac pro tranquilla „ requie eorum, qui ante hac occubuerunt &c. Sancte sanctorum, Domine „ Deus virtutum, offerimus tibi sacrificium hoc reverendum, & incruentum pro Ecclesiis tuis sanctis, quæ a „ finibus terræ usque ad fines ejus existunt. *Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ auctore Joanne Chrysostomo*. „ Suscipe Domine Deus supplicationē „ nostram: fac nos dignos offerendo „ tibi preces, & hostiam incruentam „ pro universo populo tuo &c. Adhuc „ offerimus tibi rationabile, ac incruentum hoc obsequium, & precamur, „ & deposcimus, ut mittas Spiritum „ Sanctum tuum super nos, & super „ hæc apposita munera. Propter infinitam clementiam tuam inconvertibiliter, & inalterabiliter homo factus, & Pontifex noster extitisti, & „ mysterii hujus, ac incruentæ hostiæ „ sacramentum nobis tradidisti, ut omnium Deus. Fac me dignum Sacerdotii gratia indutum, astistere sanctæ „ huic tuæ mensæ, & consecrare sanctum corpus tuum, & pretiosum „ sanguinem: nec reprobes me a pueris „ tuis, sed concede a me peccatore offerri tibi hæc Sacramenta. Tu enim „ es offerens, & oblatus; suscipiens, „ & distributus; Christus Deus noster. „ *Liturgiæ Ecclesiæ Armenorum*. *Sacerdos*: Tu Domine, qui tibi offerimus hanc oblationem suscipe in „ conspectu tuo collocatam, & coæqua „ illam corpori, & sanguini Domini „ nostri Jesu Christi &c.

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXXXIX.

De Sacrificio Missæ, Quæ sint Adversariorum Argumenta contra ipsum ex Scripturis, & quæ responsa? Quæ ex Pontificibus Romanis, & Conciliis, & quæ responsa? Quæ ex Patribus, & quæ responsa?

AGUNT igitur Adversarii I. Ex Scripturis. Melchisedech fuit quidem Sacerdos, & Christi typum gessit, at panem, & vinũ in sacrificium Deo non obtulit: ergo Sacerdotium Christi, licet sit secundum ordinem Melchisedech, non consistit tamen in oblatione panis, & vini. II. Celebratio Agni Paschalis adimpleta fuit in immolatione Christi facta in Cruce, ac proinde intelligitur de manducatione spirituali, quæ fit per fidem: ergo non adimpleta fuit in institutione Eucharistiæ, nec in celebratione ejusdem adimpletur. III. Testimonium Malachiæ intelligitur, vel de sacrificio aliquo judaico, vel de sacrificio Crucis, vel de sacrificiis Gentilium: ergo non de sacrificio Eucharistiæ. Insuper Kemnitius intelligit de sacrificio spirituali, quia in novo Testamento multa sacrificia inveniuntur, quæ sunt sacrificia spiritualia. IV. Ex illis Christi verbis: *hoc facite*: non bene colligitur sacrificium, quia Christus non loquebatur Latine, sed Syriace, ac proinde locum non habet subtilitas illa grammaticalis, quæ fundatur in Vergilii verbis, *cum faciam vitula*. V. Cœna Domini est sacramentum, ac testamentum Christi: ergo non potest esse sacrificium; Ratio enim sacrificii cum ratione sacramenti, & testamenti, omnino pugnat. VI. Christus in ultima cœna, sedit in mensa, & Discipulis sacramentum distribuit: ergo non obtulit illud Deo Patri.

Respondemus ad I. Quod illa interpretatio de Melchisedech a Calvino, Kemnitio, & Petro Martyre facta, opponitur totius Ecclesiæ sensui, quæ in Canone Missæ testatur: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Quorum verborum meminit Ambrosius, vel quisquis alius sit Auctor operis *de Sacramentis* lib. 4. cap. 6. Insuper Patres intellexerunt, sacrificium Melchisedech in pane, & vino, esse figuram sacrificii eucharistici; & sunt Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum dicens: *Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei Altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ*: Cyprianus lib. 2. epistol. 3. ad Cœcilium, expendens verba illa Psalmi: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, aperte scribit: *Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? Qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat,*

ideſt,

ideſt, panem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem? Euſebius Cœſarienſis lib. 6. demonſtrationis euangelicæ cap. 3. *Et ſane oraculi exitus admirabilis ei, qui contemplatur, quemadmodum Salvator noſter Jeſus, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea, quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui Sacerdos gentium erat, nuſquam videtur ſacrificiis corporalibus functus; ſed vino ſolo, & pane, dum ipſi Abraham benedixit: ita ſane primus ipſe Salvator, ac Dominus noſter, deinde qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes, in omnibus Gentibus ſpirituale ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotii munus obeuntes, vino, ac pane corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant; quæ ſane myſteria Melchiſedech tanto ante ſpiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus uſus fuerat.* Hieronymus in epiſtol. ad Marcellam: *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech, Regem Salem, hujus Principem invenies Civitatis, qui jam tunc in typo Chriſti panem, & vinum obtulit, & myſterium chriſtianum in Salvatoris ſanguine, & corpore dedicavit.* Auguſtinus epiſt. 95. ad Innocentium Papam: *Melchiſedech, prolato ſacramento Menſæ dominicæ novit æternum ejus Sacerdotium figurare:* & in lib. 1. contra Adverſarium legis, & Prophetarum cap. 20. *Ibi quippe, & hoc dictum eſt: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham, & jam ſunt participes ejus: vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto Orbe terrarum. Dei autem juratio, incredulorum eſt increpatio, & quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia hoc Sacerdotium non mutabit, mutavit quippe Sacerdotium ſecundum ordinem Aaron.*

Ad II. Sic reſpondet Bellarminus. „ Dicent enim Adverſarii, Apoſtolum „ loqui de immolatione in cruce facta, „ & de manducatione ſpirituali, quæ „ fit per fidem. Sed nos ex Evangelio „ probabimus, figuram illam proprie „ impletam fuiſſe in inſtitutione, & „ celebratione Euchariſtiæ. Nam in „ primis ex Evangelio conſtat, Apoſtolos ante Chriſti paſſionem manducaſſe carnem Chriſti in noviſſima „ cœna, & proinde manducaſſe verum „ Agnum Paſchalem, ad cujus epulas „ nos hortatur Apoſtolus, cum ait: „ Itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis. Sed epulum ſequitur immolationem: prius enim „ agnus immolatur, poſtea comeditur; „ non è contrario prius comeditur, & „ poſtea immolatur. Debuit ergo præcedere immolatio Chriſti illam manducationem cœnæ, quam fecerunt „ Apoſtoli ante paſſionem Domini; „ non ergo ſola paſſio eſt immolatio, „ de qua loquitur Paulus, ſed etiam „ conſecratio, & oblatio Euchariſtiæ „ eſt immolatio per Agni Paſchalis immolationem figurata. „ Præterea, ut ex eodem Evangelio „ conſtat, Dominus poſt cœremoniam „ Agni Paſchalis continuo ſubjunxit „ celebrationem Euchariſtiæ; neque „ diſtulit in aliud tempus, aut locum, „ ut aperte oſtenderet, ſe nova iſta „ cœremonia finem imponere cœremoniæ veteri. „ Deinde, ſi conſideremus circumſtantias utriuſque celebrationis, videbimus nullam figuram a Chriſto manifeſtius impletam, quam iſtam. Agnus „ Paſchalis 14. die primi Menſis ad veſperam immolari debuit, Exod. 12. „ & fuit hæc circumſtantia ſumme neceſſaria, ut ex multis locis Scripturæ probari poteſt: Euchariſtiam Chriſtus inſtituit hoc ipſo tempore, ut „ notum eſt. Secundo, Agnus immolabatur in memoriam tranſitus Domini, & liberationis populi de Egypto: & Euchariſtia celebratur in „ memoriam tranſitus Domini per paſſionem ex hoc mundo ad Patrem, & „ noſtræ liberationis de poteſtate Satanæ, quæ per ipſam Chriſti mortem „ facta eſt. Tertio agnus immolabatur, „ ut manducaretur, & eſſet quaſi viaticum peregrinorum; nam ideo manducabatur a Judæis, habitum peregrinorum præferentibus, cum baculis, & calceis &c. Et Euchariſtia „ quideſt aliud, niſi refectio, & viatico peregrinantium ad veram, & „ cœleſtem patriam? Quarto, agnus „ non poterat manducari, niſi a circumciſis, & mundis, & in Hjeruſalem; ita Euchariſtia non poteſt ſumi, „ niſi

„ nisi a baptizatis, & mundis, & intra „ Ecclesiam Catholicam existentibus. „ Ad hæc, si non implevit Christus eam „ figuram in institutione Eucharistiæ, „ dicant adversarii, quando eam im„ pleverit; nam cum teste Paulo, fi„ gura fuerit, debuit necessario impleri„ Dicent fortasse impletam eam figu„ ram a Christo, vel quando ipse man„ ducavit Agnum Paschalem, vel cer„ te quando fuit crucifixus: nec enim „ aliud occurrit, quod verisimiliter „ dici possit.

Ad III. Idem Bellarminus hæc repo„ nit; „ Hoc testimonium non potest „ intelligi de sacrificio crucis, quia il„ lud non offertur in omni loco, sed „ semel tantum uno in loco oblatum „ fuit; nec de sacrificio aliquo Judaico, „ quia Propheta dicit a Gentibus offe„ rendum, & aperte illud opponit sa„ crificiis Hebræorum. Neque etiam „ da sacrificiis Gentilium pi rum, qui „ erant in mundo ante Christi adven„ tum, ut Melchisedech, Job, & simi„ lium. Hi enim viri sancti inter Gen„ tiles paucissimi erant, ac præsertim „ temporibus Prophetarum, quando „ idololatria mundum plane repleve„ rat, itaut David diceret: *Notus in „ Judæa Deus; in Israel magnum nomen „ ejus*, Psalm. 75. Malachias autem „ contrario modo vaticinatur: *Ma„ gnum est nomen meum in Gentibus, & „ ab ortu solis, usque ad occasum &c.* „ Nec denique potest locus hic Mala„ chiæ intelligi, ut quidam suspicati „ sunt, de sacrificiis Gentilium idolo„ latrarum: non enim illa oblatio mun„ da ullo modo dici posset, nec Deo „ vero offerebatur, sed Diis alienis: „ *Quæ enim Gentes immolant*, inquit „ Apostolus 1. Corinth. 10. *Dæmoniis „ immolant, & non Deo*. „

Ad IV. dicitur, falsum esse in lingua syriaca, vel hebraica verbum *facere* non posse accipi pro sacrificare. Contrarium enim legitur in pluribus Scripturæ locis; & præcipue Levit. 15. vers. 15. ubi Moyses loquitur de duobus turturibus in sacrificio offerendis, & ait, *Facit unum pro peccato, & alterum in holocaustum*. Insuper III. Regum 18. dicebat Elias Prophetis Baal: *Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frusta cedentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant, & ego faciam bovem alterum*. Ulterius Oseæ 2. vers. 8. *Ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal*. In quibus verbis, *faciet, faciam, fecerunt*, actio sacrificandi intelligitur.

Ad V. Quod est argumentum Lutheri, his verbis respondet Bellarminus laudatus: „ Respondeo; tribus modis „ peccat argumentum Lutheri. Primo, „ quia assumit, sacrificium esse opus, „ quod nos Deo exhibemus, & illud „ opponit ut nostram actionem, actio„ ni Christi. At nos non hoc dicimus, „ sed asserimus tam Sacramentum, seu „ testamentum, quam sacrificium esse „ Christi opus, & actionem: idem enim „ Christus, qui nobis seipsum per Eu„ charistiam præbet in cibum, idem „ seipsum per Eucharistiam Patri ob„ tulit, & quotidie per ministros suos „ se offert in sacrificium. Immo inter „ alia bona, quæ nobis Christus mo„ riens testamento suo reliquit, unum „ fuit corpus ipsius, & sanguis, quo „ uteremur, tũ ut illa Deo offerremus, „ tum ut inde animæ nostræ reficeren„ tur. Neque dissimile est quod agunt „ homines pii, dum testamenta sua „ condunt; primum enim aliquid do„ nant Deo in usum Ecclesiarum, aut „ pauperum; deinde hereditatem filiis „ relinquunt.

Sed etiam, si hoc sacrificium esset omni„ no opus nostrum, adhuc argumentum „ Lutheri non concluderet: nam pec„ cat secundo, quod confundit pro„ missionem cum signaculo promissio„ nis. Siquidem in Sacramento, & te„ stamento Christi, distinguenda sunt „ in doctrina Lutheri promissio, quæ „ consistit in verbis: *Accipite, manduc„ cate &c.* Et signaculum, quod est ip„ sum corpus Domini, & sanguis sub „ specie panis, & vini: ex his duobus „ promissio non est sacrificium. Et hoc „ probat, si quid probat, argumentum „ Lutheri. Aliud enim est promitti „ nobis aliquid a Deo, aliud nos Deo „ aliquid offerre. At signaculum pro„ missionis, nulla est ratio cur sacrifi„ cium esse non possit: cur enim non „ possit Deus victimam sibi oblatam, „ instituto, & mandato suo assumere „ in signaculum promissionis, immo „ reipsa in Lege veteri sic Deus fecit. „ Nam Testamentum vetus Exod. 24. „ obsignavit sanguine victimæ tunc sibi

im-

Digitized by Google

„ immolatæ, dicente Moyse: *Hic est* „ *sanguis Testamenti, quod mistit ad vos* „ *Deus*. Sic etiam omnia sacrificia Le- „ gis veteris, & vera sacrificia erant, „ & tamen signacula erant promissio- „ nis Christi venturi, & morituri. Quid „ igitur mirum, si sanguis Domini in „ Altari existens per consecrationem, „ simul sanguis sit victimæ Deo obla- „ tæ, & signaculum promissionis divi- „ næ? „

Tertio, peccat argumentum Lutheri, „ quod non distinguat rationes forma- „ les Sacramenti seu Testamenti, & „ Sacrificii. Ita enim argumentum pro- „ cedit, ac si nos diceremus, sacrifi- „ cium, quia sacrificium est, esse Sa- „ cramentum, vel Testamentum, & „ contra; vel dare, idem esse, quod „ accipere; petere idem, quod promit- „ tere. At non ita sumus hebetes, aut „ rudes, ut ista dicamus, sed quod di- „ cimus hoc est; Eucharistiam Sacra- „ mentum esse, quatenus est signum „ exsternum, & visibile invisibilis gra- „ tiæ, & refectionis, quæ nobis con- „ fertur, dum Eucharistiam vitæ sumi- „ mus: eandem esse Testamentum, „ quatenus est instrumentum publicū, „ & authenticum divinæ voluntatis, „ & sacrificium, quatenus Deo offer- „ tur. Neque repugnat, unum et idem „ accipi, dari; neque valet quidquam „ illa consequentia: accipimus a Deo „ Eucharistiam; ergo non possumus „ eandem illi offerre. Nam nihil om- „ nino habemus, quod Deo offeramus, „ nisi quod ab eo accepimus; juxta „ illud Davidis in lib. 1. Paralip. 29. „ *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua* „ *accepimus, dedimus tibi*. „

Secundum Lutheri argumentum sumi- „ tur ab exemplo Christi, qui in ultima „ cœna legitur in mensa sedisse, & Sa- „ cramentum Discipulis distribuisse, „ non autem illud Patri obtulisse. „

Respondeo; Christi exemplum nobis „ maxime favet. Nam etiam si Evan- „ gelistæ non expresse dixerint, Chri- „ stum se Patri in cœna obtulisse; ta- „ men neque expresse dixerunt non se „ obtulisse: Et præterea nos ex loci il- „ lius circumstantiis, ex figuris, & va- „ticiniis Prophetarum, & testimonio „ expresso antiquissimorum Patrum, „ scimus, Christum, se Patri in cœna „ in sacrificium obtulisse, & hoc ipsum „ fieri mandasse, cum ait: *hoc facite*.

„ Neque est id novum in mysteriis fi- „ dei. Nam nullus Evangelista scribit, „ in ultima cœna Christum immolasse „ Agnum Paschalem, & eundem come- „ disse accinctis renibus, & cum bacu- „ lis in manu; immo neque expresse „ scribunt Evangelistæ, illum come- „ disse Agnum Paschalem: & tamen „ nemo dubitat ista omnia facta esse, „ cum esset Dominus observantissimus „ legis, & Pascha parari jussisset. Ne- „ que dicunt expresse Euangelistæ, „ Christum in Calice, quem sanguinis „ sui Calicem appellavit, posuisse vi- „ num; nam illa verba: *Non bibam ex* „ *hoc genimine vitis*, supra ostendimus „ dicta esse de Calice, quem bibendum „ dedit Dominus post Agni Paschalis „ manducationem, non de Calice Eu- „ charistiæ: & tamen quis hoc tempo- „ re inficiaretur, in illo calice fuisse „ vinum? Id enim omnes Scriptores „ tradunt. Quare si Lutherus ab exem- „ plo Christi probare cupit, Missam „ non esse sacrificium; certum aliquod „ testimonium adferat, ubi legamus, „ Christum non se obtulisse in cœna: „ nam illa argumenta negativa; Non „ habetur expresse in Scriptura; ergo „ non est factum; jam ipsis etiam pue- „ ris ridicula sunt. „

Ad VI. dicitur, quod Christus utique in ultima cœna sedit in mensa, sacramentum instituit, & Discipulis ministravit, sed etiam Deo Patri obtulit. Unde Cyprianus lib. 2. epist 3. asserit, Christum obtulisse Patri Calicem vino, & aqua mixtum: & in serm. de eleemosina reprehendit mulieres divites, quod panem consecrandum non adferrent, dicens: *Locuples, & dives in Dominicum sine sacrificio venis*: & S. Irenæus lib. 4. cap. 32. inquit: *Calicem sanguinem suum confessus est, & novi testamenti novam docuit oblationem*: denique in Missa dicitur: *Benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum*: præterea: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam &c.*

Arguunt ulterius ex Pontificibus Romanis, & ex Conciliis; I. In præfatione ad Decretales Romanus Pontifex testatur, verificari in Sacerdotio Euangelico verba illa Pauli: *translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat*: ex quibus infert, quod post Christi Ascensionem translatum fuit

sacer-

sacerdotium a Christo in Petrum, deinde a Petro in Papam, & a Papa in suos Successores. Hoc est argumentum Lutheri in principio libri de abroganda Missa privata; quo etiam utitur Illyricus in apologia confessionis antuerpiensis cap. de Missa. II. Pius I. in Codice quinque librorum lib. 2. cap. 17. habet. *Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & de consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis, Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post Missarum solemnia qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico accipiant.* In quibus verbis nulla fit mentio Sacrificii. III. Soter, Romanus Pontifex, apud Gratianum distinct. 1. de Consecratione, hæc habet. *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, & ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur:* Dominus vobiscum, *& illud in secretis,* (orate pro me) *aptissime convenit, ut ipsius respondeatur salutationi.* Quæ verba, quia ad præsens non adimplentur, Missæ sacrificio injuria irrogatur, & de ejus validitate dubitatur. IV. Leo Magnus epist. 75. ad Leonem Imperatorem: *Alexandriæ intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum, omnia se subtraxere mysteria.* Non est ergo æternum secundum ordinem Melchisedech sacrificium Missæ, si deficere potest. V. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum cap. 58. Sacrificium quotidianum explicat pro sacrificio lacrimarum; dicit enim: *demus Deo quotidiana lachrimarum sacrificia*: ergo non est sacrificium eucharisticum. VI. Concilium Carthaginense II. non probat sacrificia, quæ offeruntur a Presbyteris, qui ab Episcopis suis separantur: ergo potestatem sacrificia offerendi non habent Presbyteri a Deo, sed ab Episcopo. VII. Concilium Milevitanum cap. 20. nomine Missæ intellexit preces, vel orationes: ergo non est intelligendum sacrificium. Verba Canonis sunt. *Placuit etiam, & illud, ut preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive Præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur.* VIII. Ex Concilio Bracharense III. anno 467. celebrato, habetur cap. 1. quod aliquando Missæ sacrificium celebratum fuit cum lacte, & non cum vino; sed hoc est contra essentiam sacrificii: ergo &c. Verba Canonis sunt. *Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines, & apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre. Quod quam sit Evangelicæ, atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur.*

Respondemus ad I. Quod Lutheri argumentum tria continet mendacia, quæ a Bellarmino his verbis adducuntur, & explicantur. *Sed hic tria sunt mendacia; Primum, quod Papa ista dicat ingressurus in decretales epistolas, & pro fundamento jaciat.* Nam ille Canon; *Translato Sacerdotio, non habetur in 1. titulo, sed in 2. nec in principio illius tituli, nam duo alii Canones præcedunt. Secundum mendacium est, quod Papa ista dicat. Nam in toto illo canone, non est nomen Christi, nec Petri, nec Papæ, sed ponuntur ipsa verba Pauli cum quadam annotatiuncula S. Augustini, quæ solum continet, legem, & Sacerdotium esse omnino connexa. Tertium mendacium est, quod in eo Canone agatur de Sacerdotio Christi, vel Melchisedech. Nam expresse agitur de Sacerdotio Levitico, ut Glossa bis notat. Itaque mera sunt Lutheri somnia, translatum esse Sacerdotium a Christo in Petrum, vel a Petro in Papam.*

Ad II. Nostrorum temporum Criticorum unanimis sententia est, primorum Pontificum usque ad Syricium epistolas omnes esse suppositas, & spurias, iisdemque falso nomine attributas. Nihilominus ne videamur diffi-

Digitized by Google

difficultatem fugere potius quam occurrere illi, dicimus Pontificem Pium, vel quisquis alius est sub ejus nomine, loqui quidem de eulogiis; sed præter has loqui etiam de sacrificiis, quæ per verba illa intelliguntur: *ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico accipiant.*

Ad III. dicitur, quod nec injuria sacrificio Missæ irrogatur, nec periculum nullitatis in eo inducitur per hoc, quod cœremoniæ non observentur, quæ in ipso celebrando institutæ sunt, dummodo substantia illius illæsa remaneat; quod quidem in præsenti casu observatur, ut de se patet.

Ad IV. dicitur non officere æternitati sacrificii Missæ, quod in uno, vel in altero loco deficiat, sed quod deficiat ubique in Ecclesia. Hoc autem ex verbis Leonis Magni non constat, quia constat tantum, quod Alexandriæ, & non alibi, intercepta sit sacrificii oblatio. Ulterius hoc de facto accidit, & non jure, vel lege exequutum est; quod esset necessariũ, ut vere diceretur, sacrificium Missæ defeciſſe.

Ad V. Illo eodem loco, quo Gregorius Magnus dicit, quotidiana lacrimarum sacrificia in Missa Deo offerri, dicit etiam quod quotidianas carnis ejus, & sanguinis hostias immolamus. Et hæc sunt ejus verba: *Debemus Deo quotidiana lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus, & sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat. Qui licet* resurgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur: *tamen in semetipso immortaliter, atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem paritur, ejus sanguis jam non in manus infidelium, sed in ore fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutio ne nostra per passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum Choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus, atque invisibilibus fieri?*

Ad VI. dicitur, quod Concilium Carthaginense citatum, non ait, esse nulla sacrificia illa, sed Presbyterum illum esse puniendum, quod nemo negabit: & verba illius capitis 18. hæc sunt. „ Nec illud prætermittendum est, ut si quis forte Presbyter „ ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore, vel superbia inflatus putaverit separatim Deo „ sacrificia offerenda, vel aliud erigendum Altare contra ecclesiasticam fidem, disciplinamque, crediderit, non exeat impunitus &c. Ab „ universis Episcopis dictum est: Si superbia inflatus secernendum se ab „ Episcopi sui communione duxerit, „ ac separatum cum aliquibus schisma „ faciens, sacrificium Deo obtulerit, „ anathema habeatur, & locum amittat. „

Ad VII. Utique in Missa continentur preces, & orationes, sed non solæ, quia ultra illas continetur etiam oblatio; quam Concilium Milevitanum non excludit, sed potius includit, ut ex ejus verbis clare constat.

Ad VIII. dicitur, abusum illum in Concilio recitari tanquam crimen, & ab eodem damnari; ut ex ejusdem verbis aperte cognoscitur, quæ in objectione relata sunt.

Arguunt denique ex Patribus. I. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 86. & Hjeronymus in Malachiam Prophetam, oraculum ejusdem Malachiæ explicant de sacrificio laudis, non vero de sacrificio Eucharistiæ: ergo argumentum deductum ex Malachiæ oraculo nihil probat. II. Ambrosius in caput 7. epist. ad Hebreos asserit, Melchisedech non protulisse panem, & vinum in sacrificium, sed in refectionem Abrahæ, & ejus militum, qui ex prælio revertebantur. III. Minutius Felix in Octavio affert Cœcilium, qui arguit Christianos, quod nulla templa, & nulla etiã sacrificia haberent. IV. Clem. Alexand. lib. 1. Stromatum scribit, *Nos Deo sacrificia non offerre*. V. Augustinus in oratione contra Judæos cap. 6. & 7. dicit, quod nos hodie non habemus, nisi sacrificium laudis. VI. Fulgentius lib. 2. ad Monymum cap. 5. sacrificium nostrum vocat sacrifi-

Digitized by Google

crificium spirituale, & spiritualem hostiam, quæ non tantum Patri, sed etiam Filio, a fidelibus offertur, Ejus verba sic recitantur. „ Unum „ de Prophetis testimonium proferemus, quo possit evidenter ostendi, „ Prophetas sanctos divinitus inspiratos, certo fidelissimoque vaticinio „ prædixisse, novi quoque tempore „ Testamenti spiritales hostias, non „ Patri tantum, sed etiam Filio a fidelibus offerendas. Prophetæ testimonium de sacrificio, quod nunc in „ Ecclesia geritur, est; Sophonias quippe „ dicit: *Sustine me, dicit Dominus, in „ diem resurrectionis meæ in testimonium: „ quia judicium meum in congregationem „ Gentium erit, ut recipiam rogas, & „ effundam super eos iram furoris mei: „ quoniam in igne æmulationis meæ con„ summabitur omnis terra. Quia tunc „ transferam super populos linguam in „ progenies ejus, ut invocent omnes no„ men Domini, & serviant sub jugo uno „ a transfiumine Æthiopiæ suscipiam „ observantes me: qui dispersi sunt, „ adfuerunt hostias mihi in die illo.* „ Quid hac, rogo, vaticinatione lucidius? vel quod hic tenebrosæ obstinationis latibulum hæretica potest „ infidelitas reperire, quo possit lumen „ tantæ manifestationis effugere &c. „ Ecce ille, qui se expectandum in die „ resurrectionis suæ præcipit, ipse sibi „ hostias ab omnibus gentibus offerendas ostendit, ut agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, „ quod communiter Patri, & Filio supplex offert, fidelium puraque devotio. „

Respondemus ad I. Quod Augustinus citato loco ita Malachiæ oraculum interpretatur de sacrificio laudis, ut tamen ab eo rationem proprie dicti sacrificii non excludat. Siquidē idem Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 35. expendens verba illa Malachiæ, hæc dicit: „ Hoc sacrificium per „ Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech in omni loco a „ solis ortu usque ad occasum jam videmus offerri. „ Hjeronymus autem quanvis scribat spirituales victimas, & thymiama orationum successura victimis carnalibus; attamen subdit: „ offerri in omni loco oblationem „ mundam, ut in cœremoniis Christianorum. „ Et hæc oblatio munda proprium sacrificium eucharisticum absque dubio significat.

Ad II. Sanctus Ambrosius non illa scripsit ex suo sensu, sed ex Hebreorum sententia. „ Addit Frassen, quod „ ultro concedamus, Melchisedech „ etiam post oblatum sacrificium forte „ protulisse panem, & vinum Abrahæ, „ & ejus militibus ad celebrationem „ victoriæ, quæ etiam est sententia Philonis Judæi lib. 1. de Abrahamo, ubi „ circa finem ita scribit de Melchisedech: *Magnus Pontifex redeuntem „ conspicatus, & attonitus tanti facinoris „ magnitudine, manus in cœlum tendens „ fausta illi precatus est, & oblatis pro „ victoria sacrificiis splendidum epulum „ sociis omnibus dedit*: Ubi vides Melchisedech utrumque simul fecisse, & „ sacrificasse, & epulum dedisse. „

Ad III. Cœcilius loquitur de Altari noto, & publico, qualia erant templa, & altaria Gentilium. Unde inquit; *Cur nulla habeant templa, nulla nota simulacra?* Et obinde Christiani tunc temporis, propter persecutiones Gentilium, sacra mysteria clam in locis abditis, celebrabant.

Ad IV. Clemens Alexandrinus loquitur de sacrificiis, quibus Pagani Deos suos venerabantur, de quibus Fraffen dicit: „ Hi autem sacrificia offerebant, quasi Deus, quem colebant, „ illis indigeret, vel quasi sacrificii „ voluptate caperetur, vel denique „ quasi intuitu sacrificiorum, non autem conscientiæ puræ, & immaculatæ, ad beneficiendum alliceretur: „ quo tantum sensu negat Clemens sacrificia nos offerre Deo: *Primo*, quia „ ait Deum nullius indigere: *Secundo*, „ quia ait fumum victimarum vix ad „ crassissimas usque nubes pervenire: „ *Tertio*, neque sacrificiis, neque donariis, neque gloria, & honore Deus „ invocatur, neque aliis hujusmodi allicitur; sed solis verbis bonis, & honestis apparet. Sanctus autem Augustinus opponit sacrificium laudis „ sacrificiis vitulorum, & hircorum, „ cum interpretatur hæc Psalmistæ verba: *Non accipiam de domo tua vitulos; „ immola Deo sacrificium laudis*. Sacrificium vero Crucis appellat eo sensu „ sacrificium laudis, nam cap. 1. sic „ habet. Ipse igitur Sacerdos, & victima immolavit sacrificium laudis.„

Ad V. Resp. data est in præcedenti responsione.

Ad

Ad VI. Nec pariter Fulgentius excludit sacrificium vere & proprie dictum, per hoc quod includat sacrificium spirituale; utrunque enim optime componitur cum sacrificio Missæ; & utrunque pariter in verbis Fulgentii continetur, si bene considerentur.

DISSERTATIO CCCCXL.

De Sacrificio Missæ. Quænam sit essentia Sacrificii Missæ? An sit propitiatorium, et impetratorium, et satisfactorium?

THeologorũ Sententias pro prima Dissertationis parte hic afferimus; & ex illis eam seligemus, quæ nobis probabilior apparuerit.

Primo, igitur sunt, qui volunt immolationem, & actionem sacrificii, de qua est sermo, consistere in illis verbis oblationis, quæ profert Sacerdos post consecrationem; & sunt: *Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis, ac datis, hostiam puram, sanctam &c.* Prò hac sententia citantur Clitovæus lib. 2. contra Lutherum cap. 16. Henricus VIII. Rex Angliæ in assertionibus fidei contra Lutherum; Rossensis in eorundem defensione; Echius lib. 3. de Sacrificio Missæ cap. 9. Albertus in II. distinct. 13. artic. 14. His addit Vasquez, Scotum, & Gabrielem.

Secundo, putant alii essentiam sacrificii consistere in sola consecratione, & non in oblatione. Quod tamen citatus Vasquez falsum putat; & ratio ipsius est. „ Nam iuxta decretum „ sextæ Synodi Canone 52. Trullano, „ & Canone 49. Concilii Laodicensis „ in diebus Quadragesimæ, præter quã „ in Sabbato, & Dominica, sacrificandum erat ex præsanctificatis; sicut „ etiam nunc observat Ecclesia Latina „ in die Paraseeves, in qua non consecrat, sed panem consecratum præcedentis diei in sacrificium offert. „ Hoc sane argumento probari videtur, non in sola consecratione, sed „ aut in ipsa, & oblatione, seu consumptione simul, aut in sola oblatione illa, aut in sola consumptione, „ rationem sacrificii positam esse. „

Tertio, sunt Theologi, qui quanvis non dicant totam essentiam sacrificii consistere in fractione, volunt tamen consecrationem non sufficere, sed cum ea necessariam quoque esse fractionem. Hujus sententiæ dicitur Melchior Canus lib. 20. de locis theologicis cap. 13.

Quarto, putant Scholastici non pauci, consumationem hujus Sacramenti aliquo modo pertinere ad essentiam sacrificii. Citatur pro hac sententia Ledesma prima part. quæst. 23. art. 4.

Ut autem hac in re clarius, ac distinctius procedatur, considerare oportet, & rem ipsam, quæ sacrificatur, & offertur, & actionem offerendi, seu sacrificandi. Primum respicit ipsum Christum, secundum vero continet Ministrum; & de his omnibus hæc scribit Tournely. „ Ex parte rei duo sunt dumtaxat, corpus „ Christi, & species sacramentales; „ ex parte vero Ministri sacrificantis, „ sex distingui possunt actiones in Missa, de quibus dubitari potest, an sint „ omnes sacrificio essentiales. Prima „ est

„ est oblatio panis, & vini ante consecrationem: Secunda ipsa consecratio, & transmutatio panis in corpus, „ & vini in sanguinem Christi: Tertia, oblatio corporis, & sanguinis „ Christi, post consecrationem: „ Quarta, fractio, & commixtio Sacramenti: Quinta, consumptio Sacramenti a Sacerdote consecrante facta. „ Sexta denique, distributio & sumptio „ respectu populi fidelis. Quamquam „ autem omnes istæ Sacerdotis actiones, ubi sacra perficit, requirantur ac „ necessariæ sint, non eodem tamen „ omnes necessitatis gradu. Quæstio „ igitur hic est, in quo præcise consistat natura, & essentia sacrificii, tum „ circa rem, quæ offertur; tum circa „ actionem Sacerdotis offerentis. Varias ac discrepantes circa rem præ„ sentem Scholasticorum opiniones fuse refert ac expendit Vasquesius disp. „ 222. cap. 1. & sequentibus, quas lege, „ si vacat. „

Dicimus I. Deo principaliter offerri in Sacrificio Missæ Christum, realiter præsentem sub speciebus panis, & vini: species vero pertinere ad sacrificium tanquam conditiones, non tanquam partes.

I. Conclusionis pars I. probatur. Eadem est victima, quæ immolata fuit in Cruce, & quæ modo immolatur in Altari; sed in cruce victima fuit Christus: ergo pariter in Altari. Major est doctrina Concilii Tridentini sess. 22. cap. 2. docentis: *In hoc sacrificio Missæ idem ille Christus continetur, & & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit.* Quod antecedenter docuerat Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Christus Pascha nostrum immolatus est*: ad Ephesios 5. *Tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Denique patet ex ipsismet verbis Christi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, vel traditur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur, vel effunditur.*

II. probatur. Quod offertur incruente in Sacrificio Missæ illud idem est, quod oblatum fuit cruente in sacrificio Crucis; sed hic est Christus: ergo Christus est, qui primo, & principaliter offertur in sacrificio Missæ.

II. Conclusionis pars hoc pacto a Tournely citato explicatur, & probatur. „ Species illæ sacramentales non sunt „ hostia illa immaculata, quæ immolatur, & offertur Deo in propitiatio„ nem, ac remissionem peccatorum „ nostrorum; ut per se patet. 2. quia „ inde sequeretur sacrificium Missæ „ quoad rem oblatam non esse idem „ cum sacrificio crucis, quia ibi solus „ Christus fuit res oblata; hic autem „ compositum ex Christo, & speciebus. „ 3. Sequeretur principalius offerri „ species sacramentales, quam Chris„ tum, quia species præcipue sunt vi„ sibiles. 4. Sequeretur non offerri „ totum Christum, sed solam carnem „ sub specie panis, & solum sanguinem „ sub specie vini; quia nihil aliud si„ gnificatur per illas species visibiles, „ nisi caro, & sanguis, neque vi ver„ borum aliud ibi continetur. Aliun„ de vero, cum sacrificium Altaris ex„ ternum sit, ac visibile, atque Chris„ tus in propria sua specie visibilis non „ sit in sacrificio, nisi per symbola seu „ species externas, ac sensibiles panis „ & vini; idcirco dicendum, species „ illas conditiones esse plane necessa„ rias ad sacrificium. Sic rem ex„ ponit doctissimus, & Illustrissimus „ Petrus de Marca Dissert. posth. de „ sacrificio pag. 90. & 91. *Suarez, docet, panem, & vinum aliquo modo of„ ferri, tum quoad substantiam, quia mu„ tatur in corpus; tum quoad species, quas „ ait intrinsece pertinere ad rem oblatam „ in hoc sacrificio; ita ut res oblata per „ modum termini, non sit tantum Chris„ tus nude sumptus, sed simul cum spe„ ciebus, quatenus cum ipsis unum com„ positum sacramentale constituit: sed ista, „ quæ quibusdam durior videtur senten„ tia, temperari potest, ita ut dicatur, „ rem principaliter oblatam esse Christum, „ sed species necessarias esse ad modum „ hujusce sacrificii constituendum, nem„ pe ut visibilia, mysticum, & increuen„ tum; sic ut pertineant ad rem oblatam „ per consequentiam quamdam, ut corpus „ quod apertum erat in cruce, hic sit „ opertum.* „

Dicimus II. Essentiam sacrificii non consistere in oblatione, quæ vel præcedit, vel consequitur consecrationem: Non consistere in fractione, & commixtione: Non consistere in consumptione, quæ fit a populo, quanvis ex parte consistat in consumptione, quæ fit a Sacerdote.

I. Con-

Digitized by Google

I. Conclusionis pars probatur; & quidem I. Quia non legimus Christum hanc oblationem fecisse ante consecrationem: II. Quia oblatio hæc est institutionis ecclesiasticæ, non divinæ; adeoque ad essentiam sacrificii pertinere non potest. III. Quia oblatio hæc nihil intrinsecus innovat in re oblata, sed extrinsecus tantum circa ipsam aliquid facit. IV. Quia oblatio vocalis non est necessaria ad sacrificium, & præcipue ut eum præcedens, quia immolatio ipsa potest etiam esse oblatio. Et hæc intelliguntur de oblatione, quæ præcedit consecrationem. De oblatione vero, quæ consequitur, hæc sunt momenta, quæ probant ipsam ad essentiam sacrificii non pertinere; & quidem I. Quia ipsâ Christus non adhibuit; II. Quia deberet dici in persona Christi, & nihilominus dicitur: *Unde, & memores nos servi tui offerimus &c.* III. Quia non est de essentia sacrificii ut verbo explicetur oblatio, sed sufficit ut opere exerceatur, & intentione fiat.

II. Conclusionis pars probatur ex S Th. 2. part. quæst. 83. art. 6. ad 6. verbis hisce: *Dicendum, quod fractio hostiæ consecratæ. & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.* Post quæ addit Tournely „ Quapropter, si forte, ait Bellarminus, dum „ ipso Sacramento signum Crucis exprimitur, panis consecratus in calicem decidat, non solet frangi, sed „ relinquitur, ita integrum, usque ad „ sumptionem; nec tameu sacrificium „ irritum, aut essentialiter immutari „ creditur. Revera Christus panem „ fregit: at non ad certum mysterium „ significandum, sed ad distribuendum: „ neque post fractionem miscuit cum „ vino consecrato, ut nos observamus, „ sed immediate porrexit Discipulis „ ad manducandum: non ergo fuit fractio mystica, ut nostra, sed usualis. „

III. Conclusionis pars probatur pro primo puncto, quia Populus edit victimam, sed non offert sacrificium; Sacerdos autem comedit victimam, & consumat sacrificium; ac proinde Populus non ingreditur partem sacrificii in consuptione Sacramenti; ingreditur autem Sacerdos, qui sacrificat.

Eadem tertia pars pro secundo puncto probatur, scilicet quod consumptio sacrificii, quæ fit a Sacerdote, essentialis sit sacrificio, sequentibus verbis a Tournely. „ Quia sacrificium „ Missæ omnium perfectissimum est, „ ac holocaustum: in holocausto autem „ victima tota consumabatur, & de„ struebatur: nulla autem in sacrificio „ Missæ consumatio, ac perfecta de„ structio assignari potest, præter con„ sumptionem, quæ fit a Sacerdote, „ quæ ita necessaria semper judicata „ fuit ab Ecclesia, ut si forte Sacerdos „ ante consumptionem moriatur, vel „ alio modo a consumptione impedia„ tur, oportet alium Sacerdotem, „ etiamsi si jejunus non esset, illi suc„ cedere, & sacrificium consummare. „ Ita docet S. Thom. quæst. 83. art. 6. „ ad 3. *Dicendum, inquit, quod si musca, „ vel aranea in calicem ante consecratio„ nem ceciderit, aut etiam venenum „ deprehenderit esse immissum, debet ef„ fundi, & abluto calice, denuo aliud „ vinum poni consecrandum. Si vero „ aliquid horum post consecrationem acci„ derit, debet animal caute capi, & di„ ligenter lavari, & comburi, & ablu„ tio cum cineribus in sacrarium mitti. „ Si vero venenum ibi esse deprehenderit „ immissum, nullo modo debet sumere, nec „ alii dare, ne calix vitæ vertatur in „ mortem: sed debet diligenter in aliquo „ vasculo, ad hoc apto, cum reliquiis „ conservari. Et ne sacramentum rema„ neat imperfectum, debet aliud vinum „ apponere in calicem, & denuo resumere „ a consecratione sanguinis, & sacrifi„ cium perficere.* „

Dicimus III. Oblatorum consecrationem essentiam sacrificii eucharistici constituere, prout dicit ordinem ad eorum consumptionem, tanquam ad finem, & terminum extrinsecum.

I. Probatur sequentibus Rationibus a Juenino I. „ Quod consecratio ad „ essentiam sacrificii pertineat ex eo „ patet, quod consecrandi potestas sit „ de essentia Sacerdotii, ac proinde „ consecratio, quæ illius potestatis est „ exercitium, ad sacrificii essentiam „ pertineat. Præterea per consecratio„ nem res oblatæ, seu Christi corpus, „ & sanguis, mystice immutantur, cum

Digitized by Google

„ in consecratione sanguis a corpore
„ separetur eo in sensu, quod *vi verbo-*
„ *rum* solum corpus sub speciebus pa-
„ nis, & solus sanguis sub vini specie-
„ bus; unde (ut jam alias observatum
„ est) nonnulli Patres verba, quibus
„ peragitur consecratio, mysticum
„ gladium appellarunt. 3. Quod sola
„ consecratio sacrificii essentiam con-
„ stituat, ex eo colligitur, quod præ-
„ ter mutationem, quam operatur in
„ hostia, ejus quoque oblationem essen-
„ tialiter importet, quatenus nempe
„ (ut Tertulliani verbis utar) sacrifi-
„ cii victimam *repræsentat*, seu Deo
„ reddit vere præsentem: non alia enim
„ ratione, quam per consecrationem,
„ Christus in ultima cœna Deo patri se
„ sub panis, & vini speciebus præsen-
„ tem exhibuit. 4. Tandem quod con-
„ secratio sacrificii essentiam consti-
„ tuat, prout ad sumptionem tanquam
„ ad terminum refertur, evincitur ex
„ eo, quod Eucharistia sit ad instar con-
„ vivii spiritualis, constantis ex sacro
„ cibo, & sacro potu; cibus autem, &
„ potus, ad usum, & sumptionem, re-
„ feruntur. „

Objiciunt I. Est de fide, quod Christus instituendo Eucharistiam, sacrificium obtulit; sed non est de fide, quod Christus sumpserit Eucharistiam a se confectam: ergo consumptio sacrificii relate ad offerentem non est de essentia ipsius. II. Christus nec etiam moritur repræsentative ex vi consecrationis; sed hoc requiritur ad essentiam sacrificii: ergo essentia sacrificii non consistit in consecratione. III. Die Paraseeves in Ecclesia Latina verum sacrificium offertur, & in Ecclesia Græca offertur pariter singulis jejuniorum diebus; nihilominus his diebus nulla fit consecratio: ergo consecratio ad essentiam sacrificii non pertinet. IV. Si consecratio ad essentiam sacrificii pertineret, Sacerdos celebrans teneretur jure divino utramque speciem consecrare, & in hoc non posset Ecclesia dispensare; sed Raphael Volaterranus refert, quod Innocentius IV. dispensavit cum Norvergis, & aliis Populis Septentrionalibus, ut propter vini penuriam calicem non consecrarent: ergo signum est, quod Sacerdotes jure divino ad utriusque speciei consecrationem non teneantur.

Respondemus ad I. S. Thom. afferere, multum esse probabile, quod Christus sumpserit Eucharistiam a se confectam; & ipsum plures Theologi sequuntur.

Ad II. Non requiritur ad sacrificium proprie dictum, ut victima actu moriatur, sed sufficit, ut illius mors ex modo, quo offertur, naturaliter consequi debeat. Quod patet in hostiis antiqui testamenti, in quibus verum fuisset sacrificium, si post illatum læthale vulnus, Deus eorum mortem per miraculum impediisset.

Ad III. Diebus prædictis nec in Ecclesia Latina, nec in Græca ullum fieri sacrificium, quia illa est Missa, quæ vocatur præsanctificatorum, vel alias Missa sicca, de qua dicit Ordo Romanus: *Feria sexta Paraseeves, quæ & sexta Sabbati dicitur, Missa non cantatur, sed neque in Sabbato sancto, usque ad vigiliam noctis.*

Ad IV. Non admitti tur Volaterrani narratio, quia nullum præfert documentum ipsius; & nullum de hoc in decretis Innocentii IV. vestigium legitur; & denique quia vini penuria nulla est apud Norvegas, aliosque populos Septentrionales. Et tandem quia aperte contrarium ex Tridentino habetur sess. 22. cap. 1. *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.*

Pro altera vero Dissertationis parte diximus, sacrificium ratione finis esse lautreuticum, eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Lautreuticum, quia per cultum latriæ offertur Deo tanquam supremo rerum omnium Domino: Eucharisticum, quia fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: Impetratorium, quia Deo offertur pro beneficiis accipiendis: Propitiatorium demum, quia reddit nobis Deum propitium, benignum, & placatum. Lutherani, & Calvinistæ quamvis sacri-

Digitized by Google

crificium nostrum improprie sacrificium appellent, fatentur tamen dici posse Iarreuticum, & eucharisticum; at negant illud esse propitiatorium, & impetratorium.

Dicimus IV. Sacrificium Missæ esse vere propitiatorium, ac impetratorium.

I. Probatur Conclusio ex Scripturis. Mat. 26. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur, vel effunditur* juxta Græcum, *in remissionem peccatorum*. Luc. 22. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, græce, *funditur*. Ad quæ addit sequentia Tournely. „ Diversitas temporis *fundetur*, *funditur*, „ duplicem designat ejusdem sacrificii „ statum, seu modum; pro futuro, cruentum cum physica effusione sanguinis; pro præsenti, incruentum cum „ mystica immolatione: utrobique vero est in remissionem peccatorum; „ in cruce, solvendo pretium nostræ „ redemptionis; in altari illud nobis „ applicando: unde merito Christus „ nostra propitiatio hoc utroque sensu „ dicitur. Rom. 3. vers. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in „ sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ „ suæ propter remissionem præcedentium „ delictorum*. 1. Joan. 2. cap. vers. 2. „ *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, „ non pro nostris autem tantum, sed etiam „ pro totius mundi*. Et cap. 4. vers. 10. „ *Misit filium suum propitiationem pro „ peccatis nostris*. Fidem hanc confirmat, & ipse S. Paulus Hebr. 5. v. 1. „ *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, „ quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & „ sacrificia pro peccatis*. Est istud præcipuum Sacerdotis officium, offerre „ nempe sacrificium pro peccatis; ergo „ respondere illi debet sacrificium „ propitiatorium. Etenim Eucharistia „ quatenus sacramentum, non habet „ ex sua institutione vim tollendi peccata directe, ac primario, sed nutriendi tantum & conservandi vitam „ spiritualem, neque potest nisi sumenti prodesse: econtra peccata dimittit, „ quatenus sacrificium est propitiatorium, quod non tantum offerenti, „ sed et aliis, pro quibus offertur, fructum affert. „ Et subdit quoque: ex eo vero quod sacrificium Missæ propitiatorium sit, consequens est, ut sit etiam impetratorium: si enim Deum placare potest, ac propitium reddere ad dimittenda peccata, quid ni poterit & ab ipso nova & uberiora auxilia gratiæ, cæteraque beneficia impetrare?

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. *Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit ..... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. Et can. 3. ejusdem sess. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit*.

III. Probatur ex Patribus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica explicans verba illa Apostoli I. ad Timoth. 11. „ Fieri orationes, postulationes, & gratiarum actiones „ pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate „ sunt, ut quietam, & tranquillam „ vitam agamus: *scribit*: Postquam „ confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super „ ipsa propitiationis hostia; obsecramus „ Deum pro communi Ecclesiarum „ pace, pro tranquillitate mundi, pro „ Regibus, pro Militibus, pro Sociis, „ pro Ægrotis, & afflictis, & in summa „ pro omnibus, qui egent auxilio. Insuper vocat Eucharistiam hostiam „ propitiationis, & dicit: Christum pro „ nostris peccatis mactatum offerimus, „ ut & nobis, & illis, eum, qui est benignissimus, propitium reddamus. „ „ Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio: „ „ Qui pro tota civitate; & quid dico „ civitate? Imo pro universa terra „ oratorem agit, Deoque supplicans, „ omnium peccatis sit propitius, non „ vivorum tantum, sed etiam eorum,

„ qui

„ qui obierunt, qualem, quæso, oportet esse? Ambrosius lib. 1. de offic. „ cap. 48. Offert Christus se ipsum „ quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat; & in exhortatione ad Virgines: Hostiam salutarem, per quam „ peccatum mundi hujus aboletur. Hieronymus in cap. 1. epistol. ad Tit. Si „ Laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu; „ quid de Episcopo sentiendum est, qui „ quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? S. Augustinus quæst. 57. in Levit. In multis sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrũ „ sacrificium significatur, in quo vera „ fit remissio peccatorum.

VI. Probatur Rationibus I. Sacrificia veteris testamenti mundabant Judæos a peccatis legalibus, seu ab immunditia legali: ergo sacrificium novi testamenti a peccatis nos mundat. II. Christus, qui in sacrificio Missæ Deo immolatur, in remissionem peccatorum offertur: ergo sacrificium Missæ est vere propitiatorium, & impetratorium. Hanc caussalem docet Concilium Trid., & Petrus de Marca, Archiepisc. Parisiensis, in Dissert. posthuma de Eucharistia, sic eam exponit. „ Itaque cum res oblata, & qui principaliter offert, & interpellat, sit ipse Christus, dubium „ non est, quin sit in hoc sacrificio infinita vis impetrandi omnem gratiæ „ apparatum, quo instructi ingentium „ criminum veniam consequi possimus. „ Quid enim deest ad peccatorum indulgentiam assequendam, ubi Auctor ipse gratiæ, qui eum nobis promeritus est, cruento sacrificio in mystica cœremonia illius memoriam „ renovat, atque pro nobis Patrem „ interpellat, quo beneficii in cruce „ quæsiti nos faciat compotes? ..... „ Et postea: Ut articulum istum contraham in pauca, propitiatorium dicitur sacrificium eucharisticum, quoniam impetrat gratiam necessariam „ ad salutem, & ad ea omnia consequenda beneficia, quæ nobis sua passione promeruit, nisi contumaciter „ auxilia illa rejecerimus. „

Obstant I. His verbis Kemnitii. „ Si „ Missæ sacrificium propitiatorium esset, ac peccata remitteret, utile foret non accedere ad sacramenta pro „ remissione peccatorum percipienda; „ nam remissio peccatorum per unam „ Missam ab alio dictam, sine ullo labore, & periculo haberi posset. „ II. Missæ sacrificium non esset propitiatorium, si sumptio Eucharistiæ non posset ab uno pro alio fieri; sed non potest: ergo &c. Probatur minor. Non potest unus baptizari pro alio; non potest unus confirmari pro alio; non potest unus absolvi pro alio: ergo nec Eucharistiç sumptio potest ab uno fieri pro alio.

Respondemus ad I. Distinguendo antecedens; si Missæ sacrificium immediate, ac proxime peccata dimitteret; concedimus: si mediate dumtaxat, impetrando scilicet auxilia gratiæ, ac donum pœnitentiæ, quo peccatores moveantur ad sacramenta desideranda, & quærenda; negamus.

Ad II. Dicitur, quod hæc est differentia, quæ intercedit inter susceptionẽ sacramenti, & oblationem sacrificii: „ Sacramentum enim, ait Tournely, „ ad sanctificationem suscipientis primario, ac directe ordinatur, & id„ circo nonnisi suscipientem sanctifi„ cat; at sacrificium ordinatur, ac ten„ dit, tum ad gloriam Dei, cujus supre„ mum in res omnes dominium decla„ ratur, tum ad impetrandum benefi„ cia iis omnibus, pro quibus offertur. „ *Quare*, inquit Bellarminus lib. 2. de „ Missa cap. 5. *Sacrificium simile est ora„ tioni, quod attinet ad efficientiam: ora„ tio enim non solum prodest oranti, sed „ etiam iis, pro quibus oratur. Ex his „ colligimus*, pergit doctissimus Cardi„ nalis, *manducationem Eucharistiæ, quæ „ fit a Sacerdote, ut est sacramenti suscep„ tio, soli sumenti prodesse, ut autem „ sacrificii consummatio, prodesse illis „ omnibus, pro quibus oblatum est sacri„ ficium.* „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXLI.

De subjecto Sacrificii Missæ. An subjectum Sacrificii Missæ sint omnes viventes? An sint omnes mortui? An pro omnibus operetur, et quomodo?

OMNES, qui vivunt, vel sunt Catholici, vel sunt Hæretici, vel Gentiles, vel Pagani, vel Judæi, vel alii quomodocunque ab orthodoxa fide alieni. Hi igitur, qui vivunt in hoc mundo, & sunt capaces æternæ beatitudinis, ac proinde sub nomine proximi comprehenduntur; quæritur, an comprehendantur sub nomine Subiecti sacrificii Missæ?

Dicimus I. Sacrificium Missæ offerri posse pro omnibus, qui in mundo vivunt, quanvis sint a catholica religione extorres.

I. Probatur ex Scripturis. I. ad Timot. 2. Apostolus scribit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, ut tranquillam, & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Duo possunt verbis hisce opponi; unum scilicet, quod intelligantur pro fidelibus tantum, non vero pro omnibus hominibus: alterum veto, quod intelligi debeant de precibus, quæ funduntur extra sacrificium, non vero de sacrificio. Sed pro primo facit, quod in iisdem verbis legitur, scilicet *pro Regibus*; Reges enim non erant Christiani, sed Gentiles: unde ait Chrysostomus ho. 6. in 1. ad Timoth. *Neque enim Reges Deum colebant; verum multis postea temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, perstiterant.* Pro altero vero, quod scilicet Apostolus loquatur de precibus, quæ fiebant in sacrificio, testis est Justinus in apolog. ad Antonin. Imperat. in qua hæc habet. *Nos autem secundum hujusmodi lavationem, credentem jam a nobis adscitum, ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces, & supplicationes, cum pro se ipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus, anima intente peragendas: ut digni idoneique simus, qui veritate agnita, & opera etiam ipsa boni, atque officiali rerum ad ministratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur: atque ut salute salvemur sempiterna. A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti, offert, & Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur.*

II. Probatur ex Patribus. Tertullian. ad Scapulam cap. 2. *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor universitatis, odoris, aut sanguinis alicujus.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. histor. cap. 11. *Huic (Deo) continuas preces offerimus pro imperio illorum* (de Imperatoribus Gallieno, & Valeriano loquitur) *ut stabile, & inconcussum permaneat.* Augustinus epist. 117. ad Vitalem: *Quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem populum Dei orare pro increcre-*

credulis, ut eos Deus convertat ad fidem, subjanna pias voces &c. Quibus verbis Augustinus Vitalem, semipelagianismo laborantem, docet, infideles ut credant indigere gratia Christi, quam pro eis Ecclesia in sacrificiis exposcere solet. Insuper Athanas. in apologia ad Constantium scribit, quod in Ecclesia Alexandrina recitabatur in Liturgiis nomen Imperatoris, quanvis hæretici. Addit Jueninus hæc verba: *His quoque temporibus, in Latinis Liturgiis ante, & post consecrationem plures orationes leguntur pro Ecclesiæ hostibus, seu pro iis, a quibus persecutionem patitur. Reperiuntur etiam nonnullæ, quibus petitur eorum conversio, quos Ecclesia propter publica scelera evomuit ex suo sinu. Nititur vero ea praxis huic principio, quod inter fideles, & inter excommunicatos plerumque nonnulli sint e prædestinatorum numero, multique quibus, licet reprobis, Deus velit justitiam conferre, quam tamen usque in finem, per singulare perseverantiæ donum in eis non est conservaturus.*

III. Probatur Rationibus. I. Offerimus Sacrificium pro Ecclesia catholica propaganda, unienda, purganda: ergo similiter offerimus pro infidelium, & hæreticorum conversione. II. Sacrificium crucis pro omnibus oblatum fuit, etiam pro infidelibus, & hæreticis: ergo pariter sacrificium Eucharistiæ. III. Christus pro omnibus mortuus est, etiam pro infidelibus, & hæreticis: ergo pro omnibus pariter offertur. IV. Ecclesia similiter in die parasceves orat pro infidelibus, pro hæreticis, pro Schismaticis &c. ergo pro his omnibus licet sacrificium offerre.

Opponunt I. Non est licitum pro Excõmunicatis nominatim offerre sacrificium; ut legitur cap. *a nobis*; *de sententia excommunicationis*. II. Augustinus lib. de origine animæ cap. 9. *quis offerat corpus Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi?* Sed infideles, hæretici, & excommunicati non sunt membra Christi; ergo &c. III. Excommunicati sunt extra Ecclesiam: ergo non prosunt eis preces Ecclesiæ; eodem fere pacto, quo non prosunt alimenta membro, quod a corpore abscissum est. IV. Si liceret offerre sacrificium pro Gentilibus, Judæis, Hæreticis, & Excommunicatis, qui nominatim, & expresse denunciati sunt, nullum esset discrimen inter illos, & fideles; quod dicendum non est.

Respondemus ad I. Quod quanvis nominatim & publice non sit licitum, pro Excommunicatis non toleratis offerre sacrificium, quia Ecclesia eos excludit a suis orationibus, ac suffragiis, in criminis vindictam; & prohibet ne ipsorum nomina ad altare recitentur: possunt tamen fideles, ac Sacerdos ipse celebrans, pro iis privatim orare ut resipiscant & ad bonam frugem revertantur.

Ad II. Dicit S. Thom. in 4. distinct. 20. quæst. 2. artic. 2. ad 4. Verba Augustini intelligi debere de iis, qui sunt membra Christi actu, vel potentia. Ut enim ait Tournely, tunc offertur etiam pro membris Christi, quando offertur pro aliquibus, ut fiant membra Christi. Addit, quod Augustinus in eo loco loquitur dumtaxat de defunctis, qui aut sunt membra Christi actu, aut nullo modo; ideo absolute dicere potuit non posse offerre pro defunctis, nisi sint membra Christi.

Ad III. Reponit Jueninus, eas preces, quæ pro societate fidelium offeruntur, Excommunicatis, aliisque, qui ab Ecclesia sunt extorres, non prodesse; quippe qui cum fidelibus nullo prorsus vinculo teneantur: at nihil obstat, quin emolumentum colligant ex iis, quæ specialiter pro eis offeruntur.

Ad IV. dicitur, quod inter fideles, & excommunicatos duplex intercedit discrimen; primum est, quod excommunicati non sunt participes orationum, quæ ab Ecclesia funduntur pro fidelibus. *Alterum vero est, ait citatus Jueninus, quod fert hodierna praxis, ut eorum, qui sunt extra Ecclesiam, nomina publice non recitentur, nec privatim in ea Liturgiæ parte, quam* Memento *nominamus; hoc enim in capite non obtinet Veterum disciplina; sed nihil obstat quin de iis mentaliter Sacerdos cogitet, dum sacris dat operam, postuletque ut Deus Pater, propter Christum, qui in altari præsens sistitur, conversionis, ac resipiscentiæ donum largiatur. Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, evidenter colligitur Missæ sacrificium offerri pro omnibus, qui sunt in*

Ex-

Digitized by Google

Ecclesiæ sinu, sive justi sint, sive impii; „ Utrorumque Liturgiæ omnes me- „ minerunt; nec mirum, quippe quod „ fideles, sive justitia fruantur, sive ja- „ ceant in peccato mortali, sunt mem- „ bra illius mystici corporis, quod non- „ dum perfecte cum Christo capite „ conjunctum est. „

Pro altera Dissertationis parte, in qua quæritur, an subiectum sacrificii Missæ sint omnes mortui? Supponimus, inter defunctos primo esse illos, qui æternis suppliciis puniuntur; secundo esse illos, qui in Purgatorio detinentur ad tempus; tertio esse illos, qui in Cœlis Deum vident. Hæretici novatores pro nullis volunt sacrificium offerri posse, nec pro damnatis, nec pro purgantibus, nec pro Beatis; adeoque damnant usum Ecclesiæ, quæ in honorem Sanctorum Missas celebrat. Catholici vero volunt, reprobis, ad æterna supplicia damnatis, nihil prodesse Missæ sacrificium, adeoque pro ipsis offerri non debere, nec ut propitiatorium, nec ut impetratorium: volunt pariter, justos in charitate pie defunctos, & in Purgatorio detentos, juvari posse Missæ sacrificio, ac viventium suffragiis, vel ad temporalis pœnæ relaxationem, vel ad plenam liberationem. Volunt denique, sacrificium non offerri Sanctis, sed offerri in honorem Sanctorum, sicut nec templa, nec altaria Sanctis eriguntur, sed in honorem ipsorum Deo dedicantur.

Dicimus II. Pro damnatis ad æterna supplicia sacrificium offerri non posse; posse vero pro animabus purgantibus; posse pariter Deo offerri in honorem Sanctorum. Tres habet partes Conclusio.

Prima Conclusionis pars I. probatur. Damnati addicti sunt pœnis æternis, & pœnis, quæ alleviari non possunt: ergo iisdem sacrificia nihil prosunt. Antecedens habetur Matt. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Item in lib. Job legitur, *quod in inferno nulla sit redemptio*. Proinde Augustinus lib. 1. de origine animæ cap. 11. *Salva fide catholica, & ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, ut pro non baptisatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis, & sanguinis Christi*. Et lib. 3. cap. 12. *Noli credere, nec docere, aliquos eorum, qui sine Baptismo Christi ex hac vita emigraverint . . . . . ad regni cœlorum beatitudinem pervenire, si vis esse catholicus*. Lib. 2. de Civitate Dei cap. 24. docet, futurum ut Ecclesia pro reprobis adhuc viventibus non oraret, si certo sciret eos æterno excidio destinatos esse. *Si*, inquit, *de aliquibus ita certa esset, ut si sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, ut filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, idest pro talium defunctorum spiritibus, orat Ecclesia? Quid ita? nisi quia jam in parte diaboli computatur, qui, dum esset in corpore, non est translatus ad Christum*.

II. Probatur. Damnati si liberari, & sublevari possent per sacrificii Missæ oblationem, sequeretur, quod Deus, vel illos mitteret in gehennam ad tempus, vel quod pœnam tempore commensurandam iisdem infligeret; sed hoc est contra immutabilitatem decretorum Dei: ergo nullo modo oblatio sacrificii Missæ damnatis prodesse potest. Argumentum fundatur in doctrina omnium Patrum, & in Ecclesiæ traditione, qua docemur, nunquam in usu fuisse offerre sacrificium pro mortuis damnatis.

II. Conclusionis pars I. probatur ex Scripturis. Ex lib. 3. Machabæorum cap. 20. hæc habentur. *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium; bene, & religiose de resurrectione cogitans . . . . . Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Quibus addit Tournely. „ Ex quo „ celebri testimonio hæc habemus. „ 1. Mortuos post hanc vitam a pecca- „ tis solvi. 2. Sacrificia, & orationes „ vivorum mortuis prodesse. 3. Om- „ nes peccatorum reliquias non sem-

„ per per mortem expiari, ſicut Luthe-
„ ro, & Calvino videtur: illi etenim,
„ pro quibus Judas Machabæus ſacrifi-
„ cium offerri juſſit, mortui erant mor-
„ te violenta, & quidem pro Religio-
„ ne, atqui tamen perſuaſum habuit
„ Judas, illos plene purgatos non fuiſſe.
„ 4. Poſſe hominem ſancte, ac pie mori,
„ & tamen debitum aliquod ipſi ſol-
„ vendum, ſive propter levia quædam,
„ & venialia peccata non remiſſa, ſive
„ propter pœnam temporalem, quæ
„ poſt condonatam culpam læthalem
„ ſolvenda ſupereſt: teſtatur enim ſa-
„ cer contextus loco citato verſ. 45.
„ eos, pro quibus Judas ſacrificium of-
„ ferri voluit, *cum pietate dormitionem*
„ *accepiſſe*. 5. Denique officia illa pie-
„ tatis, quæ defunctis exhibentur, ad
„ religionem pertinere. „

II. Probatur ex Auguſtino, qui lib. 9. Confeſſionum narrat, Monicam, matrem ſuã, ipſum rogaſſe, ut ſui memoriam faceret ad altare; & ob id *oblatum fuiſſe pro ea ſacrificium pretii noſtri.* Inſuper in lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. ſcribit. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium.* Sed quanvis nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine patet, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Et cap. 4. *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis, etiam incertis nominibus eorum, ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi,* Et in Enchiridio cap. 110. *Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſinæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cum vixerant, ut hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt..... Quo circa hic omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam, vel gravari. Nemo etiam ſperet, quod hic neglexerit, apud Deum promoveri.... Non enim omnibus proſunt: & quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ, quam unuſquiſque geſſit in corpore?* Cum ergo ſacrificia ſive altaris, ſive quarumcunque eleemoſinarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valde malis propitiationes ſunt; pro valde malis, etiamſi nulla ſint adjumenta mortuorum, quæſcunque vivorum conſolationes ſunt.

III. Probatur ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. in qua docetur, animas in Purgatorio detentas juvari ſacrificio Miſſæ: & ſeſſ. 21. cap. 2. dicitur *Sacrificium Miſſæ non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis, rite, juxta Apoſtolorum traditionem offerri.* Et can. 3. *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.* Idem docuerat Concil. Carth. 4. can. 79. habitum ſeculo 4. anno ſcilicet 398. ubi legitur: *Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ ſequuntur, ſi caſu in intinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.*

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet Deo poſſit offerri ſacrificium Miſſæ in honorem Sanctorum, ex eo patet, quod ſacrificium offertur in proteſtationem ſupremi dominii, quod habet Deus in res omnes creatas, ac proinde pertinet ad cultum latriæ: ex quo ſequitur, quod offerri non poſſit puris hominibus, quantumlibet ſanctis. Et hoc declarat Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 3. *Quanvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas in Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet, offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, ſed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Et Auguſtinus lib. 8. de Civitate Dei cap. 27. ſcribit: *Nos Martyribus non conſtitu-*

Digitized by Google

stituimus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia ..... Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad Altare ..... dicere in precibus, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane; cum apud Memorias eorum Deo offeratur? Et lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Nulli Martyrum, quanvis in Memoriis Martyrum constituimus altaria ..... Quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud Memorias eorum, quos coronavit.*

Ex quibus hæc deducit Tournely „ Sacrificia Sanctis non prosunt ad culpæ „ vel pœnæ remissionem, nec ad gratiæ, vel gloriæ essentialis augumentum. Ratio est, quia Sanctis Deo aperte fruentibus nihil deest, quod gloriæ „ illorum essentiali superaddi possit, „ sed tantum gloriæ accidentalis, quæ „ eorum cultum, honorem, ac veneprationem spectet. Quare S. Augustinus tract. 84. in Joan. & serm. 159. „ alias 17. de verbis Apostoli, monet in „ sacrificio memoriam fieri Sanctorũ, „ sed non orari pro illis. Et idcirco „ cum in nostra Liturgia petimus, ut „ oblatio Sanctis prosit ad gloriam, non „ tam oramus pro Sanctis, quam pro „ nobis: nempe gratiam petimus ita „ sancte, pie, devote, recte sacrificium offerendi, ut merito Sancti gaudere inde possint, & gloria illis coram „ hominibus accedat. „

„ III. Sacrificium Missæ non est per se „ institutum, tanquam ad finem proprium, & præcipuum, ad Sanctos „ honorandos, vel invocandos: siquidem directe, ac primario institutum „ est ad Deum colendum, & propitium „ nobis reddendum; secundario autem „ tantum, ac consequenter ad Sanctos „ honorandos: quapropter verum foret sacrificium, tametsi nulla in eo „ fieret Sanctorum memoria. „

„ IV. Non repugnat institutioni cœnæ „ Domini offerre Deo sacrificium in „ honorem Sanctorum, eosque invocare, ut pro nobis apud Deum intercedant. Hæc est constans Ecclesiæ „ fides, ac praxis. *Si quis dixerit*, ait „ Concil. Trid. sess. 22. can. 5. *Impostruram esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* „

„ Fidem hanc & traditionem ad nos „ usque perduxerunt quoquot extant „ apud Græcos, & Latinos Liturgiæ, „ in quibus SS. Apostolorum, Martyrum, & aliorum Sanctorum memoria celebratur. Ex illis Liturgiis non„ nulla testimonia laudavimus cum de „ Deo agebamus tom. 1. pag. 580. & „ 581. Perduxerunt, & SS. Patres. „ Cyrillus Hierosolym. Catech. 5. mystag. *Cum hoc sacrificium offerimus*, „ inquit, *mentionem facimus eorum, qui „ ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus „ illorum, & deprecationibus, suscipiat „ preces nostras.* Et Augustinus tract. „ 84. in Joann. *Nam sic*, inquit, *Martyres commemoramus* (ad Altare) „ *Quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus; sed „ magis ut orent ipsi pro nobis.* Et lib. „ 8. de Civit. Dei cap. 27. reddens rationem, cur in memoriam, & apud „ memorias Sanctorum sacra celebrentur, hanc reddit, *ut ea celebritate, „ & Deo vero de illorum victoriis gratias „ agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum „ memoriæ renovatione adhortemur.*

Opponunt I. Liber Machabæorum inter Canonicos non recensetur: ergo auctoritas ex eo ducta nihil valet: II. Verba illa: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, non est genuina textus, sed est ab aliquo irrationabiliter insuta: ergo nihil probat. III. Augustinus in Enchiridio cap. 110. scribit, *quæ per mortuis offeruntur: Non omnibus prosunt ..... quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*, & cap. 102. *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existimem (si hoc eis placet) aliquatenus mitigari, etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei*: ergo ex Augustino pœnæ Damnatorum mitigari possunt: ergo pro hoc saltem possunt illis prodesse sacrificia. IV. Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Philippen. docet, orandum esse pro mortuis, & addit: *Id quidem de iis, qui in fide decesserunt. Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro iis dare, atque hinc ali-*

quid percipiunt refrigerationis. Sed nomine Catechumenorum intelliguntur damnati, qui sine baptismo moriuntur: ergo damnatis sacrificiū prodesse potest. V. Glossa in cap. *tempus* 13. quest. 2. vult, ex damnatis aliquos fuisse valde malos, & his ait sacrificium non prodesse; alios vero fuisse mediocriter malos, & his vult prodesse, non ad plenam liberationem, sed ad quandam relaxationem. VI. Damascenus in oratione de defunctis testatur, Trajanum, & Falconillam fuisse liberatos ex inferis Gregorii Magni, & Sanctæ Teclæ, orationibus. VII. Innocentius III. in cap. *Cum Marthæ, de celebrat. Missarum*, dicit apud Tournely. „ „ Quosdam ex mortuis esse valde bo- „ nos, idest sanctos, qui non egent „ suffragiis: quosdam valde malos, id- „ est damnatos, qui non possunt juva- „ ri: quosdam mediocriter bonos, qui- „ bus suffragia prosunt ad expiationē. „ Non exponit Innocentius quinam illi „ sunt, quos appellat mediocriter ma- „ los. „ VIII. Judæi illi, pro quibus Judas Machabæus lib. 2. Machabæorum cap. 20. jussit offerri sacrificium, sub ipsorum cadaveribus tenebant donaria Idolorum, & perconsequens fuerant mortui in peccato mortali: ergo pro iis, qui moriuntur in peccato mortali offerri potest sacrificiū. Insuper Ecclesia orat Deum, ut liberet defunctos *de morte æterna, de panis inferni, de profundo lacu, de ore leonis &c.* IX. Christus non dixit in institutione Eucharistiæ: hoc facite in honorem Sanctorum, sed in meam commemorationem. X. Mortui, sive damnati, sive sancti, non possunt manducare corpus Domini, nec possunt bibere ejus sanguinem: ergo non possunt esse participes sacrificii Eucharistiæ. XI. Sacrificium est actus latriæ, qui cultus soli Deo debetur in honorem ipsius: ergo non in honorem Sanctorum. XII. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. dicit, in sacrificio Missæ, Sanctos nominari quidem a Sacerdote, sed non invocari; & hæc sunt ejus verba. *Non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in Memoria sacrificet eorum; quia Dei Sacerdos est, non illorum.*

Respondemus ad I. Scriptores omnes Catholicos probare primum & secundum Machabæorum libros esse canonicos, & nos satis quoque probavimus in volumine quinto nostrarum Dissertationum, Dissertatione 278.

Ad II. Negatur quod assumitur; & contrarium assumptionis apud omnes Theologos probatum invicte invenitur.

Ad III. Augustinus loquitur de fidelibus, qui in Purgatorio detinentur; ut patet ex ejus contextu, in quo hæc leguntur. *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt..... Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum qualescunque vivorum consolationes sunt.*

Ad IV. Chrysostomus loquitur de Catechumenis absque baptismo decedentibus, proquibus suo tempore orationes non fiebant.

Ad V. Error fuit Glossæ, si putavit, aliquos ex damnatis percipere refrigerium ex Missæ sacrificio, quia in inferno nulla est redemptio.

Ad VI. Dicitur, quod *illa oratio de* defunctis non est Damasceni; & quod narratur de Trajano, & Falconilla, fabula est.

Ad VIII. dicit Tournely. „ Innocen- „ tius III. videtur memoria lapsus, & „ & ex trimembri divisione, quam ad- „ duxit S. Augustinus, quadrimembrē „ feciſſe: sed quidquid sit, duo poste- „ riora membra divisionis recte intel- „ ligi possunt de iis, qui in Purgatorio „ pœnas ferunt, quorum aliqui sunt „ mediocriter boni. quia in hac vita „ bene quidem vixerunt, ex qua in „ charitate discesserunt; sed quibus „ pœnarum aliquid luendum supereſt, „ ac per sacrificium Missæ, & viventiū „ suffragia, subveniri potest ad suppli- „ cii mitigationem, vel plenam libera- „ tionem; alii sunt mediocriter mali, „ quia in hac vita non ita pie vixerunt, „ & tandem a reatu culpæ liberati, „ cum magno pœnæ reatu discesserunt, „ qui-

Digitized by Google

„ quibus ſacrificium ad pœnarum mi-
„ tigationem valere poteſt.„

Ad VIII. Judæi non tenebant idolorum donaria ad cultum, & reverentiam, ſed tanquam prædam, quæ jure victoriæ illis debebatur; ac proinde non peccabant. Præterea Eccleſia refert preces illas ad inſtans temporis, quo defunctorum animæ corporibus ſolvuntur.

Ad IX. Ideo Chriſtus non dixit, hoc facite in honorem Sanctorum, quia Euchariſtia primario, & directe ordinatur ad cultum Dei, ſecundario vero, & indirecte ad honorem Sanctorum. Cœterum quamvis Chriſtus hoc non præceperit, non tamen prohibuit.

Ad X. Argumentum probat, mortuos non poſſe participes eſſe Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt; non vero non poſſe de illa participare, ut ſacrificium eſt.

Ad XI. differentia maxima eſt in eo, quod ab adverſariis fingitur a nobis dici, ſacrificium offerri Sanctis in honorem Dei, & in eo, quod a nobis revera dicitur, ſacrificium offerri Deo in honore Sanctorum.

Ad XII. negat Auguſt. invocari Sanctos, ſed invocatione per ſacrificium, quod ipſis offeratur: non negat tamen invocari precibus Sacerdotis, ut pro nobis apud Deum intercedant.

Tertia tandem Diſſertationis pars in eo conſiſtit, quod per Miſſæ ſacrificium culpa, & pœna peccati dimittantur, non ex opere operato, ſed ex opere operantis. Proinde

Dicimus III. Per Miſſæ ſacrificium dimitti peccati culpam, & pœnam, non immediate, ſed mediate, & non ex opere operato, ſed ex opere operantis.

I. Pars probatur. Eandem vim habet ſacrificium Miſſæ, ac ſacrificium Crucis; ſed per illud remiſſæ fuerunt culpa, & pœna peccati: ergo pariter per hoc. Tridentinum docuit hoc ipſum ſeſſ. 22. cap. 2. *Illud ſacrificium vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Definiit rurſus, *ipſum rite juxta Apoſtolorum traditionem offerri, non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis.*

II. Pars probatur. Sacrificium Crucis non immediate juſtificat impium, ſed mediate; quatenus impetrat dona, quæ converſionem operantur; ſed ſacrificium Miſſæ eamdem habet vim: ergo pariter mediate peccata dimittit. Unde Tridentinum loco nuper citato docet. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.*

III. Pars probatur. Sacrificium Miſſæ operatur per modum impetrationis; ſed operari per modum impetrationis eſt operari ex opere operantis: ergo &c. Ulterius effectus, qui ſequitur ex opere operato, eſt infallibilis; ſed Miſſa non ſemper ſuum ſortitur effectum; ergo non operatur ex opere operato.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXLII.

De Miniſtro Sacrificii Miſſæ. Utrum Miniſtri ſacrificii Miſſæ ſint ſoli Sacerdotes? Quando teneantur ſacrificium offerre? Et quis in ſacrificio ſit principalis offerens, & qui Miniſtri?

Uia ſolus Sacerdos eſt ordinarius Miniſter Euchariſtiæ, ut Sacramentum eſt, quemadmodum ſuo loco diximus: idem quoque Sacerdos eſt Miniſter Euchariſtiæ ut ſacrificium eſt; ac proinde eam divino jure ſacrificare Deo poteſt, ac debet. Chriſtus enim verbis illis Matt. 28. *Hoc facite in meam commemorationem*, dedit poteſtatem Apoſtolis, eorunque Succeſſoribus, faciendi, quod ipſemet in ultima cœna fecit. Et quia in ultima cœna confecit Sacramentum Euchariſtiæ, & pariter obtulit ſacrificium; hinc eſt, quod Apoſtolis præceperit, ut hoc ipſum pariter facerent. Quod expreſſit Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. *Et quoniam in divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit; docet ſancta Synodus, ſacrificium illud vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit. Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam fructus per hanc uberrimam percipiuntur, tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto non dum ad plenam purgatis, rite, juxta Apoſtolorum traditionem, offertur.*

Dicimus I. Solos Sacerdotes eſſe Miniſtros ſacrificii Miſſæ.

I. Probatur Concluſio ſimul, & explicatur a Bellarmino lib. 2. de ſacrificio Miſſæ cap. 4. per hæc verba. „ Sacrificium Miſſæ ex opere operato „ vim habeat, & ſimul, ut præmiſimus, „ quæ ſit propria efficientia ſacrificii. „ Sunt autem tria præmittenda, ut hoc „ recte intelligatur. Primum eſt, Sa„ crificium Miſſæ a tribus offerri, a „ Chriſto, ab Eccleſia, a Miniſtro; ſed „ non eodem modo. Chriſtus enim „ offert, ut primarius Sacerdos, & of„ fert per Sacerdotem hominem, ut „ per ſuum proprium Miniſtrum. Ec„ cleſia non offert, ut Sacerdos per „ Miniſtrum, ſed ut Populus per Sacer„ dotem. Itaque Chriſtus per inferio„ rem offert, Eccleſia per ſuperiorem: „ Sacerdos enim quatenus talis major „ eſt reliquo populo, quippe qui, ut „ mediator quidam pro populo apud „ Deum intercedit, nec eſt proprie in „ ea re Miniſter Eccleſiæ, ſed Chriſti „ principalis mediatoris. Ex quo etiam „ ſequitur, ut Eccleſia non proprie ſa„ crificet exercendo actum ſacerdota„ lem, ſed tantum offerat Sacerdoti

„ rem

„ rem ſacrificandam, aut curat fieri „ ſacrificium, aut certe contentiat in „ ſacrificium, & voluntate, ac deſide„ rio offerat, cum Sacerdos offert. „

II. Probatur ex Scripturis. Soli Sacerdotes, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, habent poteſtatem offerendi Euchariſtiam: ergo ſoli Sacerdotes ſunt Miniſtri ſacrificii Miſſæ. Antecedens probatur ex illis verbis Chriſti Domini, qui Apoſtolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: & Juſtinus Martyr in Apologia 2. explicavit per hæc verba: *Eum, qui fratribus, ideſt Chriſtianis præeſt, rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offerre Euchariſtiam.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. can. 18. Vult, ut Euchariſtia accipiatur ab his, qui poteſtatem habent offerendi, qui ſunt Sacerdotes. Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. *Sub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc verba; hoc facite in meam commemorationem.* Et can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit.*

Pro ſecunda Concluſionis parte, in qua quæritur, quando teneantur Sacerdotes ſacrificium offerre? Supponit ſimul & probat Jueninus, quod Sacerdotes, qui nunquam, aut ſaltem raro celebrant, gravi ſe peccato devincire. Pro ſe affert S. Thomam in 4. ſententiarum diſtinct. 2. quæſt. 1. artic. 2. ubi hæc habet: *Ambroſius dicit, grave eſt quod ad menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; ſed gravius eſt, ſi dum peccatum metuimus, etiam ſacrificium non reddamus. Sed primum eſt mortale: ergo & ſecundum.* Affert etiam eundem Angelicum Doctorem, qui hæc ſcribit. *Reſpondeo dicendum, quod ſecundum quoſdam non peccat, qui dimittit celebrationem, niſi populum habeat commiſſum, vel ex obedientia celebrare teneatur. Sed quia ſecundum Gregorium, cum creſcunt ſive augentur dona, rationes creſcunt donorum, cum Sacerdoti data ſit nobiliſſima poteſtas, reus erit negligentiæ, niſi illa utatur ad honorem Dei, & ſalutem ſuam, & aliorum vivorum, & mortuorum.* Inſuper affert Pium V. qui juſſit deleri ex Cajetani Commentariis in S. Thomam opinionem, qua Commentator aſſeruerat, eſſe ſolius peccatis venialis reſum Sacerdotem, qui nuſquam ſacris operam daret. Et denique ex ſuo hanc rationem depromit. „ Qui „ raro admodum per ſegnitiem, & ſo„ cordiam ſacris dat operam, Deum, „ quantum in ſe eſt, quam maximo de„ fraudat honore, peccatoribus adimit „ auxilium, quo indigent ad conver„ ſionem, juſtis uberem ſubducit appli„ cationem paſſionis Chriſti; ac proin„ de in re, quæ non levis eſt momenti, „ divinum præceptum infringit. „

Attamen Tournely reſpondens ad quæſitum; quoties Sacerdotes, quibus nulla commiſſa eſt animarum cura, celebrare per annum teneantur? Ait, „ Nulla divina lege fixum, ac determi„ natum eſſe numerum Miſſarum, quas „ Sacerdos celebrare teneatur, aut pro„ hibitum plures una die celebrare. „ Laudandos maxime, ac commendan„ dos inter Sacerdotes eos, qui quoti„ die ea qua par eſt animi pietate, ac „ religione ſacrificium offerunt; juge „ quippe ac perenne eſt noſtrum Alta„ ris ſacrificium. *Ideo nos Deus offerre „ vult munus ad altare frequenter, & „ ſine intermiſſione*, ait S. Irenæus lib. 4. „ adverſus hæreſes cap. 18. alias 35. „ *Epiſcopatus noſtri honor grandis, & „ gloria eſt*, inquit, S. Cyprianus epiſt. „ 54. ad Cornelium, *pacem dediſſe Martyribus, ut Sacerdotes, qui ſacrificia „ Dei quotidie celebramus, hoſtias Deo, „ & victimas præparemus.* „ Apoſtoli „ quotidie circa domos frangebant pa„ nes; ideſt Euchariſtiam offerebant, „ & diſtribuebant. „

Ex his autem Legentes eligant opinionem, quæ ſibi magis arriſerit, nobis enim nihil in hoc determinare facit, vel varia Doctorum Sententia, vel diverſæ circumſtantiæ, quæ in re ipſa poſſunt habere locum.

Dicimus III. Antiquitus Majores noſtros multoties eadem die celebraſſe; multis autem ab hinc ſeculis hoc ipſum canones prohibuiſſe; circa vero horam celebrationis non eandem ubique diſciplinam obtinuiſſe. Tres habet partes Concluſio. Pro

Pro I. parte probatur ex Concilio Toletano II. habito anno 681. in quo dicitur: *Relatum est nobis, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre.* Insuper Strabo cap. 21. de rebus Ecclesiasticis, de Leone III. circa finem Seculi VII. & circa initium seculi VIII. hæc refert: *Fidelium relatione virorum ad nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam (sicut ipse fatebatur) una die septies, vel novies Missarum solemnia sæpius celebrasse; Bonifacium vero Archiepiscopum, & Martyrem semel tantum per diem Missas fecisse, qui & non longe ante nostra fuerunt tempora, & ambo tam scientia quam gradu præcipui..... Itaque unusquisque in in suo sensu abundet, dum fides concordat, ut nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter non posse petitiones discernere; nec semel hostias per diem immolantes petant, suæ fidei subtilitatem potius, quam superiorum devotionem divinis acceptam conspectibus.*

Pro II. Parte affertur Concilium Londinense, celebratum anno 1200. quod habet can. 2. & 4. *Non liceat presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente.* Alexander II. circa annum 172., in decreto quod refertur in cap. *Sufficit*, distinct. 1. *De consecratione. Sufficit Sacerdoti Missam unam in die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse sit:* & addit: *quicunque pro pecuniis, aut adulationibus secularibus, una die præsumunt plures facere Missas, non existimo evadere condemnationem.* Innocentius III. relatus in cap. *Consuluisti de Celebratione Missarum*: Respondeo, *quod excepto die Nativitatis Domini, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.*

Pro III. Parte, quando persecutiones sæviebant, celebrabantur Missæ, & ante lucem, & orto jam Sole, & vespere. Testatur Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam ante lucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præsidentium sumimus.* Postmodum quando cessavit persecutio, assignata fuit hora tertia pro festivis diebus, hora nona in jejuniis per annum, hora vespertina per quadragesimam. Habemus testimonium Burchardi lib. 19. cap. de contemptu jejunii: *solent plures, qui jejunare se putant in Quadragesima, mox ut signum viderint, ad horam nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, & vespertinis officiis, largitis eleemosinis, ad cibum accedendum est.* Pro Missis privatis S. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 2. docet: *Ad quartum dicendum, quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte..... ita tamen quod principium diei accipitur non a media nocte, nec etiam, ab ortu solis, ideſt quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora; tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet.*

Pro III. autem Dissertationis dubio, in quo proponitur: quis in sacrificio Missæ sit principalis offerens, & qui Ministri?

Dicimus IV. Christum esse summum ac principalem Sacerdotem offerentē; Ministros vero esse cœteros Sacerdotes.

I. Probatur Conclusio ex Scripturis. Ille est Sacerdos principaliter offerens in sacrificio Eucharistiæ, qui est Sacerdos in æternum; sed Christus est Sacerdos in æternum ex Apostolo ad Heb. 7. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: ergo &c. Insuper Sacerdos, & sacrificium connectuntur inter se; sed Christus principaliter offert sacrificium, scilicet corpus, & sanguinem suum sub specie panis, & vini; unde idem Apostolus ait cap. 5. ejusdem Epistolæ ad Hebreos: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*: ergo Christus in sacrificio Missæ est principaliter offerens. Et hæc est differentia inter Sacerdotium Christi, & Sacerdotium Aaronis in lege veteri, quia tunc plures erant Sacerdotes,

Digitized by Google

dotes, qui ſibi ad invicem ſuccedebant, ipſorum prævia morte: at nunc unus eſt Sacerdos, qui nullos habet ſucceſſores, ſed tantum Miniſtros: unde Apoſtolus cap. 7. cit. *Alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem Chriſtus, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium: unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe, & refertur in cap. *firmiter, de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, docet: *Chriſtum in hoc myſterio ſimul eſſe Sacerdotem, & ſacrificium*. Concilium Tridentinum ſeſſ. 12. cap. 2. *Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.*

III. Probatur Rationibus theologicis. I. Sacrificium Euchariſtiæ debet eſſe purum, & mundum, non tantum ex parte rei oblatæ, ſed etiam ex parte offerentis; ſed homo Sacerdos non eſt ſemper purus, & mundus: ergo oportuit eſſe principalem offerentē, qui nullo modo poſſit per peccatum coinquinari: & proinde in præfata epiſt. ad Hebr. ſcribebat Apoſtolus. „ Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex „ (Chriſtus) ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & „ excelſior cœlis factus; qui non habet „ neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro Populi. „ II. Sacrificium Euchariſtiæ ex immunditia Miniſtri coinquinari non poteſt; & hoc non niſi, quia quanvis Miniſtri Chriſti ſint immundi, & peccatis infecti; hoc tamen nihil officit ſacrificio, quia principalis offerens ita eſt ſanctus, ac mundus, ut nulla ratione pollui, ac immundus fieri poſſit. Proinde Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. *Hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt.* III. Theologi quærunt; quæ ſit ratio formalis, ac præcipua, quare Chriſtus dicatur principalis offerens in ſacrificio Miſſæ? Et multi multas adducunt; ſunt enim qui dicunt rationem eſſe, quia Chriſtus ipſe hoc ſacrificium inſtituit: alii vero volunt, quia tota vis, & efficacia hujus ſacrificii in meritis Chriſti fundatur: alii pariter proferunt, quia Chriſtus per humanitatem phyſice concurrit ad actionem ſacrificandi: alii demum aſſerunt, quia Sacerdos in perſona Chriſti offert, & conſecrat. Unde S. Cyprianus in epiſt. 63. docuit: *Sacerdos in Altari vice Chriſti fungitur*: & S. Thomas quæſt. 82 artic. 1. ad 3. *Sacerdos in Miſſa in orationibus quidem loquitur in perſona Eccleſiæ, in cujus unitate conſiſtit; ſed in conſecratione Sacramenti loquitur in perſona Chriſti, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis poteſtatem.*

Quod autem Sacerdotes ſint Miniſtri in ſacrificio Miſſæ, probatum ſupponimus ex iis, quæ diximus, atque probavimus, Sacerdotes eſſe Miniſtros in Sacramento Euchariſtiæ.

Opponunt I. Praxis erat Eccleſiæ antiquitus, ut quotidie Sacerdotes celebrarent, quod colligitur ex epiſt. 54. Cypriani, quæ eſt ad Cornelium Papam. II. Praxis erat etiam antiqua, ut in templis feſtivis diebus una tantum Miſſa celebraretur: ergo quotidie Sacerdotes non celebrabant: proinde duæ hæ allatæ praxes interſe pugnant. III. Sunt Sacerdotes, qui aliquando legitime ſunt impediti, ut vel frequenter, vel quotidie celebrent: ergo de his Canones non ſunt intelligendi. IV. Aſſignari non poteſt, Sacerdotes cujus ſint Miniſtri: ergo nullius Miniſtri ſunt: ergo non ſunt Miniſtri. V. Si Sacerdotes eſſent Miniſtri, etiam Excommunicati, ſuſpenſi, depoſiti, degradati, hæretici, ſchiſmatici, valide ſacrificium perficerent, atque offerrent; ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. VI. Eccleſia, vel Populus, etiam ſacrificium offerunt: ergo pariter ſunt Miniſtri: ergo non ſoli Sacerdotes ſunt Miniſtri.

Reſpondemus ad I. Praxim illam non fuiſſe generalem, nec fuiſſe ex debito, vel ex obligatione inductam, ſed ex devotione tantum; quapropter non ubique locorum vigebat, ſed in aliquibus Eccleſiis tantum, in quibus vel perſecutio non erat immanior, ut in cœteris, vel devotio erat ferventior.

Ad II. Una tantum Miſſa diebus feſti-

vis in templis celebrabatur, quæ erat Missa solemnis, vel erat Missa, in qua cœteri quoque Sacerdotes cum cum Episcopo, aut Parocho, celebrabant; ita quidem, ut ait Jueninus, ut ad Altare recitantes Liturgiam, cum Præposito suo consecrarent.

Ad III. De Sacerdotibus, qui legitime sunt impediti, hæc scribit Jueninus Dissert. 5. de Eucharistiæ sacrificio, quæst. 7. cap. 1. artic. 1. *Observet hic velim lector a sacrificandi debito, de quo hactenus, excipi Sacerdotes, qui legitime fuerint impediti; hujusmodi vero sunt* 1. *ii, qui aliquibus censuris innodati existunt*: 2. *qui ob grave aliquod scelus, quod admiserunt, pœnitentiæ laboribus dant operam, ut revera diuturnis incumbant oportet antequam accedant ad altare, iique præsertim qui sacrum ordinem carnis flagitiis polluerunt. Quod si propter necessitatem populorum, qui illius curæ crediti sunt, coactus sit sacris dare operam non ob id tamen liberum se putet a diuturniore pœnitentia, quæ præter labores, includit præterea humilem, per aliquod tempus, a sacris altaribus recessum, præsertim si Episcopus præ manibus ministros habeat, quos substituat lapsi loco, quique populo Sacramentum dispensent. Sed de his satis, cum illud argumentum, agentes de dispositionibus ad celebrandum Missam requisitis, fusius simus pertractaturi.*

Ad IV. dicitur, quod Sacerdotes sunt Ministri Christi, Ecclesiæ, & Populi. Christi, quia ejus Personam gerunt: Ecclesiæ, ac Populi, quia ipsorum vota offerunt Deo Patri per Christũ, intercedentes, & sacrificantes pro publica omnium salute.

Ad V. Conceditur sequela, & negatur minor; & ratio est, quia potestas Ordinis, in nullo ex dictis deleri potest; & proinde consecratio ab ipsis facta cum debita materia, forma, & intentione, semper est valida. Docet S. Thomas quæst. 82. artic. 7. ad 3. *Si Sacerdos ab unitate Ecclesiæ præcisus Missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus, & sanguinem Christi; sed quia est ab unitate Ecclesiæ separatus, orationes ejus efficaciam non habent.* Ad quæ addit Tournely. „ Idest, sacrificium „ nullatenus tunc efficax est ex opere „ operantis, sed ex opere dumtaxat „ operato. Si tamen obtineret eorum sententia, qui existimant esse „ pœnes Ecclesiam certas quasdam leges, ac conditiones apponere in administratione Sacramentorum, quibus violatis minister inhabilis redditur ad perficiendum Sacramentum, „ quod exemplo Matrimonii præsertim confirmant; si, inquam, hæc „ sententia obtineret, de qua olim diximus, ac recurret adhuc dicendi „ locus, ubi de sacris Ordinationibus; „ diceretur sacrificium a Sacerdote „ suspenso, ac degradato, nullum ac „ invalidum esse. „

Ad VI. Ecclesia, & Populus, etiam suo modo sacrificium offerunt, sed non sunt Ministri, quia offerunt per Sacerdotem, qui est Minister. Ac proinde Sacerdos in Missa dicit; *Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*: Et deinde ad Deum conversus dicit: *Memento Domine famulorum tuorum.... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.....* Et infra, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Addit pariter Tournely: „ Et certe, cum sacrificium ex natura sua sit cultus publicus, & solemnis totius populi, nomine totius populi offertur Deo per „ Sacerdotem; quod enim specialiter „ agitur ministerio Sacerdotum, hoc „ generatim agitur ex voto fidelium, „ ait Innocentius III. lib. 3. cap. 6. *De Sacrificio Missæ.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXLIII.

De Missis privatis. De erroribus contra ipsas, & de ipsorum Authoribus. An sint antiquæ? An sint licitæ?

PER Missas privatas primo loco intelligunt eas, quæ ratione loci privati, in quo celebrãtur, hoc pacto dicuntur; ut enim ait Bellarminus, quæ celebrantur in privato aliquo oratorio, seu sacello, dici possunt privatæ, si comparentur ad eas, quæ celebrantur in publico templo. De his autem præsens controversia non procedit; ut enim subsequitur laudatus Bellarminus: „ Ac de his non est magna „ controversia; nam etiamsi Adversarii „ eas Missas odiose traducant, & an„ gulares per contumeliam vocent: „ tamen habemus de his exempla ma„ nifestissima antiquitatis. Nam in pri„ mis Dominus primam Missam insti„ tuit, ac celebravit in privata domo: „ & Apostoli initio frangebant circa„ domos panem, Act. 2. ac deinde „ sancti Pontifices tempore persecu„ tionis, non in domibus tantum pri„ vatis, sed etiam in cryptis, & fora„ minibus terræ, sacra faciebant: immo „ S. Lucianus in Carcere sacrificavit, „ & suo ipsius pectore pro altari usus „ est, cum jaceret onustus catenis, nec „ erigere seipsum posset. Refert id Ni„ cephorus lib. 8. histor. cap. 31. „ Secundo dicuntur Missæ privatæ ratione temporis, ita ut Missa publica dicatur, quæ festis diebus; privata vero quæ profestis celebratur. Tertio dicitur a fine, & est quæ pro aliquo privato, seu particulari homine, vel negotio, offertur; ita tamen ut cæteri fideles, seu viventes, seu mortui, non excludantur. Quarto, prosequitur Tournely, ex Bellarmino, „ A paucitate illorum, qui intersunt; „ ut dicatur publica, quæ fit coram„ populo, qualis illa est, quæ Parochia„ lis, vel Conventualis appellatur; pri„ vata autem, ad quam non expecta„ tur populus, sed pro arbitrio Sacer„ dotis habetur, sive multi sint, sive„ pauci. 5. Missæ privatæ dici possunt, „ quæ dicuntur in eodem templo, eo„ dem die, præter unam: nam una tan„ tum solet esse Missa publica, & so„ lemnis, quæ dicitur in summo altari; „ cæteræ quæ dicuntur in minoribus „ altaribus eodem die, privatæ dici „ possunt, licet multi interdum adsint „ auditores. Varia istarum Missarum „ privatarum ex veteribus monumen„ tis exempla, ibidem profert doctissi„ mus Cardinalis. 6. Denique, privata „ Missa dici potest, in qua solus Sacer„ dos communicat; atque hæc ipsa est, „ de qua potissimum litem nobis mo„ vent Novatores, cujusmodi Missas „ ad invidiam *angulares* appellant. „

Primo, igitur erravit Lutherus, qui pestilentissimum librum edidit, cui titulum præfixit, de abroganda Missa privata; in quo gloriatur, quod in eo conscribendo Diabolũ habuerit præceptorem; unde dixit Author Anonimus in tom. 1. de re sacramentaria, quod maluit spiritui tenebrarum, & patri mendacii credere, quam Spiritui Sancto per Ecclesiam loquenti.

Secundo, eravit Kemnitius, inverecunde insurgens contra Concilium Tridentinum, quod Missas privatas approbaverit, & momenta ab eodem adducta impugnare non erubuerit.

Tertio, erravit Melanethon, qui bellum

quoque Missis privatis infeliciter indixit, & a Bellarmino fuit feliciter exagitatus.

Quarto, erravit Brentius in confessione Wirtembergensi cap. de Eucharistia, ubi asseruit: *Christus instituit cœnam suam, non ut esset privata actio sacrificandi, sed communis totius Ecclesiæ; non igitur licitæ sunt privatæ illæ Missæ, in quibus Sacerdos sibi soli legit verba cœnæ, & Eucharistiam consecrat.*

Dicimus I. Missas privatas antiquas fuisse in Ecclesia.

I. Probatur Conclusio ex can. 9. inter illos, qui dicuntur Apostolorum, & qui vere ex veteribus Conciliis sunt excerpti; hic contra statuit Clericos excommunicandos, ita tamen ut qui facta oblatione non communicaverint, si causam non communicandi dixerint, *quæ rationabilis fuerit, veniam consequentur*. Ex quo infert Tournely: *Si ergo legitima causa erat indignos arcendi a sacra mensa, licitum quoque erat sacra celebrare, etsi nullus præter celebrantem, Eucharistiæ sacramentaliter fieret particeps.*

II. probatur ex Conciliis veteribus. Concilium Agathense anno 511. præcipit, fideles omnes sacrificio Missæ singulis diebus dominicis interesse, ter autem in anno communicare; scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste; ergo licitum erat aliis temporibus celebrare, & si nullus accederet communicaturus ad sacrã mensam, Concilium Nannatense cap. 30. jubet, ut Præsbiteri non celebrent Missam quando sunt soli, sed quod habeant saltem unum respondentem. Concilium Toletanum XX. Can. 5. reprehendit Sacerdotes, qui offerebant sacrificium, & seipsos non communicabant. Quo facto intelligitur in ejusmodi sacrificio alios non fuisse, qui communicarent; & nihilominus Concilium tantum requirit ut Sacerdos ipse communicet, non vero alii.

III. Probatur ex Patribus. Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Ephesios, compellat populum fidelem ut communicet, & dicit, *frustra habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet*: At non dicit S. Doctor, Missas illas, quibus nemo communicabat, illicitas, aut nullas fuisse, sed tantum asserit, eas frustra offerri, respectu scilicet fidelium, qui specialem fructum ex Eucharistiæ Sacramento non percipiebant. Cornelius Romanus Pontifex, in epistol. ad Fabium, apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 43. dicit, quod suo tempore quadragintequatuor Presbyteri Romæ reperiebantur, & deinceps numerus etiam valde excrevit: unde dicendum est, vel quod illi omnes a sacrificio offerendo abstinebant, vel quod omnes, aut saltem multi, eodem die ac loco, sacra faciebant. Nemo autem credere potest, quod his omnibus Missis assistentes communicarent. Gregorius Magnus homil. de Natali Domini, memorat quod singuli Sacerdotes in illa die ter celebrarent; quis autem credat, ut inqualibet ipsarum Missarum populus communicaret? Tertullianus ait lib. de fuga in persecutione cap. 14. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem: non potes discurrere per singulos? Sit tibi, & in tribus Ecclesia.* Dionisius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 22. *Cum ab omnibus fugeremur atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies: quivis locus, in quo varias erumnas sigillatim portulimus, ager inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

Dicimus II. Missas privatas esse licitas.

I. probatur. Licitæ sunt Missæ, quas nemo ex Romanis Pontificibus, nullum ex Conciliis, nemo ex Patribus, improbavit; sed sic sunt Missæ privatæ: ergo sunt licitæ. Minor ex argumentorum solutione constabit; major autem a nemine sanæ mentis negari potest. Immo minor constat ex testimonio Gregorii Magni in epist. ad Palladium, Sanctonensem Episcopum, in qua refert, quod hic Episcopus in Ecclesia, quam construxerat, tredecim altaria collocaverat, in quibus utique Missæ plures celebrabantur; & nihilominus eum Gregorius non reprehendit; hæc sunt ejus verba. *Veniens Lator præsentium, insinuavit nobis, fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse.*

II. pro-

II. probatur. Ad essentiam sacrificii in genere non pertinet, ut populus de sacrificio participet; nec etiam pertinet ad essentiam sacrificii eucharistici: ergo stare potest licite sacrificium Eucharistiæ absque eo quod in eo populus communicet. Antecedens pro sacrificio in genere probatur ex cap. 6. & 7. Levitici, ubi sacrificia offerebantur pro peccato, & populo proderant, quanvis ex iis nihil degustaret. Patet etiam in sacrificio novæ legis, quia in eo exhibetur supremum dominium Dei in creaturas, recolitur Christi passio, & petuntur auxilia, quibus indiget Ecclesia, absque eo quod aliquis præter Sacerdotem communicet; sed hoc sufficit ad sacrificium eucharisticum, ut sit licitum: ergo &c.

III. probatur. Oblata fuerunt antiquitus sacrificia ex causis particularibus; nimirum pro impetranda terræ fœcunditate, pro liberandis domibus a dæmonum infestatione, & pro aliis necessitatibus, quæ sæpe in populo christiano occurrebant; at in his sacrificiis nullibi legitur, quod populus communicaverit, & tamen nemo illa improbavit: ergo licita fuerunt.

IV. probatur exemplis. Constantinus Imperator post susceptũ baptismum, Oratorium habuit in palatio, & altare portatile in castris, in quibus privatam Missam celebrari faciebat. Refert Eusebius lib. 4. vitæ Constantini cap. 45. Nazianzenus narrat, Patrem suum in cubiculo suo celebrasse, & sororem suam Gorgoniam domesticum altare habuisse. De S. Ambrosio refert Paulinus Presbyter in ejus vita. *Per idem tempus cum transtyberim apud quendam clarissimam invitaretur, ut sacrificium in domo ejus offerret, quædam halneatrix, quæ paralitica in lecto jacebat, sellula ad eamdem domum portari se fecit, & osculatis ibidem Sancti viri vestimentis sanata est.* Sanctus Paulinus, Episcopus Nolanus, testatur Uranius in ejus vita, quod ante lectulum suum parare sibi fecit Altare, & ibi sacrificium obtulit instante morte.

Arguunt 1. Exodi XX. Deus ad Moysen & Aaron loquens de Paschate celebrando, dixit: *Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum, per familias, & domos suas: sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.* Ex quibus verbis hoc efformant argumentum: „ Figura debet respondere veritati, qua nimirum accedente impletur; atqui in antiquo testamento cautum erat, ut agnus paschalis a multis comederetur: igitur ut figuræ conveniat veritas, Christus, qui vere est agnus, & Pascha nostrum, quoties mystice immolatur, participari debet a multis; adeoque illegitima est Missa privata. „ II. Christus Eucharistiam instituens, eam omnibus ministravit, & hoc ipsum in perpetuum faciendum esse præscripsit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quibus sic arguunt Adversarii „ In Eucharistiæ celebratione debet hoc necessario fieri, quod Christus fecit, & faciendum constituit; atqui Salvator Eucharistiam instituens panem fregit, deditque discipulis, ut manducarent, pariterque benedictum calicem porrexit, ut biberent; & hoc ipsum fieri in perpetuum commendavit, prout a tribus Evangelistis, & Beato Paulo diligenter notatum est: Ergo, inquit Lutherus, si hoc in Eucharistiæ celebratione non observetur, Christiana Missa non erit, nec cum institutione Christi & consecratione conveniet. „ III. 1. ad Corint. 11. Apostolus ait: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare: unusquisque enim cœnam suam præsumit ad manducandum*; ex quibus verbis hoc efficiunt argumentum: „ Apostolus eo loci dominicam cœnam opponit privatæ: asserit nempe, eum, qui privatim manducat, non celebrare dominicam cœnam: Ergo ex mente Beati Pauli irritum, & illegitimum sacrificium est, in quo nemo præter Sacerdotem communicat. „ IV. In omnibus tum Orientis, tum Occidentis Liturgiis Missa legitur, non unius, sed plurimorum nomine celebranda; quippe orationes omnes, quæ durante actione sacra funduntur, non unius, sed multorum nomine fiunt; qualia sunt: *Dominus vobiscum*

cum

cum .... Oremus .... Orate fratres .... sursum corda .... gratias agamus Domino Deo nostro .... supplices rogamus ac petimus .... hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ .... offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis ... ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui Corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur .... memento omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis .... quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus .... Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris .... repleti cibo potuque cœlesti &c. V. Si validum est sacrificium, in quo solus Sacerdos communicat, validum est quoque illud, in quo sacerdos non communicat; sed hoc est falsum: ergo & illud. VI. Chrysostomus improbat hujusmodi Missas privatas: ergo &c.

Respondemus ad I. Quod figura debet respondere veritati in aliquibus, sed non in omnibus; itaut debeant in veritate perfici ea omnia, quæ in figura præcesserunt. Si autem in omnibus figuræ veritas responderet, nullum inter figuram, & veritatem, discrimen intercederet, quod non est dicendum. Cæterum plurima sunt, quæ in figura servata sunt, & quæ in Eucharistia non servantur; & quæ nec quidem servari volunt Lutherani, & Calviniani: unde satis est, quod Christus, vel sacramentaliter, vel spiritualiter percipiatur a multis, & per hoc societas fidelium, toto orbe diffusa, spiritualiter communicat.

Ad II. dicitur, quod in actione illa, per quam Christus sacrificium Eucharistiæ instituit, duo distingui debent; unum quod pertinet ad substantiam actionis, alterum quod non pertinet. Quod pertinet, continetur in gratias agere, in benedicere, in consecrare, in offerre, in participare de oblatis Sacerdotem ipsum; & hæc omnia pertinent ad substantiam Sacrificii, & in perpetuum sunt observanda ad Christi imitationem. Non pertinent autem ad sacræ actionis substantiam, quæ sequuntur, & quæ narrantur ab Anonymo Authore Operis de re sacramentaria contra perduelles hæreticos tom. 1. lib. 5. quæst. 8. §. 2. & sunt: „ Certo tempore, & „ loco, privatim, aut publice, paucis „ aut multis præsentibus, solo Sacer„ dote, vel multis cum ipso commu„ nicantibus, Eucharistiam facere: ista, „ inquam, substantiam Sacramenti, & „ Sacrificii non attingunt, unde sive „ fiant, sive non, integrum nihilomi„ nus sacrificium, & suis numeris ab„ solutum consistet: in hoc itaque gra„ vis hæreticorum hallucinatio est, „ quod verba Christi ad summum ri„ gorem exigendo, sacrificium, nisi „ plures adsint, & communicent, fieri „ omnino non posse contendant: nam „ si deberet id omne necessario, & ad „ litteram observari, quod Christus fe„ cit legem sanciendo, consequens fo„ ret, non posse Eucharistiam celebra„ ri, nisi præmissa lotione pedum, nisi „ ad vesperam, nisi duodecim spectatoribus, nec pluribus, nec pauciori„ bus accersitis, nisi omnibus, qui præ„ sentes adsunt sub utraque specie „ communicantibus, nisi pane azymo „ ad sacram liturgiam usurpato &c. „ quæ ne ipsi quidem Lutherani & Cal„ vinistæ admittunt. „

Ad III. Idem Author Anonymus respondet, quod Apostolus opponit cœnæ privatæ dominicam cœnam, & hoc *nomine* intelligit convivium ab Eucharistia *diversum*; quod quidem convivium in *memoriam* cœnæ dominicæ primis temporibus celebrabatur: non vero intelligit Eucharistiam ipsam: adeoque subdit. „ Quam „ hic cœnam dominicam appellat A„ postolus, quamque, uti conqueritur, „ unusquisque præsumebat ad manducandum, non debemus, si vere vo„ lumus Scripturas interpretari, de Eu„ charistia ipsa accipere, sed de com„ muni quodam convivio, in quo pro„ miscue accumbentes pauperes ac di„ vites, sine discrimine reficiebantur, „ quodque beatis illis Ecclesiæ nascen„ tis exordiis ritu solemni celebrari so„ litum erat, tum ad cœnæ illius re„ præsentationem, quam Christus an„ tiquum phase adimplens, postremam „ cum discipulis habuit, antequam no„ vum Pascha in suo corpore, & san„ guine instituëret: tum ad foven„ dam charitatem fraternitatis, quo „ factum est, ut ejusmodi convivia „ græ-

„ græco vocabulo ἀγαπαι, ideſt, Cha-
„ ritates, appellarentur. De Sanctis
„ his epulis non infrequens apud anti-
„ quos mentio eſt: *Cœna noſtra*, inquit
„ Tertullianus in apologet. 39. *de no-*
„ *mine rationem ſuam oſtendit: vocatur*
„ ἀγαπη, *id quod dilectio, penes græcos*
„ *eſt: quantiſcunque ſumptibus conſtet,*
„ *lucrum eſt pietatis nomine facere ſum-*
„ *ptum: ſiquidem inopes quoſque refrige-*
„ *rio iſto juvamus . . . . ſi honeſta cauſa*
„ *eſt convivii, reliquum ordinem diſci-*
„ *plinæ æſtimate, quod ſit de Religionis*
„ *officio, nihil utilitatis, niſi modeſtiæ*
„ *admittit: non prius diſcumbitur, quam*
„ *oratio ad Deum præguſtetur: editur,*
„ *quantum eſurientes capiunt, bibitur*
„ *quantum pudicis eſt utile: ita ſaturan-*
„ *tur, ut qui meminerint, etiam per no-*
„ *ctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita*
„ *fabulantur, ut qui ſciant Dominum au-*
„ *dire . . . . æque oratio convivium dirи-*
„ *mit: inde diſceditur . . . . ad eamdem*
„ *curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui*
„ *non tam cœnam cœnaverint quam di-*
„ *ſciplinam*. „ Pariter Chryſoſtomus homil. 27. in 1. epiſt ad Corinth.: *Statis diebus menſas faciebant communes, & peracta ſynaxi, poſt ſacramentorum communionem omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus*.

Ad IV. Idem Author Anonymus reponit. „ Hoc argumento premi Hæreticos, non Catholicos: inde enim invicte probatur veritas Euchariſtici
„ Sacrificii, quod illi impiiſſime ſuſtulerunt; nec minus certo evincitur
„ exiſtentia externi, & viſibilis Sacerdotii, quod Eccleſiæ Catholicæ eripere, diabolica machinatione, moliti ſunt: adſtruitur pariter precum
„ Eccleſiæ, totiuſq; liturgici officii ſanctitas, quod auſu nefario, & inaudito præteritis ſeculis, abrogarunt; cœnam, ut vocant, non aliter in ſuis ſynagogis agendo: quam præmiſſa hiſtorica Euchariſtiæ inſtitutionis narratione: qua vero fronte per Deũ immortalem, audent contra nos jactare liturgias, quas omni data occaſione velut ſpurias, abominabiles, & idololatriæ plenas dilacerant? vel ergo, ſiquid ſapiunt, abſtineant ab hoc argumento: vel ſi volunt, uti res eſt, magnum pondus eſſe liturgiarum, earum auctoritati ad admittendum Sacrificium, & Sacerdotium, ex Chriſti in Euchariſtia per tranſubſtantiationem præſentis myſterium, cedant tandem, & acquieſcant: 2. Diſtinguo antecedens: ex liturgiis omnibus certum videtur, Miſſam non fuiſſe inſtitutam, niſi ut plures in ejus celebratione fierent divinorum myſteriorum participes, neceſſario ita ut aliter irritum, & malum ſacrificium eſſet futurum, nego: niſi ut plures communicarent. *Vulgo*, ſubſtinguo: *vel ſpiritualiter vel ſacramentaliter*, concedo: *Sacramentaliter tantum*, nego ant., & conſeq. „

Ad V. negatur paritas; & diſparitas eſt, quia in illo caſu nemo communicaret, nec etiam Sacerdos celebrans; ubi autem nemo communicat, nullum eſt ſacrificium; quia deficit conſumptio, quæ eſſentialis eſt ad Sacrificium.

Ad VI. dicitur, quod Chryſoſtomus loquitur de ſacrificio, quod non prodeſt illis, qui non communicant, adeoque pro illis fruſtra fit; quod quidem verum eſt: non quidem ratione ſacrificii impotentis prodeſſe, ſed ratione ſumentium, qui ad illud participandum accedere nolunt.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCXLIV.

De Missa Parochiali. Quid de ea Jus vetus statuerit? Quid Jus novum? Quid Romanorum Pontificum Privilegia?

MIssæ Parochialis debitum vel possumus intelligere ex parte Celebrantium, vel ex parte Audientium. At ex parte Celebrantium nulla occurrit quæstio, præter illas, quas in superioribus dirimere conati sumus. Tota igitur difficultas se tenet ex parte Audientium; & in eo consistit; an fidelibus debitum sit impositum audiendi missam Parochialem diebus festis ex jure antiquo? Quid autem de jure novo? Et quid contineant privilegia, quæ a Romanis Pontificibus concessa sunt?

Dicimus I. A jure canonico antiquo fuisse impositum debitum fidelibus audiendi Missam parochialem diebus festis.

I. probatur Conclusio. Si ex legibus ecclesiasticis fideles tenebantur antiquitus diebus festis Missæ parochiali interesse, tunc jus antiquum canonicum eos obligasset ad illam; sed sic vere fuit: ergo &c. Minor probatur; quia per quindecim priora secula multæ leges ecclesiasticæ leguntur, quæ fidelibus injungebant, ut præsentes se sisterent Missæ parochiali dominicis & festis diebus.

II. probatur. Si fideles diebus dominicis & festis præsentes non erant Missæ parochiali in propria parochia, aderant saltem in Ecclesiis Regularium; sed primis Ecclesiæ seculis nulla templa Regularium Laicis patebant: ergo fideles tenebantur ad Missam parochialem audiendam in propria parochia. Minorem certam habet Jueninus in dissertatione 5. quæstione 7. §. 1. his verbis: „ Privata „ nimirum erunt Oratoria, e quibus „ plerumque exibant festivis diebus, „ ut cum populo in cathedralibus Ec„ clesiis adessent tremendo sacrificio, „ & Eucharistiam e manibus Episcopo„ rum reciperent; aut si tunc privatim „ offerebant, cavebant in primis, ne „ ad suas missas populum fidelem ad„ mitterent. *Missas publicas* (inquiebat „ labente sexto seculo Gregorius Ma„ gnus ad Castorium, Episcopum Ari„ minensem, scribens) *in cœnobiis fieri „ omnino prohibemus, ne in Dei servo„ rum recessibus, & eorum receptaculis „ ulla populorum præbeatur occasio con„ ventus.* „

III. probatur. Diebus dominicis, & festis non poterant antiquitus ab alieno Parocho in parochia non sua missas celebrante, Parochiani non sui missas audire: ergo tenebantur fideles eas a proprio Parocho audire. Antecedens patet ex Concilio Nannetense, habito anno 895. Can. 1. in quo legitur: *Ut dominicis, & festis diebus Presbyteri, antequam missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in missa sit, qui proprio contempto Presbytero ibi missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant.*

IV. probatur. Et quidem de Missa Parochiali nos fuse egimus in Dissertationibus nostris ecclesiasticis, quas habuimus Romæ in Academia Conciliorum Collegii Urbani de propaganda fide tomo 2. dissert. 8.; ibi autem attulimus capitularia Erardi, Archiepiscopi Turonensis, canone 29.

in

Digitized by Google

in quo habetur; *ut nullus Presbyter alterius Paræcianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum sibi habuerit, absque licentia sui Presbyteri, ad missam recipiat, vel sollicitare præsumat.* Et in Capitularibus Caroli Magni lib. 5. can. 50. *Nullus Presbyter in alterius Parochia missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit, nec decimam, ad alterum pertinentem, recipere præsumat.* Additur Concilium Papiense, celebratum anno 855., ubi habetur: *& dum soli afflicti, & pauperes veniunt, quid aliud, quam ut mala patienter ferant illis prædicandum est? Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere soliti sunt, venire non renuerent, admoneri utique possent.*

Pro altera vero Dissertationis parte, monemus, quod duæ fuerant antiquitus quæstiones, quas Parochi habuerant circa missas parochiales, & quas Parochiani ipsorum audire tenebantur; & prima quidem fuit inter Parochos, & Parochos; altera vero inter Parochos, & Regulares. At illa inter Parochos circa seculum decimum quartum terminata est; unde citatus Jueninus scripsit. „ A Concilii Nannatensis temporibus ad seculum usque decimum quartum dubitavit nemo, quin fideles ecclesiastici legibus ad missam parochialem diebus festis audiendam tenerentur.„. Veniens autem hic idem Theologus ad jus novum canonicũ, quod incipere facit a Concilio Tridentino, & a Synodis provincialibus, quæ post ipsum habitæ sunt, & a Romanis Pontificibus confirmatæ, asserit, & concludit, quod jure novo diebus festis ac dominicis, fideles teneantur se ipsos sistere præsentes missæ parochiali. Nos autem in citatis nostris Dissertationibus contrarium asseruimus; quod hic quoque confirmamus. Proinde.

Dicimus II. Dubium esse, an ex jure novo teneantur fideles dominicis, & festis diebus missæ parochiali præsentes esse.

I. Probatur ex Concilio Tridentino, quod sane duobus in locis missæ parochialis meminit; nimirum in sessione 22. & in decreto *de observandis, & evitandis in celebratione missæ*; hæc dicens, Ordinariis locorum injungit: *moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, & majoribus festis, accedant.* Et in sessione 24. *de reformatione* capit. 4. Episcopis præcipit. *Moneatq. Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.* Dubium autem, quod in Conclusione asseruimus, in eo stat, quod utriusque partis defensores Concilii Tridentini decreta explicant, & in favorem suæ sententiæ exponunt. Aliqui enim dicunt: Quod per verbum *moneant* non inducatur præceptum; & alii volunt, quod per verbum *teneri* præceptum importetur. Quapropter sacra Congregatio Concilii declaravit, non posse Episcopum pœnis compellere populum, ut ad missam parochialem conveniat; & hæc sunt decreti verba. *Ordinarius non potest per hoc Concilium mulctis, & pœnis, etiam in causa notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, cogere populum ad audiendam missam, & sacram concionem, in Ecclesia Parochiali.*

II. Probatur. Alexander VII. Romanus Pontifex, anno 1659. damnavit hanc propositionem: *nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad missam, nec ad audiendum verbum Dei.* Et censuram suam hoc pacto explicavit. *Illa propositio quoad primam, & secundam partem accepta, est erronea, & temeraria, & quoad tertiam, servetur dispositio Concilii Tridentini. Suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram.*

Quia ergo in hoc Alexandri VII. decreto fit mentio privilegiorum apostolicorum, de quibus nos etiam in Dissertationibus nostris prædictis loquuti fuimus; propterea.

Dicimus III. Romanorum Pontificum Privilegia, Regularibus concessa, eximere Parochianos a præsentia dominicis & festis diebus parochiali missæ in Ecclesiis suarum Paræciarum.

I. Probatur Conclusio. Circa seculum XIV. Regulares Mendicantes apparuerunt in Ecclesia, & prætendebant, quod quanvis in Oratoriis Monachorum assistere non potuerint fideles missæ parochiali, poterant nihilominus in suis Ecclesiis, quia ipsi pri-

si privilegia habebant, quæ Monachis non fuerint indulta. Et hoc verũ est, quia Monachi vitæ tantum contemplativæ addicti erant, ipsi vero etiam activæ. Ipsorum prætentionibus Parochi se opposuerant, & anno 1357. coram Innocentio VI. litem intentarunt. Attamen quia Richardus, Archiepiscopus Armacanus, Parochorum jura sustinebat, & mortuus est; hinc fuit, quod sententia definitiva non extitit tempore illo promulgata. Tandem circa finem seculi XV. lis coram Innocentio VI. jam cæpta, sub Sixto IV. terminata est. Sixtus igitur, quamvis fuerit ex Ordine Regularium, & Mendicantium; Constitutionem tamen fecit, quæ incipit, *Vices illius*; & in favorem Parochorum sic definisse videtur. *Fratres Mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire missam in eorum Parochiis diebus festis, & dominicis: cum jure sit cautum illis diebus parochianos teneri audire missam in eorum parochiali Ecclesia; nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.* Et in fine subdit; *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac privilegiis iisdem Fratribus in genere, vel in specie concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.* Quæ posteriora verba respiciebant privilegia Ecclesiis Regularium Mendicantium concessa a Romanis Pontificibus Benedicto XI. Bonifacio VIII. Gregorio IX. & Clemente V. quæ Regulares in suæ causæ defensionem adducebant. Verum Constitutione Sixti IV. impositus non est finis; quia quum in constitutione legerentur hæc verba: *nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent*; hæc eadem verba diversimode a partibus intelligebantur. Proinde Leo X. anno 1517. Constit. edidit, quæ incipit, *Intelleximus*, in Regularium favorem, in qua sic habet: *Auctoritate Apostolica notum facimus, omnes Christi fideles utriusq. sexus, qui non contempto proprio Sacerdote parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium dominicis & festis diebus missam audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec aliquam labem peccati incurrere.*

II. Probatur. S. Pius V. anno 1567. in sua Constitutione, quæ incipit; *Etsi mendicantium*, in Regularium pariter favorem definivit: *Christi fideles, audiendo missas in Ecclesia Fratrum hujusmodi diebus dominicis & festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfeciße censeantur.* Insuper Clemens VIII. anno 1592 per literas in forma brevis, quæ incipiunt: *Significatum fuit nobis*; & Urbanus VIII. anno 1625. in Constitutione, quæ incipit: *Ex plenitudine potestatis*; in Regularium pariter favorem quæstionem omnimode deciderunt.

Arguunt Lex Juenino in Commentario historico dogmatico de Eucharistiæ Sacrificio dissert. 5. quæst. 7. cap. 2. articul. 2. §. 3. Constitutio Leonis X. non loquitur de missa parochiali, quamvis de aliis missis mentionem faciat; ergo non est intelligenda eo modo, quo nos eam intelligimus. II. Constitutio Pii V. per Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit: *In tanto rerum, & negotiorum mole*; fuit revocata. Multæ sunt synodi, in quibus, præcipue in Galliis, contrarium definitur conclusioni nostræ; & præsertim Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus, quæ habita fuerunt Parisiis anno 1695., & quibus interfuerunt quamplures Episcopi, & declararunt. *Fideles festis diebus ac dominicis, aut saltem ex tribus dominicis altera, jure tenentur sistere se præsentes parochiali missæ; Ad ejus vero legis observationem, adhibitis etiam Ecclesiæ censuris, ab Episcopis compelli possunt. Nusquam Tridentina Synodus populum fidelem exemit a frequentandæ parochiæ debito, sive ut adsit parochiali missæ, sive ut in ea Dei verbum audiat; sed potius Episcopos adhortata est, ut creditos populos debitum illud doceant, ac moneat.* IV. Plures adducuntur ab eodem Juenino Archiepiscopi & Episcopi Galliarum, qui in Mandatis suis contrarium Conclusionis nostræ declararunt.

Respondemus ad I. non teneri fideles audire duas missas diebus dominicis & festis, sed unam tantum; si igitur ex bulla Leonis fideles, qui audiunt missam in Ecclesiis Regularium, præcepto satisfaciunt, non est ratio, qua teneantur aliam missam audire in propria parœcia; quod nos pariter fuse in præfatis dissertationibus nostris exposuimus.

Ad

Ad II. Dicitur, quod quanvis admittatur, Constitutionem Pii V. fuisse moderatam per Constitutionem Gregorii XIII.; attamen fuit renovata per alias declarationes Clementis VIII. & Urbani VIII.; ut dictum est.

Ad III. nullius sunt roboris synodi diocæsanæ, & provinciales, in illis, quæ sunt contraria Constitutionibus Apostolicis, quæ locum habent in tota Ecclesia, & in toto orbe Christiano & Catholico.

Ad IV. eadem est responsio.

DISSERTATIO CCCCXLV.

De Missæ stipendio. An Sit licitum? An sit antiquum? In qua quantitate esse debat?

Missæ stipendium, seu honorarium, est quædam voluntaria oblatio, quæ fit a fidelibus ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem. Ejus origo petitur ab oblationibus, quæ olim fieri consueverant ad sacrificii celebrationem in pane & vino: Ait enim Author Anonymus *operis de re sacramentaria* contra perduelles Hereticos in appendice, libro V. „ Nam primis temporibus „ Christianorum mos fuit, ut qui ad „ missarum solemnitatem conveniebant, de suis quisque ad sacrificium „ facultatibus contribuerint. Cumque „ non posset totum quod offerebatur, „ ad Eucharistiæ consecrationem impendi (tantum enim panis & vini „ mystica benedictione transmutabatur, quantum ad Sacerdotis, ministrorum, & adstantis populi communionem, sufficeret:) quod reliquum „ erat, ad alendos ministros, & pauperes reservabatur. „ Qua ratione autem abolita sit antiqua consuetudo offerendi ad altare panem & vinum, & in ejus locum fuerit introducta oblatio pecuniæ ante vel post sacrificium? Idem Auctor Anonymus præfato loco respondet: „ Non alteri „ causæ mutationem hanc abscribendam, quam rariori communioni fidelium: primis enim temporibus, ut „ prædiximus, numquam sacrificium „ offerebatur, quin multi simul adstarent, & sacramentaliter communicarent. *Sciendum est*, inquit Micro- „ locus de ecclesiasticis observationibus, cap. 51. *Juxta antiquos Patres*, „ *quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverant: unde & ante oblationem jubebantur exire catechumeni, & pœnitentes, videlicet qui nondum paraverant se ad communicandum: hoc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione, & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post communionem, in qua pro solis communicantibus orare videtur* „ Post, quæ pergit idem Author Anonymus: „ Cum itaque beata „ illa ætate omnes, qui ad Synaxim „ conveniebant, vellent mysteriorum „ sacramentaliter esse participes: suas „ singuli oblationes ad altare conferebant, quæ etiam sacrificia dicebantur: extat de hac re *Sancti Cypriani* præclarissimum testimonium „ lib. de operibus & eleemosyna, ubi „ divitem Matronam redarguit, quod „ ad Liturgiam faciendam de suo nihil „ afferret. *Locuples es*, inquit, *dives es*, „ *& Dominicum celebrare te credis, quæ „ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ „ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Quia & nonnullæ etiam- „ num extant in Missali orationes, in „ quibus antiqui moris vestigium, &

„ certissima testificatio est: qualis est, „ præter cæteras, oratio secreta Dominicæ quintæ post Pentecosten, his „ verbis concepta: *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem, singulis proficiat ad salutem.* Cum vero, ut prædiximus, non omnis, quæ offerebatur quantitatis panis & vini ad sacrificium esset necessaria, quicquid residuum erat, ad ministrorum & pauperum alimoniam reponebatur; hocque tunc temporis erat loco illius, quod modo missarum stipendium, & Sacerdotum honorarium, appellamus.„

Dicimus I. Missæ stipendiũ esse licitum.

I. Probatur ex Scripturis. Lucæ 10. *dignus enim est operarius mercede sua.* Et I. Corinth. 9. *Nescitis, quoniam qui sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant.*

II. Probatur ex Pontificibus Romanis, & ex Sacris Congregationibus pariter Romanis. Pontifices enim Romani abusum hujus stipendii prohibentes, stipendium ipsum approbant, non reprobant, Urbanus VIII. anno 1625. die 21. Julii proscripsit hanc quorundam Sacerdotum praxim, qui dicebant: *qui missam susceperunt celebrandam cum certa eleemosyna, eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam, committere possunt.* Alexander VII. 1665. damnavit has tres propositiones. *I. duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa rite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* 2. propositio, *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* 3. propositio, *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, dauti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Paulus V. approbavit Congregationis Concilii decretum, quo proscripti sunt nonnulli Sacerdotes, qui anticipatam stipendii persolutionem exigebant, eamque sententiam damnavit *tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more niminm abhorrentem.* Denique Alexander VII. anno 1665. die 24. septembris damnavit hanc propositionem. *Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendia accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, dauti stipendium quod pro nullo alio offeram.* Quæ fuit confirmatio decreti Sacræ Congregationis Concilii editi anno 1695 die 21 Junii, hujus tenoris. „ Ubi pro pluribus missis, etiam ejusdem qualitatis „ celebrandis stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab „ una, sive a pluribus personis, collata fuerunt, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus, quam regularibus, sacra congregatio sub obstentatione divini judicii mandat, ac „ præcipit, ut absolute tot missę celebrentur, quot ad rationem attributæ „ eleemosinæ præscriptæ fuerint: ita „ ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ „ obligationi non satisfaciant, quin „ imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur: id vero ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat „ privilegia & indulta omnia quibusvis „ personis ecclesiasticis, ac locis piis, „ tam secularibus, quam regularibus, „ cujuscumque ordinis, congregationis, & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut „ certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus „ collectis, seu orationibus, plurium „ missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.„

Dicimus II. Missæ stipendium esse antiquum.

I. Probatur. In lege veteri divinitus erat cautum, ut Sacerdotes & Levitæ reciperent ad proprios usus victimarum partem: insuper recipiebant primitias frumenti, vini, & olei, ut legitur in Deuteronomio cap. 18. ad mi-

Digitized by Google

ministrorum alimoniam. Quas quidem leges respexit Apostolus, quando 1. ad Corinthios 9. scripsit: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

II. probatur. Concilia, & Patres, detestantur abusum stipendii missarum, non vero rectum usum: ergo stipendii antiquitatem supponunt, & non damnant. Antecedens probatur ex Concil. Rhedano, habito seculo XIV. cap. 6., ubi legitur: *Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus effodit mentem nostram, intelligentes quod aliqui Presbyteri, detestanda, & abominabili ambitione excæcati, pro missis per eos celebrandis pecuniam exigunt; & super hoc, quasi vellent vendere rem prophanam, impudenter mercantur . . . verum cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum, sit liberaliter, sicut cætera sacramenta, celebrandum, districtius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate accipiat, si aliquid per facientem missas celebrari oblatū sibi charitative fuerit, absque pacto & conventione quacumque. Qui vero in contrarium fecerit, a celebratione missæ per annum noverit se suspensum, & alias pro tam gravi excessu, ad arbitrium, proprii Episcopi puniendum.*

Opponunt I. Ex stipendio missæ oritur obligatio ex justitia; obligatio ex justitia supponit pactionem & conventionem? sed in rebus sacris, qualis est missa, pactio & conventio redolent simoniam, in qua datur temporale pro spirituali: ergo stipendium non est licitum. Antecedens est clarum ex Concilio Tridentino sessione 22. in decreto de observandis &c. in quo legitur: *In primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusve generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro missis novis celebrandis datur: Nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi questu, non longe absunt, omnino prohibeant.* II. pro Ordinibus recipiendis non potest dari pecunia, nec etiam ut stipendium: ergo nec pariter potest dari pro Sacrificio missæ. III. Sacrificium missæ est infiniti valoris: ergo pro eo plura stipendia recipi possunt. IV. In Sacrificio missæ est fructus specialis pro Sacerdote celebrante: ergo pro hoc saltem potest aliud stipendium recipi.

Respondemus ad I. cum Tournely: „ Re ipsa quamdam hic intervenire „ speciem conventionis & pacti inter „ dantem stipendia, & Sacerdotem; „ namque ille dat, ut hic faciat; hic vero facit, quia recipit, vel recepturus „ est stipendium: pactum vero illud „ non nisi ex pravo motivo ac fine vitiari potest, nempe si Sacerdos stipendium spectaret tanquam motivum, vel finem præcipuum, aut tanquam pretium sacrificii, vel fructus „ ejus, haud dubie impium foret pactum illud. At non ita est: stipendium quippe non datur tanquam pretium operis, sed tanquam sustentatio „ operantis; *non tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis*, ait S. Thomas 2.2. qu. 100. art. 2. „ in corp. Tenetur autem Sacerdos ratione stipendii specialiter offerre & „ applicare sacrificium ei, qui stipendium dedit. „

Ad II. negatur paritas; & disparitas est, quia Ecclesia ideo permisit ut stipendium pro celebratione missæ recipiatur, quia ipsum datur per modum eleemosynæ, honorarii, ac sustentationis; & aliunde Ecclesia sustentationi Sacerdotum providere tenetur: at nihil hujusmodi pro Ordinum collatione permisit: præterquamquod aliunde eadem Ecclesia providit sustentioni Episcoporum, qui soli sacros ordines conferunt.

Ad III. sic respondet Author Anonymus sæpius citatus: „ Concesso antecedente, nego consequentiam; imo „ vero quia valoris infiniti est sacrificium, ideo liberali animo offerendum, omnique cura cavendum, ne „ mercenario ac sordido modo tractetur. Sed qui putant pro pluribus „ stipendiis posse unico sacrificio satisfacere, non jam illi operam suam & ministerium locant, sed sanguinis „ Christi fructum, meritumque divendunt: quasi nimirum pecunia æstimari posset gratia Dei, seu verius Christus ipse, in cujus comparatione om-

„ ne

„ ne aurum, quid aliud, si quid est, nisi
„ arena exigua est? quasi liceret tre-
„ mendum ministerium, ad explendam
„ avaritiam, exercere, de quo dictum
„ a Christo: *gratis accepistis, gratis da-*
„ *te*: quasi non esset, quæ fit a fideli-
„ bus oblatio voluntaria, sed coacta:
„ quasi denique liceret Sacerdotibus
„ in tam gravi negotio fidem frange-
„ re, quam ne in minimis quidem pa-
„ ctionibus impune violare, etiam Lai-
„ cis, lege civili permittitur. „

Ad IV. dicitur, quod fructus specialis Sacerdoti tributus est beneficium personale, quod non potest alteri communicari; non enim ab homine, sed a Deo derivatur gratia in hominem, qui quidem Deus est totius gratiæ fons. Unde idem Author Anonymus subdit: „ Sacerdoti non li-
„ cet, ita salutis suæ & spiritualis pro-
„ fectus esse negligentem, ut propter
„ vilissimi pretii comparationem, aug-
„ mento gratiæ, remissioni pœnæ,
„ novis gratiæ auxiliis, quæ posset per
„ sacrificium impetrare, tanta facili-
„ tate renuntiet: hinc Sacra Congrega-
„ tio Cardinalium Concilii Tridenti-
„ ni Interpretum, opinionem hanc,
„ maturo præmisso examine, proscri-
„ psit, declarando: *Nulli Sacerdoti li-*
„ *citum esse, præfata ratione sive præte-*
„ *xtu, aliam eleemosynam accipere, præ-*
„ *ter illam, quam accepit ab eo, pro quo*
„ *missam offerre tenetur: ac proinde ca-*
„ *sum hunc esse comprehensum in decre-*
„ *tis, alias per eandem Sacram Congre-*
„ *gationem Concilii editis, quibus prohi-*
„ *betur, ne duplex stipendium pro unica*
„ *missa recipiatur*. „

Ad III. tandem Dissertationis partem, quæ respicit quantitatē stipendii præfatus; refert Jueninus multa decreta, tum Summorum Pontificum, tum Sacrarum Congregationum, quæ stipendii quantitatem respiciunt; ad quem Legentes remittimus. Et pro generali lege amplectimur, quam statuit Author Anonymus, sæpius laudatus, respondens ad quæsitum:
„ Utrum Sacerdos, qui missam cele-
„ brandam cum certa eleemosyna su-
„ scepit, possit eandem alteri cele-
„ brandam committere, parte elee-
„ mosynæ sibi retenta; modo tamen
„ illi justum, & consuetum honorarium
„ persolvat? Respondet negative: elee-
„ mosyna enim tota quanta est, ad mis-
„ sam celebrandam collata fuit: illi
„ ergo prorsus indebita est, qui non
„ celebrat: adeoque si partem ejus
„ aliquam sibi arroget, non solum tur-
„ pis lucri, sed & furti notam incurrit,
„ & ad restituendum tenetur: ita res-
„ ponsum fuit a Sacra Congregat. Car-
„ dinalium Concilii Tridentini Inter-
„ pretum, Ecclesiæ clavum tenente
„ *Urbano VIII. Pontifice Maximo: omne*
„ *damnabile lucrum ab Ecclesia remo-*
„ *vere volens, prohibet Sacerdoti,*
„ *qui missam suscepit celebrandam cum*
„ *certa eleemosyna, ne eandem missam*
„ *alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi*
„ *retenta, celebrandam committat: cum-*
„ *que ad omnem evellendum scrupulum*
„ *ab eadem Sacra Congregatione, non*
„ *multo post quæsitum esset, an Sacerdo-*
„ *tes, quibus aliquando offertur eleemo-*
„ *syna major solita pro celebratione mis-*
„ *sæ, debeant dare eamdem integram*
„ *eleemosynam iis, quibus missas cele-*
„ *brandas committunt? an vero satis sit,*
„ *ut dent celebrantibus eleemosynam con-*
„ *suetam?* Sacra Congregatio respon-
„ dit; *debere absolute integram eleemo-*
„ *synam tribuere Sacerdoti celebranti,*
„ *nec ullam illius partem sibi retinere*
„ *posse*. „

Denique hanc aliam legem præfixit Jueninus articulo 5., ubi quærens, quænam pecuniæ quantitas ad justum stipendium requiratur? Respondet,
„ Stipendii mensuram determinari non
„ posse, per respectum ad effectum aut
„ valorem sacrificii; cum enim omni-
„ no spirituales sint, pretio æstimari
„ nec possunt, nec debent. Dicendum
„ est ergo, mensuram, de qua agitur,
„ peti debere, vel ex lege ecclesiasti-
„ ca, vel ex rationabili consuetudine
„ loci, ubi missa celebratur. Sed mo-
„ nitum velim Lectorem, rationi con-
„ sonam non esse consuetudinem, quæ
„ illud stipendium definit ex summa,
„ quæ satis sit Sacerdotis in unam diem
„ sustentationi. Ratio est; quia stipen-
„ dia non conferuntur ad integram
„ Presbyteri sustentationem, sed ad il-
„ lius adminiculum: nec mirum; quip-
„ pe quod seculares Sacerdotes fruan-
„ tur aut titulis patrimonialibus, aut
„ beneficiis, quæ teneant eorum locum;
„ vetant nempe canones ne seculares
„ ordinentur, quin suffulti ad vitam
„ titulo; mendicantes vero, a populo
„ fideli supponuntur recipere eleemo-

sy-

Digitized by Google

„ synas, quibus vescantur, nec enim „ ad monasterium admitti debent plures, quam consuetæ eleemosynæ sustentare valeant: unde a fortiori concluditur, veritate non niti eorum „ opinionem, qui stipendii mensuram „ definiunt non solum ex sustentatione „ Sacerdoti necessaria, sed etiam ex „ iis, quæ ad vestitum, vitæ humanæ „ subsidia, quæ sunt imperceptibilia, „ imo ad debitorum solutionem requiruntur. „

DISSERTATIO CCCCXLVI.

De valore & fructu Missæ. An valor Missæ sit infinitus? Fructus Missæ quotupliciter dividatur? An Missa possit offerri pro pluribus?

Consulto in Dissertationis titulo distingui diximus valorem sacrificii missæ ab ejus fructu; siquidem valor importat moralem dignitatem, quâ habet missa, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ: nomine vero fructus intelligitur id, quod de facto conceditur, & datur illius dignitatis intuitu. Insuper valor sacrificii missæ considerari potest vel quoad substantiam & sufficientiam ex parte rei oblatæ ac principalis offerentis Christi: vel quoad efficaciam seu modum, quo nobis applicatur fructus sacrificii Crucis per incruentum missæ sacrificium. Denique valor sacrificii missæ attendi potest & intensive, & extensive: intensive attenditur secundum meritum & pretium illius sacrificii in se considerati: extensive vero colligitur ex numero subjectorum, quibus applicatur.

Circa valorem missæ tres sunt opiniones, quarum prima tuetur, hoc sacrificium esse infiniti valoris quantum ad vim impetrandi syncatecorematice, scilicet penes subjecta, quibus applicari potest, & prodesse: & hujus opinionis sunt Cajetanus, Vasquez, & non pauci recentiores, præsertim Thomistæ. Secunda opinio hoc ipsum negat, & pro ea citantur Richardus, Durandus, Scotus, Suarez, Toletus &c. Tertia tandem opinio sustinet virtutem impetratricem hujus sacrificii esse infinitam extensive: ita ut, ait Frassen. „ possit pro pluribus, „ & pluribus offerri, absque singulorum præjudicio: secus autem de virtute satisfactoria, quam fatentur esse limitatam, & determinatam, ita ut pluribus non possit prodesse sine „ sui diminutione & divisione: „ & hujus opinionis est Aversa, cum aliis quibusdam, quos ipse citat.

Denique fructus missæ triplex dicitur: nempe generalis, specialis, & specialissimus: & sic a citato Frassen explicantur; „ Generalis est ille, quem „ Ecclesia intendit applicari omnibus „ omnino fidelibus, tum vivis, tum „ defunctis: vivis quidem, seu præsentibus, seu absentibus, quorum quisque majorem aut minorem fructus „ portionem recipit, juxta Christi determinationem, intentionem Ecclesiæ, & propriam uniuscujusque cooperationem ad sacrificium. Quanta „ autem portio unicuique contingat, „ Deus scit: certum tamen est, unumquemque plus gratiæ recipere, qui „ plures habet titulos ad majorem „ portionem habendam, ut si V. G. „ non tantum intersit, sed & inserviat „ sacro &c. Specialis vero fructus est „ ille, qui obvenit iis, pro quibus Sacerdos specialiter offert sacrificium, „ juxta praxim Ecclesiæ, modo pro

„ una

„ una, modo pro alia persona, offeren-
„ tis sacrificium missæ. Specialissimus
„ denique valor & effectus est ille, qui
„ obvenit Sacerdoti; & ita illi proprius
„ est, ut juxta multorum sententiam
„ aliis ab offerente Sacerdote applica-
„ ri non possit. „ Hujus divisionis in-
ventionem idem Frassen. tribuit Sco-
to, & ejus verba refert; quæ hæc sunt:
„ Potest meritum, vel specialiter ora-
„ tio, in triplici gradu intelligi valere
„ alicui, sive pro aliquo. Uno modo
„ *specialissime*, & sic semper valet oran-
„ ti, quando est in gratia; ipse enim
„ habet motum animi bonum, & elicit
„ opus bonum. Iste malus, & illud opus;
„ nam sic sunt alterius, pro quo orat,
„ sicut orantis: nec potest iste, ordina-
„ ta voluntate, sic illud alteri dare,
„ quod non sit suum meritum; quia
„ magis tenetur ex charitate diligere
„ seipsum, quam alium: imo forte non
„ posset dare alteri sic, quin istud esset
„ peccatum. Alio modo *generalissime*,
„ & sic valet toti Ecclesiæ: nec enim
„ debet orans aliquem de Ecclesia ex-
„ cludere; sed ex intentione habituali
„ omnes includere. Tertio modo sci-
„ licet modo medio, valet illi, cui per
„ orantem specialiter applicatur. Pro-
„ batur: non valet ei specialissime; pa-
„ tet ex primo membro. Sed nec præ-
„ cise valet sibi generalissime, sicut
„ cuicumque: tunc enim frustra in Ec-
„ clesia essent speciales orationes assi-
„ gnatæ, aliæ pro vivis, aliæ autem
„ pro mortuis: & iterum pro vivis aliis,
„ & aliis, puta benefactoribus, amicis,
„ & aliis: ut patet in orationibus Mis-
„ salis Romani pro diversis assignatis
„ personis, & statibus, & Congregatio-
„ nibus. Frustra, inquam, essent istæ
„ specialiter assignatæ: quia non plus
„ valerent illis, quam generaliter cui-
„ cumque in Ecclesia. „

Bellarminus circa quæstionem, an va-
lor sacrificii missæ sit finitus, vel in-
finitus? libro 6. de missa cap. 4., hæc
scribit: „ Quarta propositio: *Valor*
„ *sacrificii missæ finitus est.* Hæc est com-
„ munis sententia Theologorum, &
„ probatur apertissime ex usu Ecclesiæ.
„ Nam si missæ valor infinitus esset,
„ frustra multæ missæ, præsertim ad
„ rem eandem impetrandam, offerren-
„ tur. Si enim una infiniti valoris est,
„ certe ad omnia impetranda sufficiet;
„ quorsum igitur aliæ? Et confirmatur
„ ex sacrificio Crucis, quod non alia
„ de causa unum tantum fuit, neque
„ unquam repetitur, nisi quia illud
„ unum infiniti valoris fuit, & pretium
„ acquisivit pro omnibus peccatis præ-
„ teritis, & futuris remittendis. Sed li-
„ cet res ipsa certa sit, causa tamen
„ non est adeo certa: mirum enim vi-
„ detur, cur valor sacrificii hujus sit
„ finitus, cum idem sit hoc sacrificium
„ cum sacrificio crucis; & cum ipsa ho-
„ stia, & offerens Christus, infinito mo-
„ do sint Deo grata. Videntur mihi
„ salvo meliore judicio, tres esse cau-
„ sæ hujus rei. Prima sumitur ex parte
„ hostiæ, quæ offertur. Nam in sacri-
„ ficio crucis destruebatur ad honorem
„ Dei, ipsum esse naturale Christi in
„ forma humana; in sacrificio missæ
„ destruitur tantum esse sacramentale:
„ nobilius autem est, & magis pretio-
„ sum, esse Christi naturale, quam sa-
„ cramentale. Cæterum hæc ratio so-
„ lum demonstrat majoris valoris fuis-
„ se sacrificium crucis, quam sacrifi-
„ cium missæ, sed non reddit causam,
„ cur hoc sit finitum, & illud fuerit in-
„ finitum. Non enim est infinita distan-
„ tia inter esse Christi naturale, & sa-
„ cramentale: neque infiniti valoris
„ fuit sacrificium crucis, quia in eo
„ destruebatur esse naturale humani-
„ tatis Christi; sed quia eam destructio-
„ nem sponte patiebatur, & in sacrifi-
„ cium offerebat filius Dei, qui vere
„ est infinite Deo gratus, cum & ipse
„ sit verus Deus. „

Dicimus I. Valorem missæ, si conside-
retur quoad substantiam, & sufficien-
tiam ex parte rei oblatæ & ex parte
Christi principalis offerentis, esse in-
finitum: si vero consideretur quoad
efficaciam, & modum applicationis,
esse finitum ac limitatum.

I. Conclusionis pars probatur I. Sacrifi-
cium missæ quoad valorem idem est
cum sacrificio crucis; sed valor sacri-
ficii crucis quoad substantiam & suf-
ficientiam fuit infinitus: ergo pariter
valor sacrificii missæ sub hac ratione
est infinitus. Probatur minor. Sacri-
ficium crucis continebat infinitam
dignitatem hostiæ oblatæ, & perso-
næ offerentis: ergo ejus valor sub hac
ratione fuit infinitus.

II. probatur. Sacrificium missæ differt
a sacrificio crucis in sola ratione of-
ferendi; sed hoc non officit quanti-

tati

tati valoris utriusque: ergo quanvis sacrificium missæ in modo offerendi differat a sacrificio crucis, in valore tamen non differt.

II. Conclusionis pars probatur I. Usus & praxis Ecclesiæ est, ut iteretur sacrificium missæ pro eadem re impetranda: ergo mens Ecclesiæ est, quod valor sacrificii missæ quoad efficaciam & applicationem considereretur pro natura hominis finiti ac limitati, non vero pro valore Christi, qui pretium non habet.

II. probatur. Romani Pontifices prohibuerunt, ne Sacerdotes, qui plura accipiunt honoraria seu stipendia, ad totidem missas celebrandas, sub prætextu, quod infinita sit virtus sacrificii, præsumant per unum sacrificium suo debito satisfacere; & declarant eum, qui id præsumpserit, peccare contra justitiam, & ad restitutionem teneri. Ad quæ addit Tournely: „ Porro, „ si infinitus foret sacrificii valor, quantum ad efficaciam, effectum, & modum applicandi nobis merita Christi, „ unum sufficeret semel oblatum missæ „ sacrificium, sicut ad expianda omnia nostra delicta, & satisfaciendum „ pro illis, unicum crucis sacrificium „ semel oblatum sufficientissimum fuit. „ Si vero causam & rationem quæseris, cur ita sit, maxime cum dignitas hostiæ & offerentis Christi suprema sit & infinita? Resp. non aliam hic quærendam esse causam, quam „ supremam Dei voluntatem. Videtur „ autem sic voluisse. I. ut hoc modo „ sacrificium frequentaretur, sine quo „ Religio stare non potest. 2. quia id „ requirebat ordo divinæ providentiæ, „ quæ etiam causa est, cur Christus assidue interpellet pro nobis in cœlo, „ qui tamen, si voluisset, unica interpellatione potuisset omnia statim impetrare: pariter cur pretium infinitum, quod in cruce acquisivit, quo „ totus mundus continuo salvari potuisset, nonnisi certo tempore & certa mensura successive applicari voluerit. Harumve rerum, sicut & voluntatis divinæ, causam curiosius rimari, nefas. 3. quia studium, laborem „ ac vigilantiam nostram hoc modo „ excitare voluit Deus, ut nempe pro „ mensura nostræ pietatis ac religionis, „ majorem vel minorem sacrificii fructum perciperemus. *Dicendum*, in- „ quit S. Th. qu. 79. art. 7. ad 2. *quod sicut* „ *passio Christi prodest quidem omnibus,* „ *quantum ad sufficientiam, sed effectum* „ *non habet, nisi in illis, qui passioni* „ *Christi conjunguntur per Fidem, &* „ *Charitatem; ita & hoc sacrificium,* „ *quod est memoriale passionis dominicæ.* „ Et art. 5. *Quamvis hæc oblatio ex sui* „ *quantitate sufficiat ad satisfaciendum* „ *pro omni pœna, tamen sit satisfactoria* „ *pro illis, pro quibus offertur, vel etiam* „ *offerentibus, secundum quantitatem* „ *suæ devotionis, & non pro tota pœna.*

Opponunt I. Sacrificium crucis fuit infiniti valoris tam quoad ad sufficientiam, quam quoad ad efficaciam; sed sacrificium missæ eundem valorem habet, quem habuit sacrificium crucis: ergo pariter sacrificium missæ erit infiniti valoris tam quoad sufficientiam, quam quoad efficaciam. II. Major dignitas rei oblatæ dignioremfacit oblationem; sed dignior oblatio debet continere & conferre majorem valorem: ergo sacrificium missæ omnimode habet valorem infinitum. III. Christus est res oblata in sacrificio missæ; sed Christus est infinitus, & per consequens infiniti valoris: ergo pariter oblatio infinitum continet valorem ex omni parte. IV. Bonum spirituale commensuratur cum spiritu, cujus est bonum; sed spiritus est indivisibilis, adeoque communicari non potest per partes: ergo ita pariter bonum spirituale.

Respondemus ad I. quod Christus in cruce solvit omne pretium redemptionis nostræ, & superabbundanter pro peccatis nostris satisfecit: sacrificium vero missæ applicatur secundum fructum suum non una sola vice, sed iteratis vicibus, prout Deo placuerit; proinde non est alia ratio quærenda majoris vel minoris applicationis, quam Dei voluntas.

Ad II. dicitur, quod argumentum habet locum quando secundum totum ejus valorem res oblata & oblatio ipsius applicantur. Hoc autem non evenit in sacrificio missæ, quia Christus non immediate per se ipsum operatur, sed ministerio Sacerdotis: unde valor sacrificii, ut est ex opere operantis, est finitus, tum ratione meriti, tum ratione satisfactionis.

Ad III. Oblatio sacrificii missæ ex parte Christi est infiniti valoris, ex parte vero

vero ministri, per cujus ministerium Christus offert, non sic, Et hoc explicatur exemplo Christi, cujus actiones singulæ infinitum habebant valorem, quamvis multæ ex ipsis circa finitum objectum versarentur.

Ad IV. dicitur, quod bonum spirituale communicatur sine divisione quantitativa; secundum vero extensionem communicatur cum distinctione, scilicet aliud alteri; & ista requirit distinctum meritum, propter quod reddatur; & hoc dicitur æquale intensive,

Pro II. Dissert. parte, jam in prænotatis diximus ex Scoto, fructum missæ esse triplicem, nempe generalem, specialem, & specialissimum; & de hoc nihil amplius dicendum remanet, quia contra jam dicta Adversarios non habemus,

Pro III. tandem Dissertationis parte hoc Corollarium Tournely subnectimus, quod habet: „ Ex his inferes, „ missæ sacrificium æque prodesse ex „ parte operis operati, sive pro multis, sive pro paucis offeratur. Si enim „ fructus sacrificii eo minor esset, quo „ in plures divideretur, satius foret bono fidelium, missæ privatæ, quam parochiali interesse: quia cum pauciores missæ privatæ assistant, plures vero missæ parochiali, fructus sacrificii „ eo major est ac excrescit pro singulis, quo dividitur in pauciores in„ missa privata: atqui tamen hortatur „ & mandat Ecclesia ut fideles missæ „ parochiali assistant. Deinde praxis „ Ecclesiæ est, ut Sacerdos pro vivis „ atque defunctis offerat sacrificium, „ etiamsi honorarium ab aliquo percepit, velut pro ipso specialiter celebret; ipsi quippe injuria fieret, si minorem fructum idcirco perciperet, „ quod sacrificium pro pluribus offer„ retur. „

DISSERTATIO CCCCXLVII.

De Præcepto audiendi Missam. Quo Præcepto teneantur fideles Missam audire? Quibus ex caussis ab hoc Præcepto eximantur? In quibus casibus Præcepto non satisfaciant?

DOcent communiter Theologi, fideles teneri sacrificio missæ interesse, & illud audire, jure naturali, jure divino, & jure ecclesiastico. Jure naturali, quia sacrificium hoc est Deo debitum lege naturali; ad recognoscendum scilicet supremum ejus dominium in res omnes; ad gratiarum actiones eidem reddendas pro tot beneficiis acceptis, & ad nova impetranda. Unde„ quum in omni statu naturæ fuerit Deo oblatum aliquod sacrificium; & in lege christiana sacrificium missæ sit excellentius sacrificium, utpote„ repræsentativum sacrificii crucis; inde est, quod lege naturali Deo est debitum sacrificium missæ, & proinde illi debent fideles jure naturali adsistere. Insuper jure divino tenentur, quia quod natura suggerit tanquam necessarium ac debitum Deo obsequium, hoc ipsum jus divinum„ imperat. Denique circa jus ecclesiasticum hanc conclusionem firmamus.

Dicimus I. Fideles teneri præsentes esse sacrificio missæ dominicis & festivis diebus, jure ecclesiastico, quod in divino fundatur,

I. probatur conclusio ex Conciliis, Concilium Agathense, habitum anno 506. can. 47.

Digitized by Google

cap. 47. statuit: *Missas die dominico a secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: itaut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* Hoc ipsum sancivit Concilium Carthaginense IV. Plurimæ etiam Synodi Provinciales hoc statuerunt. Citatur quoque can. 4. ex iis, qui dicuntur Apostolorum, ex quo saltem constat, quod primis Ecclesiæ temporibus hæc lex vigebat.

II. probatur ex Patribus. Justinus in apologia 2. *Solis, qui dicitur die, omnium, qui in oppido, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit ..... precibus peractis panis offertur, & vinum, & aqua ..... & Præpositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat dicens, amen.* & demum subdit: „ *Solis autem die* „ *communiter omnes conventum agimus:* „ *quandoquidem is primus dies est, quo* „ *Deus tenebris & materia, quam creaverat, versa, mundum effecit; & Jesus Christus, servator noster, eo ipso die a* „ *mortuis resurrexit.* „ Hanc legem adeo gravem fuisse asserit Tournely, ut induceret peccati mortalis pœnam, & etiam excommunicationem, si contumacia interfuisset. Et hæc sunt ejus verba: „ Lex vero illa „ tum gravis est, ut sub pœna peccati „ mortalis obliget; unde excommunicatione plectuntur a Concilio Agathensi mox citato, qui huic officio „ contumaciter non satisfaciunt: quod „ etiam colligimus ex Canone 10. eorum, qui Apostolici dicuntur, his verbis; *Omnes fideles, qui ingrediuntur* „ *Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non* „ *autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, convenit communione privari.* „

III. probatur, quod lex ecclesiastica in jure divino fundetur. Lex enim hæc ecclesiastica est quædam specialis determinatio legis, quæ continetur in verbis illis Decalogi: *memento, ut diem Sabbati sanctifices*: ut enim, ait Juninus, sanctificatio sabbati pietatis officia ac praxim injungit: quænam vero esse debeant hujusmodi officia, Christus prudenti Ecclesiæ judicio determinandum commisit.

Pro II. Dissertationis parte, hoc quæsitum proponit Juninus: *quæ eximant ab audienda missa?* Et respondet: „ eximere primo impotentiam; quanimirum fiat, ut omnino aut moraliter alicui sit impossibile sistere se „ præsentem sacrificio, aut saltem quin „ aliquod grave detrimentum incurrat: 2. Excusat charitatis exercitium, „ ut si quis suam opem conferat ægrotanti, a quo sine illius periculo discedere non possit. 3. A debito audiendi missam officium aliquando liberat, & videre est in milite, qui dum „ peragitur sacrificium, excubias agit; „ idem quoque patet in ovium pastoribus, quorum loco pastores alii substitui non possunt: sed ubi id fieri potest, Parochi moneant oportet *Patresfamilias ut filios & famulos, quos* „ *in bestiis pascendis occupant, saltem* „ *diebus festis missæ jubeant interesse*: „ verba sunt prioris Concilii Mediolanensis sub S. Carolo habiti. Idem „ Concilium propter consuetudinem, „ quæ in aliquibus Italiæ locis obtinuerat, de Viduis sic decernit; *Viduæ* „ *ob maritorum mortem ad summum ne* „ *mense amplius sint sine missæ auditione:* „ *qua in re nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus; eas item Episcopi, etiam censuris ecclesiasticis, id facere cogant.* „

Eadem fere verba scribit Tournely, hoc proponens quæsitum: *quibus de causis a peccato excusentur, qui missæ non interfunt?* „ Resp. I. ex impotentia, „ etiam morali, cum vix fieri potest, „ ut copia detur conferendi se ad Ecclesiam; aut saltem cum id fieri non „ potest sine aliquo gravi detrimento, „ de quo judicabit prudens & cautus „ Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ. „ 2. Ex charitatis exercitio: v. g. si quis „ in carcere detentis sublevandis, instruendis, ita diu immoretur zelo „ suo abreptus, ut effluat tempus sacrificio celebrando destinatum: pariter „ si quis ægrotanti opem ac ministerium ita impendat, ut sine illius periculo discedere non possit. 3. A debito audiendi missam lex officii exolvendi liberat: v. g. si miles, quo tempore sacrificium celebratur, excubias „ agat, aut movere castra statim teneatur; si pastor ovium solus fuerit, „ nec alteri curam gregis committere „ possit: quo casu Parochi monere debent *patres familias, ut filios & famulos, quos in bestiis pascendis occupant,* „ *se-*

„ *festivis saltem diebus missæ jubeant inte-*
„ *resse.* Verba sunt prioris Conc. Mediolanensis sub S. Carolo. In eodem Concilio, propter consuetudinem, quæ „ in aliquibus Italiæ locis obtinuerat, „ sic statutum legimus: *Viduæ ob mariti-* „ *torum mortem ad summum ne mense* „ *amplius sint sine missa auditione: qua* „ *in re nulla valeat excusatio cujuscunque* „ *consuetudinis, quam irritam decerni-* „ *mus; eas item Episcopi, etiam censuris* „ *ecclesiasticis, id facere cogant.* „

Pro III. denique Dissertationis parte I. asserimus, non satisfacere præcepto auditionis missæ dominicis & festis diebus, qui missam integram non audiunt, ut decrevit Concilium Agathense; ac proinde prohibuit, ne populus ante benedictionem Sacerdotis de Ecclesia egrediatur. Et quando in hoc peccatum mortale committatur, judicium fieri debet ex parte, quæ omittitur; unde volunt gravem esse partem, quæ est ab introitu usque ad Evangelium; quæ est ab offertorio usque ad consecrationem; & quæ est a consecratione usque ad Sacerdotis communionem. II. *Non satisfaciunt qui unam Missæ partem ab uno Sacerdote audiunt, & aliam ab alio; ut decrevit Innocentius XI. anno 1679. quod pariter antecedenter declaraverant Doctores Lovanienses anno 1657. & Archiepiscopi Senonensis, & Parisiensis, anno 1658.* III. *Nec etiam satisfaciunt qui duas missæ partes etiam successive a duobus Sacerdotibus audiunt; & hoc damnavit idem Innocentius XI. hanc propositionem proscribens*: satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, *qui duas hujus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Et ratio est, quia partes illæ sic separatæ & disjunctæ unam & eandem Liturgiam, nec etiam moraliter, constituunt.

DISSERTATIO CCCCXLVIII.

De tempore celebrandi missam. Qua die teneantur Sacerdotes missam celebrare? Qua die celebrare illam non possint?

QUod Sacerdotis teneantur aliquando sacrificium missæ offerre, ex eo potissimum cõsequens est, quod fideles teneantur sacrificio missæ aliquando interesse. Unde S. Thomas 3. p. q. 82. art. 10. quærit: *utrum liceat Sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiæ abstinere?* Et per hæc verba respondet; „ *Dicendum, quod quidam* „ *dixerunt, quod Sacerdos potest* „ *omnino a consecratione licite abstinere,* „ *nisi teneatur ex cura sibi commissa ce-* „ *lebrare, & populo sacramenta præbere:* „ *sed hoc irrationabiliter dicitur, quia* „ *unusquisque tenetur uti gratia sibi da-* „ *ta, cum fuerit opportunum; opportu-* „ *nitas autem sacrificium offerendi non* „ *solum attenditur, per comparationem* „ *ad fideles Christi, quibus oportet sa-* „ *cramenta ministrari; sed principaliter* „ *per comparationem ad Deum, cui con-* „ *secratione hujus sacramenti sacrificium* „ *offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non* „ *habeat curam animarum, non licet om-* „ *nino a celebratione cessare; sed saltem* „ *videtur quod celebrare teneatur in* „ *præcipuis festis, & maxime in illis die-* „ *bus, quibus fideles communicare con-* „ *sueverunt.* „ Et in IV. sententiarum distinctio ne 13. q. 1. art. 2. „ *Quia* „ *secundum Gregorium, cum crescunt, si-* „ *ve augentur, dona, rationes crescunt* „ *donorum; cum Sacerdoti data sit nobi-* „ *lissima potestas, reus erit negligentiæ,* „ *nisi*

Digitized by Google

„ *nisi illa utatur ad honorem Dei, & sa-*
„ *lutem suam, & aliorum vivorum, &*
„ *mortuorum*. „ Ac his addit Tournely: „ Quapropter cum Cajetanus
„ in suis commentariis ad art. 10. q. 82.
„ scripsisset *leviter* tantum seu *venialiter* peccare Sacerdotem, qui raro
„ vel nunquam sacris operatur, S. Pius
„ V. Pontifex doctrinam hanc, utpote
„ molliorem, ex commentariis dicti
„ Cajetani expungi mandavit. „

Dicimus I. Parochos teneri missam celebrare iis diebus, quibus fideles tenentur ipsi adesse. Aliis vero commendandos esse si sæpe ipsam celebrent.

I. Conclusionis pars probatur I ex Scripturis. Ad Hæbreos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

II. probatur ex Concilio Tridentino sess. 23. *de reformatione* cap. 1. „ *Præ-*
„ *cepto divino mandatum est omnibus,*
„ *quibus animarum cura commissa est,*
„ *oves suas agnoscere, pro his sacrificium*
„ *offerre, verbique divini prædicatione,*
„ *Sacramentorum administratione, ac*
„ *bonorum omnium operum exemplo pa-*
„ *scere &c.* „

II. Conclusionis pars I. probatur ex Patribus. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 18. *ideo nos Deus offerre vult munus ad altare frequenter & sine intermissione*. Cyprianus epist. 54. ad Cornelium: *Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.*

III. probatur ex Scholasticis Doctoribus. S. Bonaventura libro de præparatione ad missam cap. 5. *Oh quam graves angustiæ me undique affligunt! Accedere indigne, horrendum est judicium: non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis est culpa.* Post quæ narrat bona, quibus se privant Sacerdotes, qui ex negligentia raro celebrant, & ait: „ *Quan-*
„ *tum in ipso est, Trinitatem laude, &*
„ *gloria, Angelos lætitia, Peccatores ve-*
„ *nia, Justos subsidio & gratia, in pur-*
„ *gatorio existentes refrigerio, Ecclesiam*
„ *Christi speciali beneficio, & se ipsum*
„ *medicina, & remedio contra quotidia-*
„ *na peccata & infirmitates.* „ S. Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 15. adstringit Sacerdotes ad frequenter celebrandum ex his motivis, quæ refert Tournely: „ 1. A nobilitate, & præ-
„ stantia Sacramenti, in quo Christus
„ ipse realiter continetur. 2. a suavita-
„ te & utilitate: *Quantæ jucunditatis &*
„ *dulcedinis est, tantæ rei Sacramentum*
„ *verbo conficere, habere præ oculis, con-*
„ *trectare manibus, ore sumere, & aliis*
„ *ministrare?* 3. a benevolentia, quam
„ celebrans non indigne a sponso suo
„ Christo, & sponsa Ecclesia reportat.
„ 4. ex multiplici fructu, quem a cele-
„ bratione missæ fideles, qui adsunt,
„ reportant. 5. ex officio ipso Sacer-
„ dotum, qui cum ministri sint Eccle-
„ siæ, sacrificium pro populo tenentur
„ offerre. 6. ex periculo, cui se objiciunt Sacerdotes, cum raro vel nun-
„ quam celebrant. *Periculum moræ,*
„ *quia de facili irregularitas vel infirmi-*
„ *tas, vel alius defectus, aut impedimen-*
„ *tum poterit occurrere; ita quod diu, aut*
„ *forte nunquam, celebrare continget.* Ibi-
„ dem sapienter monet S. Doctor, ca-
„ vendum esse *ne quis ex sola consuetu-*
„ *dine exterioris operis moveatur ad ce-*
„ *lebrandum, non advertendo, an dispo-*
„ *situs vel minus dispositus sit; an ex ce-*
„ *lebratione proficiat, vel tepescat, sive*
„ *an habeat causam rationabilem absti-*
„ *nendi, vel non.* „

Hæc fere eadem momenta adduximus nos in dissertat. 442. in qua recitavimus verba, quæ hic scripsimus, & Conclusionem fecimus per hæc verba: *Ex his autem Legentes eligant opinionem, quæ sibi magis arriserit, nobis enim nihil in hoc determinare facit, vel varia Doctorum sententia, vel diversæ circumstantiæ, quæ in re ipsa possunt habere locum.* Quod quidem hic pariter confirmamus.

Pro altera vero Dissertationis parte, in qua quæritur, qua die non possint Sacerdotes sacrificium offerre? Alia est Græcorum, alia Latinorum praxis. Latini, exceptis diebus Parasceves, & Sabbati Sancti, singulis anni diebus semper obtulerunt, & nunc pariter offerunt, incruentum missæ sacrificii. Græci vero jejuniorum diebus, nec missam celebrabant, nec modo celebrant, & utuntur liturgia, quæ dicitur *de præsanctificatis*; & de qua hæc scribit Juninus: „ Ea vero li-
„ turgia complectitur ritus inter sa-
„ cri-

Digitized by Google

„ crificandum adhiberi solitos, una „ excepta consecratione, quæ per Quadragesimam bis tantum in hebdomada, Sabbato nimirum, & die Dominica, peragitur; *Præsanctificatum autem ministerium* (inquit Theodorus Balsamon ad canonem 52. Trullanum) *incruentum sacrificium non dicimus, sed oblationem prius oblati & perfecti sacrificii, sacrique mysterii.* Hunc præsanctificatorum usum & ritum multis probat esse antiquum idem Author, & a censuris vindicat, quibus aliqui eum afficiunt. Rationem vero reddens, quare Græci jejuniorum diebus non celebrent missam perfectam, hanc adducit: *Ritum illum ex eo ortum duxisse, quod missa, hilaritatis & gaudii celebritas quovis seculo apud Græcos habita sit*; jejunia vero mœrorem & luctum important; unde Orientalium Conciliis cautum fuit semper, ne festi dies in Quadragesima peragerentur: *Non oportet in Quadragesima Natales Martyrum peragere, sed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis & Dominicis*; quibus quidem diebus, uno excepto privilegio Paschatis, nusquam jejunarunt. Quæ allata est ratio, hisce verbis a Zonara in canonem 52. Trullanum traditur; *jejuniorum tempora, mœrori potissimum dicata, expiandisque intimo animi dolore, cujusque criminibus constituta sunt. Deo porro sacrificare, festivæ celebritatis est; ea vero celebritas hilaritatis atque lætitiæ. At quo pacto mœrori quispiam ac lachrymis indulgere, idemque simul exultare lætitia, ac triumphare gaudio queat? Proinde aliis quidem quadragenarii jejunii diebus celebrari ex præsanctificatis sacra mysteria consuevere; neque ullus tunc quidem sacrificii incruenti usus admittitur, sed eorum quæ jam consecrata semel atque altari admota sunt, oblatio iteratur. Sabbatis vero ac Dominicis diebus, per quos exerceri jejunia per leges haud fuevere, & sacrificium offerre & undique suis partibus absolutum Liturgiæ munus exhibere concessum est. Idem anniversario quoque cælestis nuncii ad Virginem missi die licere decretum; eam quippe lucem, quæ nempe nostræ salutis exordia, primæque incolumitatis fundamenta inchoata sunt, veneramur, solemnique totius populi conventu pompaque celebramus. Atque id etiam causæ fuit, cur Sanctorum quoque memoriam publice colere, quotiescumque jejunii tempore inciderit, Sabbatis Dominicisque diebus exceptis, quinquagesimo primo Laodicenæ Synodi Canone vetitum sit. Habet siquidem Sanctorum commemoratio jucunditatem & lætitiam: jejunii vero dies, omni abdicata remissione, mœrore ac luctu transigere par est*; „ Integrum „ Zonaræ textum descripsimus, quod „ clarissime Græcorum de præsanctificatis ritum explicet, ac ex canonibus confirmet rationem, propter „ quam Patres eum adhiberi voluerunt. „

Igitur perantiquus, probatus, ac laudabilis est ritus & usus Latinorum, qui a sacrificando excipiunt dies Parasceves & Sabbati Sancti; & hoc probatur ex Ordine Romano, quo præscribitur omnibus aliis diebus, etiam Quadragesimæ, in Ecclesia Occidentali septimo seculo sacrificium fuisse oblatum; tum ex Gregorio Magno, qui in antiphonario & in sacramentario describit singulas præfationes & orationes, quæ jejuniorum diebus recitantur: tum denique ex Pelagio II. in epistola ultima dicente: „ *Sacrum Ordinem Romanum, sacraque „ constituta nostrorum Antecessorum, solerter relegentes, invenimus has novem „ præfationes in sacro Catalogo tantummodo recipiendas, quas longo retro veritas in Romana Ecclesia hactenus servavit: unam in Albis Paschalibus, „ aliam de Ascensione, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam „ de Apostolis, septimam de Sancta Trinitate, octavam de Cruce, & nonam „ de jejunio, & Quadragesima tantummodo dicendam.*

Perantiquus pariter, probatus, & laudabilis est ritus & usus Græcorum, quem Morinus lib. 7. de administratione sacramenti pœnitentiæ cap. 14. in Scripturis asserit se invenisse; nimirum Judith 8. *quæ jejunabat omnibus diebus anni præter festa*: dicitur enim ibi: *jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata, & Neomenias, & festa Domus Israel*. Et Nehemias sic loquitur populum Israel: „ *Dies „ sanctificatus est Domino Deo nostro: „ Nolite lugere, & nolite flere. Flebat*

„ *enim*

Digitized by Google

„ *enim omnis populus, cum audiret ver-*
„ *ba legis, & dixit eis; ite, comedite*
„ *pinguia, & bibite mulsum, & mittite*
„ *partes his, qui non præparaverunt sibi,*
„ *quia sanctus dies Domini est.* „

DISSERTATIO CCCCXLIX.

De loco, in quo Missa celebrari debeat. An in Templis? An in Altaribus? An in alio aliquo loco?

IOannes Stephanus Duranti in suo Opere, *de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ* lib. 1. cap. 1. Sacrarum Ædiũ octo nomina recenset; quæ sunt, *Ecclesia, Templum, Basilica, Martyrium, Oratorium, Tabernaculum, Dominicum, & Ecclesia portatilis*. Ecclesia, græcum verbum, latine significat concionem; & proinde Ecclesia accipitur pro Æde sacra, in quam conveniunt fideles ad orandum, ad verbum Dei audiendum, & ad percipienda divina mysteria; quod probat testimonio Tertulliani, Clementis Alexandrini, Augustini, Hieronymi, & aliorum Patrum. *Templum* asserit dici a contemplatione, quasi sit factum amplum, sigillo, quod ponitur in ædificio, transverso. *Basilica*, quia ibi Deo, omnium Regi, cultus & sacrificia offerantur. *Martyrium*, quia in ea Sanctorum Martyrum reliquiæ jacent, vel eorum memoria recolitur; *Oratorium*, quod erat angustus locus, in quem Christiani conveniebant persequutionum temporibus; & quia crescente multitudine, eam non erat capax oratorium recipiendi; inde postmodum Ecclesiæ successerunt. *Tabernaculum*, quod nomen in usu erat apud Judæos, & a Judæis deductum est ad Christianos. *Dominicum*, quod idem est ac domus Dei. *Et Ecclesia portatilis*; unde legitur, quod Constantinus Imperator Ecclesiam sibi fieri curaverit, quæ ubicumque locorum esset, & maxime in bello, ea circumferri posset, ne in solitudine quidem agens Ædibus sacris careret.

Quod autem in his locis sacrificium missæ celebraretur, ex prædictorum Patrum testimoniis apertissime constat; unde Theologi firmant, quod jure communi & ordinario non liceat celebrare missam nisi in Ecclesia, vel in loco sacro, ab Episcopo consecrato, vel saltem benedicto ab ipso, vel diligentia illius. Dictum est, jure communi & ordinario, quia, ut scribit Tournely: „ Ab ista quippe
„ regula nonnullæ sunt exceptiones.
„ I. cum licentia S. Pontificis vel Epi-
„ scoporum, missa celebrari potest in
„ castris pro exercitu, & in littore ma-
„ ris, & in navi, pro navigantibus.
„ 2. Episcopis interfacientibus speciali
„ privilegio indultum est, ut quando
„ non potest Episcopus commode ac-
„ cedere ad Ecclesiam, possit in altari
„ portatili ubivis sacrificare, vel sacri-
„ ficanti assistere. 3. nonnunquam SS.
„ Pontifices vel Episcopi permittunt
„ ut missa dicatur in privato Oratorio,
„ ad divinum dumtaxat cultum per-
„ manenter destinato, quamvis non
„ benedicto: at nonnisi rarissime id
„ permittitur pro loco, qui antea pro-
„ phanis usibus destinatus erat, & sta-
„ tim postea in eosdem usus restituen-
„ dus est. „

Author Anonymus Operis de re sacramentaria contra perduelles hæreticos lib. 5. cap. 1. hæc proponit quæsita. I. An sit aliquis locus ad sacrificium peragendum necessario, & ex natura determinatus? II. An conveniens fuerit loca aliqua ad incruentum sacrificium specialiter designari?

Digitized by Google

ti? An dicare altaria, & templa extruere, antiquum sit in Ecclesia?

Ad I. respondet negative. Et ratio est, quia hæc necessitas vel esset a Deo, vel ab homine; sed neutrum dici potest: ergo &c. Minorem probat his verbis: „ Non primum: quia mundus universus templum est Dei, loca „ omnia majestate sua & immensitate „ replentis: *qui cœli, & terræ cum sit „ Dominus, non in manufactis templis* „ (ex indulgentia) *habitat*: cavendum „ itaque, ne putemus, Deo locum aliquem ad vota mortalium suscipienda „ esse necessarium: hoc enim idem foret, ac ejus immensitatem tollere, „ & majestatem ubique præsentem limitibus coarctare. Nec secundum: „ Idem namque de sacrificio, ac de „ adoratione & oratione debet esse judicium; quia ut millies dictum est, „ in sacrificio cultus Dei præcipuus, & „ oratio excellentissima continetur; „ atqui locus omnis ad cultum Deo „ exhibendum, homini, ex natura, est „ opportunus; quia Deo ubique præsente, homo ubicumque est, indiget, „ eumque ubique tenetur, sine locorum differentia, revereri. Hinc Apostolus: *volo viros orare in omni loco, „ levantes puras manus . . . , similiter ut „ mulieres &c.* Nullus ergo locus est ad „ offerendum sacrificium specialiter & „ necessario designatus. Hocque fuit „ Apostolis, & iis qui proxime secuti „ sunt, Antistibus persuasum de Apostolis quidem legitur, *quod frangerent „ circa domos panem*: quæ verba de sacrificio, ejusdemque communione, „ debere intelligi, Interpretes plerumque omnes consentiunt. Proximis „ vero apostolicæ ætati temporibus, „ quando contra nascentem Ecclesiam „ immanis ubique persecutio sæviebat, „ & Pastores simul ac populi ad necem „ diritime quærebantur, sacrificium „ in quovis loco fuisse indifferenter oblatum, ex historia ecclesiastica certum est: quam in rem paulo ante attulimus *Dionysii Alexandrini præ- „ clarissimum testimonium: Cum ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, „ nihilominus tunc quoque festos egimus „ dies: quivis locus, in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus, ager, in- „ quam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi, ad sacros conventus „ peragendos fuit.* „

Ad II. respondet affirmative: & authoritates Patrum affert; nimirum Basilii Magni in libro de Baptismo cap. 8. scribentis: „ *Periculum est male obi- „ ti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si sacerdotii mysteria in „ locis prophanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet con- „ temptus in celebrante, offendiculum „ quoque generaret . . .* „ Cyrilli Alexandrini lib. *contra Antropomorphitas* cap. 12. „ *donum sive oblatio, quam mystice „ celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi „ omnino. Qui secus faciunt, aperte legem violant.* „

Ad III. respondet: „ Ab ipsis Apostolis hunc morem descendere: de altari „ siquidem mentionem facit S. Paulus: „ *non potestis mensæ Domini participes „ esse, & mensæ Dæmoniorum . . . . .* & „ alibi: *habemus altare, de quo edere „ non habent potestatem, qui tabernaculo non deserviunt*: Nec minus expresse „ meminit templi, sive loci, quo fideles ad faciendam Liturgiam concurrebant: *convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos . . . . „ numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam „ Dei contemnitis?* Hic enim privatas „ domos opponit Ecclesiæ, in quam „ conveniebant Corinthii. Jam tum „ itaque erant loca quædam ad Liturgiam & sacros conventus agendos „ peculiariter consecrata: nec aliter „ hunc textum Patres & Interpretes „ communiter explicant. Sic præter „ cæteros S. Augustinus: *Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur: „ nam Ecclesia homines sunt, de quibus „ dicitur: ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam: hanc tamen vocari etiam ipsam „ domum orationum, idem Apostolus testis „ est, ubi ait: numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? an „ Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad „ Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam „ confugere, non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel „ confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio „ continetur.* Sed etsi de genuino Apostoli sensu difficultas aliqua remaneret, innumeris primævæ ætatis testimoniis tolleretur, quibus constat, „ tam esse antiquam hanc disciplinam, „ quam Ecclesia ipsa est. Sic enim „

„ 1. Cer-

Digitized by Google

„ 1. Certum est, de evertendis Chri-
„ stianorum Ecclesiis & Altaribus, edi-
„ cta ab Imperatoribus Ethnicis sæpe
„ promulgata fuisse: unde manifesto
„ evincitur, jam ante ædificatas Ec-
„ clesias, & altaria consecrata: prius
„ enim est, aliquid esse, quam destrui.
„ 2. Constat, priscis illis temporibus,
„ Hæreticos, & Schismaticos contra
„ Catholicam Ecclesiam impotenti ra-
„ bie actos, nihil plerumque antiquius
„ habuisse, quam ut templa, quo or-
„ thodoxi conveniebant, solo æqua-
„ rent, & altaria sacra demolirentur:
„ qua de re extat *Optati Milevitani*,
„ Donatistarum impietatem descri-
„ bentis, locus insignis: *quid est, tam*
„ *sacrilegum, quam altaria Dei, in qui-*
„ *bus & vos aliquando obtulistis, frange-*
„ *re, radere, removere? In quibus vota*
„ *populi, & membra Christi portata sunt:*
„ *quo Deus omnipotens invocatus sit: quo*
„ *postulatus descendit Spiritus Sanctus?*
„ *& unde a multis pignus salutis æternæ,*
„ *& tutela fidei, & spes resurrectionis*
„ *accepta est? Altaria, inquam, in qui-*
„ *bus fraternitatis munera non jussit Sal-*
„ *vator poni, nisi quæ essent de pace con-*
„ *dita: depone munus tuum ante altare,*
„ *& prius concorda cum fratre tuo, ut*
„ *possit pro te Sacerdos offerre: quid est*
„ *enim altare, nisi sedes corporis & san-*
„ *guinis Christi? hæc omnia furor vester,*
„ *aut rasit, aut removit.....si livoris*
„ *judicio nos vobis sordidi videbamur,*
„ *quid vobis fecerat Deus, qui illuc in-*
„ *vocari consueverat? quid vos offende-*
„ *rat Christus, cujus illic per certa mo-*
„ *menta Corpus, & Sanguis habitat?*
„ *quid vos offendistis etiam vos ipsi, ut*
„ *illa altaria frangeretis, in quibus ante*
„ *nos per longa temporum spatia, sancte,*
„ *ut arbitramini, obstuliſtis? dum im-*
„ *pie persequimini manus nostras illic,*
„ *ubi Corpus Christi habitat, feristis &*
„ *vestras: hoc modo Judæos estis imitati:*
„ *illi injecerunt manus Christo in cruce,*
„ *a vobis percussus est in altari: si Cat-*
„ *holicos illic insectari voluistis, vel ve-*
„ *stris illic antiquis oblationibus parce-*
„ *retis.* Ita Optatus, cujus verba Lu-
„ theranos, & Calvinianos eo magis
„ quadrant, quod veteres Donatistas,
„ & rabie æquarint, & infidelitate su-
„ peraverint, non altaria tantum, sed
„ & ipsum sacrificium abolendo. 3. ab
„ ipsis Apostolis erecta altaria, & Ec-
„ clesias consecratas, ex historia Ec-
„ clesiastica notum est. Sic *Nicephorus*
„ domum illam, in qua Christus sacri-
„ ficium instituit, & quo Spiritus S. vi-
„ sibiliter die Penteconstes advenit,
„ tanquam primam Christianorum Ec-
„ clesiam, a B. Jacobo, primo Hiero-
„ solymorum Episcopo, consecratam,
„ ibidemque septem Diaconos ordina-
„ tos, Evodii, qui beato Petro in An-
„ tiochena Sede succesit, auctoritate
„ confirmat. Romæ pariter ab Apo-
„ stolis, eo tempore, quo fidem ibi
„ annunciare cæperunt, Ecclesias de-
„ dicatas, multis momentis probatur
„ ab Annalium sacrorum Scripto-
„ ribus.

Tandem de Altaribus hæc ab eodem Anonymo Patrum antiquorum testimonia referuntur: Et sunt Tertullianus libro de oratione cap. 14. *solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris*; & lib. 1. ad uxorem cap. 7. *aram Dei mundam proponi oportet*. Cyprianus epist. 66. *neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare*. Quibus addit Irenæum, Origenem, Basilium, Cyrillum Alexandrinum; & denique concludit. „ Nec prætermittendum,
„ quod narrat Eusebius hist. lib. 6. cap.
„ 34 *Philippum Christianum Imperato-*
„ *rem*, (qui quinquaginta & amplius
„ annis *Diocletianum* præcessit) cum
„ Ecclesiam in pervigilio Paschæ in-
„ gredi vellet, ab ejus anditu, ob sce-
„ lera perpetrata, exclusum ab Episco-
„ po fuisse, neque ante admissum,
„ quam pœnitentiam egisset. Non de-
„ sunt ad ejusdem veritatis confirma-
„ tionem extraneorum testimonia:
„ narrat *Lampridius* Ethnicus, Christia-
„ nos cum locum aliquem, qui publi-
„ cus ante fuerat, occupassent, & in eo
„ Ecclesiam construere vellent, popi-
„ narii autem pro eo obtinendo con-
„ tenderent; *Alexandrum Imperatorem*,
„ Christianis litem adjudicasse, supre-
„ maque auctoritate rescripsisse, me-
„ lius esse, quomodocumque illic a
„ Christianis coli Deum, quam dari
„ popinariis.... *Philo Judæus* in libro
„ de vita contemplativa, ubi si Euse-
„ bio hist. lib. 2. cap. 17. & S. Hierony-
„ mo lib. de scriptor. ecclesiast. credi-
„ mus, primorum Christianorum vi-
„ tam describit, sacrorum sacellorum
„ meminit, in quibus mysteria pera-ge-

„ gebant? *Lucianus* quoque Ethnicus, „ sive quivis alius Apostolorum ætati, „ nemine diffitente, æqualis, Christianorum Deo dicatum templum repræsentat in Philopatre: ergo &c.„.

Denique pro III. Dissertationis parte; asserunt Scriptores, quod Sacrificium aliquando offerebatur etiam extra Ecclesiam; ut contingebat persequutionis tempore; & pariter sine persecutione, quando aliqua urgebat occasio, sive necessitatis, sive pietatis. In his casibus provisum fuit per altaria portatilia. Ait enim Author Anonymus: „ Antiquum est, altaria, ut „ vocant, portabilia, statuere, Episcoporum manibus consecrata, quæ „ moveri facile, & de loco in locum „ tranferri possunt, & in his, Ecclesiis, „ & in locis dilitis, sacrificium offerebatur. Eorum mentionem facit „ *Venerabilis Beda*, seculi septimi Scriptor, hist. lib. 5. c. 11. De iisdem „ ab *Hincmaro*, *Remensi Archiepiscopo*, sic statutum in capitulis editis anno 12. sui Episcopatus: *nemo „ Presbyterorum in altario ab Episcopo „ non consecrato cantare præsumat: quapropter si necessitas poposcerit, donec „ Ecclesia, vel altaria consecrentur, & „ in capellis etiam, quæ consecrationem „ non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honestissimo secundum suam possibilitatem, „ honeste affectatam habeat, & nobis ad „ consecrandam afferat, quam secum „ cum expedierit, deferat, in quo sacra „ mysteria secundum ritum ecclesiastica „ cum agere valeat.„*

Arguunt I. Apud Minutium Felicem Ethnici opponebant Christianis, quod nec templa, nec altaria haberent: ergo in Ecclesia non est antiquus templorum, & altarium usus. II. Græci, & Orientales non habeant altaria portatilia, sed utuntur pannis quibusdam, precum, & ceremoniarum apparatu consecratis, & super altaria non consecrata appositis, & ibidem sacrificium offerunt. Unde scribit Balsamon. in expositione can. 31. Trullani: Ideo reperta sunt *diaphora* (hoc est superaltaria), „ *& fiunt a Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponuntur in sacris „ mensis. Quando, permissu Antistitis, „ oblatio Litergiæ fit in oratorio.„* III. Altaria consecrantur cum reliquiis Martyrum; sed antiquibus hæ reliquiæ non erant: ergo antiquitus altaria consecrata non erant. IV. Potest contingere casus, quo Ecclesia aliquando polluatur, vel violetur; & tunc vel licitum est in altaribus pollutis vel violatis offerre sacrificium; vel debent denuo consecrari, quod magnum sane incommodum importat. V. templa, vel altaria, debent esse decenter ornata; sed hoc est contra antiquum Ecclesiæ usum: ergo &c. VI. materia altaris incertum est, quænam esse debeat, & quæ antiquibus fuerit: ergo de hoc certam disciplinam non habemus.

Respondemus ad I. quod persequutionum tempore Christiani sacra peragebant in criptis, & locis abditis, quia ad furorem Gentilium evitandum publica templa habere non poterant; & de his intelligi debent Gentiles obloquentes nobis apud Minutium Felicē in Octavivo, quod templa non haberemus.

Ad II. Apud Græcos, & Orientales idem præstant superaltaria, quod faciunt apud Latinos altaria portatilia; unde diversitas est tantum in modo, non in substantia.

Ad III. dicitur, quod antiquitus erant in cæmeteriis, in quibus Christiani sacra peragebant, corpora Martyrum, & hæc loco reliquiarum erant. Quod docet Cardinalis Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 19. dicens: *indeque originem traxisse mihi videtur celeberrimus & inviolabis Ecclesiæ ritus, ut sine Martyrum reliquiis nullum templum, nullumve altare, ædificetur.*

Ad IV. In Ecclesiis violatis seu pollutis sacrum celebrari non potest; & hoc contingere potest in quinque casibus, quos enumerat Tournely. „ Primus „ est sanguinis effusio injuriosa, & mortaliter mala; alioquin non polluitur „ Ecclesia. Dixi, *effusio*; id est notabilis copia sanguinis ex violata percussione effusi: unde nonnullæ guttulæ „ Ecclesiam non polluunt. Pariter mutilatio, quæ esset sine sanguinis effusione. Ecclesiam non pollueret. Necesse vero non est ad violandam Ecclesiam, ut sanguis infra ipsam fundatur; sed satis est quod homo in „ Ecclesia ita percussus ac vulneratus „ fuerit, ut inde sequatur notabilis effusio

Digitized by Google

„ fusio sanguinis. E contra si percussio „ fiat extra templum, in quod postea „ læsus ingrediatur, & ibi sanguis ef„ fluat, Ecclesia non erit violata. Se„ cundus est homicidium voluntarium „ & injuriosum: at non pulluitur Ec„ clesia per homicidium omnino ca„ suale, & involuntarium, ut si quis „ ad licitam sui defensionem aggresso„ rem forte occidat; nec etiam si quis „ extra Ecclesiam lethaliter vulnera„ tus, in ea moriatur. Tertius est adul„ terium, & voluntaria seminis ef„ fusio: si enim involuntaria foret, „ Ecclesia non pollueretur; imo etiam „ polluitur per copulam conjugalem, „ quæ in Ecclesia fieri nunquam potest. „ Supponitur autem pollutionem il„ lam vel adulterium publicum esse „ ac cognitum: si enim occultum „ omnino foret, non pollueretur eccle„ sia, nec opus foret ut reconciliaretur. „ Quartus est sepultura Infidelis, vel „ Hæretici, aut cujuscumque alterius „ nominatim excommunicati. cap. *Con„ suluisti. De consecratione*; unde licet „ prohibitum sit etiam sub anathema„ tis pœna in Concilio Turonensi ann. „ 1583. sepelire in loco sacro publicum „ Hæreticum, si tamen nominatim, „ denuntiatus ille non foret, illius se„ pultura Ecclesia non pollueretur. „ Multi etiam hanc prohibitionem ex„ tendunt ad infantes non baptizatos, „ nisi in utero materno extincti fue„ rint; eo enim in casu a matre non „ distinguuntur, & eadem donantur „ sepultura. Ecclesia autem violata, „ censetur etiam & cæmeterium, si „ contiguum fuerit, violari; secus ve„ ro si distans fuerit, & paries interja„ cens, cæmeterium ab Ecclesia separet. „ Violato autem cæmeterio, non pro„ pterea violata Ecclesia censetur: nam „ quod minus est, non trahit ad se ma„ jus, sicut majus trahit minus. Capi„ te unico, *De consecratione Ecclesiæ*; in „ VI. ubi additur: *Si plura cæmeteria sint „ cohærentia, sed medio pariete sejuncta, „ eorum altero violato, alterum propte„ rea non reputatur violatum*. Quintus „ casus est, si Ecclesiæ parietes vel ma„ xima ex parte igne absumantur, aut „ aliter funditus destruantur, vel si non „ omnino destructis parietibus, omnis „ crusta, vel major ejus pars, destrua„ tur: utroque illo casu Ecclesia viola„ ta censetur, nec licet in ea celebra„ re. Ratio est, quia consecratio in ex„ terioribus crustis consistit, in iis ete„ nim fiunt cruces & chrismatis un„ ctiones: nec eadem remanere censе„ retur Ecclesia, si parietes maxima ex „ parte corruerent ac destruerentur: „ non ita vero esset, si iis remanenti„ bus, tecta & aliqua signa dumtaxat „ comburerentur. cap. *Ligneis*. De *con„ secratione Ecclesiæ, vel altaris. Si te„ cta, aliaque ligna Ecclesiæ*, ait Innoc. „ III. *combusta sint illæsis parietibus, „ consecrationem non amittit; quia con„ secratio in parietibus consistit*, neque „ si major parietum & crustarum pars „ subsisteret; tunc enim moraliter ea„ dem censetur Ecclesia subsistere.„

Quibus idem Turnely addit duo adver„ tenda, quæ maxime notanda sunt.„

„ Duo hic adverte: primum, discrimen „ esse inter pollutionem Ecclesiæ, & „ execrationem. Namque polluta „ Ecclesia, polluuntur etiam omnia al„ taria, quæ in ea erecta & fixa sunt; „ quemadmodum & vice versa, non „ potest altare pollui, quin etiam Ec„ clesia ipsa polluatur: at vero si Eccle„ sia execretur combustis aut destru„ ctis parietibus, non ideo altaria, quæ „ integra & illæsa remanent, execran„ tur, sicut nec altare per fractionem „ execrato, Ecclesia execratur. Alte„ rum quod debet adverti, istud est, „ prohibitum esse, dirutam Ecclesiam, „ quæ consecrata fuerat, ad propha„ nos usus converteres regula etenim „ generalis hæc est; ad usus seculares „ & prophanos converti non debere „ ea, quæ semel consecrata fuerint. „ cap. *Ligna. De consecratione*; ubi di„ citur, *ligna Ecclesiæ dedicatæ, vel igni „ esse comburenda vel ad aliam Eccle„ siam, vel ad profectum Monasterii esse „ adhibenda*.„

Ad V. circa Ecclesiarum & altarium ornamentum, hæc enumerat & ex„ ponit citatus Anonymus Author.„

„ Pleraque ad altarium ornatum re„ quiri, quorum alia ad ejus decorem „ & decentiam pertinent: quæ utriusque generis sunt, glomeratim, & si„ ne discrimine recensebimus; itaque „ in sacra altarium supellectile con„ tinentur, Calix, patena, corporale, „ sive palla linea, in qua corpus Domi„ ni consecratur; urcei aquam & vi„ num præparata ad sacrificium conti„ nentes, sudariolum sive purifica„ to

„ torium, quo tergitur, aquamanile ad „ manus lavandas quoties in actione „ sacrificii opus est; liber liturgicus, si- „ ve Missalis; Mappæ, quibus altaria ve- „ stiuntur; anteriora amicula, quæ pal- „ lia & frontalia a recentioribus, ab „ antiquis vestimenta sacræ mensæ „ nuncupantur; candelabra cum cereis; „ crux in eorum medio collocanda; „ thuribulum, in quo thura cremantur; „ Thecæ pretiosæ cum Sanctorum Re- „ liquiis; vasa aurea & argentea, flores „ &c. horum omnium quam antiquus „ & religiosus sit usus, demonstrant „ Auctores sæpe citati, ad quos studio- „ sum lectorem remittimus, nec enim „ in his immorari per otium vacat. „.

Ad VI. Ille idem Author Anonymus respondet „. Primis Ecclesiæ tem- „ poribus, lignea an lapidea altaria „ fuerint, silentibus hujus ætatis Scrip- „ toribus, non liquere. Crediderim ta- „ men utramlibet in iis extruendis in- „ differenter usurpatam materiam. Eo- „ que videtur opinio hæc ad veritatem „ magis accedere, quod ubicumque „ poterant synaxes Apostoli, & viri „ Apostolici, agerent: itaque erat illis „ mensa quælibet ad faciendum sacrifi- „ cium opportuna; nec in tantis, quibus „ premebantur angustiis, eligendi ha- „ bebant facultatem; conjecturam au- „ get quarti seculi disciplina, secundum „ quam sive lapidea, sive lignea altaria „ forent, Patrum judicio nihil interе- „ rat: altaris enim vero lapidei memi- „ nit S. Gregorius Nyssenus paulo ante „ citatus, orat in Bapt. Christi. *Altare* „ *hoc sanctum, cui adsistimus, lapis est na-* „ *tura communis, nihil differens ab aliis* „ *crustis lapideis, quibus parietes nostri* „ *extrahuntur, & pavimenta exornantur.* „ *Postquam vero &c.* Hoc ipso tamen „ seculo altaria e ligno fabrefacta, San- „ ctus Athanasius commemorat in „ Epist ad Solitarios: *cum rapuissent* „ *subsellia, & Cathedram, & mensam* „ *(erant enim hæc lignea) & vela Eccle-* „ *sia &c.* Nec desunt alia in utramque „ partem veterum testimonia: lapideo- „ rum enim sanctus Joannes Chryso- „ stomus, hom. 20. in 2. Epist: ad Co- „ rint. ligneorum vero *Optatus Milevi-* „ *tanus* lib. 6. cont. Donat. mentionem „ facit. Lapsu temporum constitutum, „ non aliter quam ex lapide debere al- „ taria construi: *altaria nisi sint lapidea,* „ inquit Epaunense Concilium, sexto „ ineunte seculo celebratum, capite „ vigesimo sexto, *infusione Chrismatis* „ *non sacrentur.* Qui autem hujus de- „ creti author primus fuerit, prorsus „ incertum. Quod enim ajunt aliqui, „ morem hunc *a Sancto Sylvestro*, Sum- „ mo Pontifice, primum invectum, quo- „ niam silent historiæ, sine teste ido- „ neo proferunt, tanti sane non sunt „ ponderis, ut fidem promereantur. „ Quidquid vero sit, certum tamen est, „ hujus legis statuendæ, Ecclesiæ cau- „ sam non defuisse convenientem: hoc „ hoc enim, inquit Sanctus Thomas, „ 3. p. q. 83. art. 3. ad 5. *competit signifi-* „ *cationi hujus sacramenti: tum quia al-* „ *tare significat Christum: dicitur autem* „ 1. *Corinth.* 10. *v.* 4. *Petra autem erat* „ *Christus: tum etiam, quia Corpus Chri-* „ *sti in sepulchro lapideo fuit recondi-* „ *tum: competit etiam quoad usum Sacra-* „ *menti: lapis enim & solidus est, & de* „ *facili potest inveniri ubique &c.* „

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCCL.

De Cæremoniis ſacrificii Miſſæ. An ſint neceſſariæ? An ſint præceptivæ, & quatenus obligent? An ſint directivæ, & quatenus non obligent?

Ntequam ad Diſſertationis, quæſita deveniamus, juxta noſtram conſuetam methodum errores referimus, quos Hæretici contra ſacrarum cæremoniarum in ſacrificio Miſſæ adhibendarum, uſum adinvenerunt, hoc in loco referimus. Et quidem illos adducimus, qui ſunt contra altarium conſecrationem & uſum ad divinum ſacrificium.

Primo, Ariani probro ac contumeliæ habuerunt altaria per obſcænos geſtus, & impudicas cantiones, fædaſque membrorum inflectiones. Teſtatur Athanaſius in epiſtola ad omnes Orthodoxos; & confirmat Nazianzenus in oratione in laudem Heronis.

Secundo, Julianus Apoſtata cum eſſet in templo adverſus ſacram menſam minxit, atque Euyojo, eum prohibere conanti, colaphum infregit. Refert Theodoretus lib. 3, hiſtoriæ cap. 11.

Tertio, Euſtathius altaria ſubvertit, & in privata menſa munus peregit. Teſtis eſt Baſilius epiſt. 72.

Quarto, Donatiſtæ altaria Dei fregerunt, raſerunt, ſubmoverunt. Refert Optatus Milevitanus. lib. 6.

Quinto, Manichæi habuerunt pro Paganis & Idololatris Catholicos, eo quod in memoriis Martyrum aras conſtruerent, & erigerent. Habemus ex Auguſtino contra Fauſtum lib. 20. cap. 4. & 21.

Sexto, Meſſaliani deſpiciunt Eccleſias & altaria, quaſi eos, qui pietatem profitentur, non deceat eccleſiaſticos cœtus, & ſacrificia celebrare, eis precibus contentos, quas ipſi in ſuis oratoriis fundunt. Teſtes ſunt Damaſcenus, & Nicetus, de illorum hæreſi.

Septimo, Petro-bruſiani dicebant, nihil differre templum a taberna, aram ab ara ſacra; & ubi poterant, templa & altaria ſubuertebant. Habetur ex Petro Cluniacenſi in epiſtola contra eos ſcripta.

Octavo, Albigenſes dixerunt, eſſe idololatriam Sanctis altaria erigere. Narrat Cæſarius Heiſterbach lib. 5. cap. 22. Qui etiam refert, quod quidam Tholoſanus juxta altare majoris Eccleſiæ ventrem ſuum purgavit, & palla altaris ipſas immunditias deterſit: & quod cæteri Albigenſes, furori furorem adjicientes, ſcortum ſupra altare ſacrum poſuerunt.

Nono, Thaboritæ in omnibus paſſim locis ſacramentum conficiunt: altare unicum habent, neque conſecratum, neque conſecrandum, ex quo ſacramentum plebibus exhibent. Teſtis eſt Æneas Sylvius in epiſtola 130.

Decimo, de Novatoribus poſteriorum temporum hæc refert Coccius in theſauro tom. 2. lib. 6. art. 9. „ Martinus „ Lutherus libro de formula miſſæ pro „ Eccleſia Wittembergenſi: Ubi licen„ tia fiebat addendi & mutandi, prout „ cuivis libebat, accedente tum ei que„ ſtus, & ambitionis ſacerdotalis ty„ rannide, tum cœperunt altaria illa „ & inſignia Baal, & omnium Deorum „ poni in templum Domini per impios „ Reges noſtros, ideſt, Epiſcopos & „ & Paſtores. Joannes Oecolampadius „ in reſponſione ad confeſſionē Lutheri „ parte 3. ſi Miſſaticum illum veſtitum „ & al-

„ & altaria reservemus, perinde est ac „ si Israelitæ olim idolorum altaria „ retinuissent, quamvis idolis non sa„ crificarent amplius. Cum Missas abo„ minemur, in quem usum quæso sa„ crilegas istas & impias lapidum con„ geries & strues retinebimus? Petrus „ Martyr, contra Gardinerum part. 3. „ Responsione ad objectionem 16. pag. „ 710. contendit nullum debere altare „ esse in Ecclesia. Joannes Calvinus „ lib. 4. Instit. cap. 18. §. 12. Mensam „ nobis dedit Deus, in qua epulemur: „ non altare, super quod offeratur vi„ ctima. Theodorus Beza epist. 8. Qui „ non existimaverit ἀνάστασιν esse sive al„ taris sive mensæ alicujus usum? Ita„ que introducta sunt paulatim pro „ mensis altaria, quòd nimirum vul„ gares mensæ tam angustis sacris non „ convenire viderentur. Atqui primam „ hanc occasionem arripuit Satan sa„ cræ illius actionis in sacrificium μετα„ σχημ. transformandæ, & Christi mor„ tis, quæ ibi annuntiatur, fœdissime „ conculcandæ. Joannes Casimirus, Co„ mes Palatinus, in Reformatione „ ecclesiastica art. 8. Loco altarium in „ Ecclesia ligneæ mensæ constituan„ tur. „

Undecimo, contra vasa sacra, calices, patinas &c. hos errores Hæretici evomuerunt, & has contumelias effutierunt. „ Ariani sacra vasa teme„ rabant, & polluebant; Athanasius „ in vita Antonii. Julianus Apostata „ impuris manibus ausus est sacra vasa „ contingere, auferre, illis inversis, „ & super pavimentum collocatis insi„ dere. Chrysostomus in Babylam, So„ zomenus lib. 5. cap. 5. & dixit: quam „ sumptuosis vasis Filio Mariæ mini„ stretur. Sozomenus lib. 3. cap. 6. Do„ natistæ sacros calices fregerunt, & „ vendiderunt. Optatus lib. 6. Habda„ las, Saracenorum Princeps Ecclesia„ rum vasa abstulit, & Judæis vendidit. „ Anastasius Bibliothecarius lib. 22. Mi„ scel. Waldenses calices, patinas, va„ saque hujusmodi nihil habere mo„ menti asserunt. Æneus Sylvius de „ Bohemis cap. 38. Albigensium per„ versitas adeo divinam contempsit se„ veritatem, ut sacra vasa & calices in „ despectum Corporis & Sanguinis Do„ mini enormiter dehonestarent. Mat„ thæus Parisius de anno 1213. Joannes „ Casimirus Comes Palatinus in Refor„ matione suarum Ecclesiarum articu„ lo 6. Omnes calices, quos charissi„ mus frater noster Ludovicus Prin„ ceps Elector Ecclesiis concessit, re„ moveantur, & nostro ærario appli„ centur, eorumque loco argentei scy„ phi restituantur. „

Duodecimo, sacras vestes improbabant Hæretici, ut sequitur apud Coccium art. 14. „ Pelagiani gloriam vestium „ & ornamentorum, Deo dicebant esse „ contrariam. Hieronymus lib. 1. ad„ versus Pelagianos. Vandali in Africa „ de sacris pallis & vestimentis vestes „ sibi fecerunt. Sigebertus de anno „ 450. Proclus Vandalus de pallis al„ taris sibi camisia & fœmoralia facie„ bat. Victor Uticensis lib. 1. de perse„ cutione Vandalica. Waldenses sa„ cerdotales vestes, altarium orna„ menta, pallas, & corporalia, nihil „ habere momenti asserunt. Æneas „ Sylvius de Bohemis cap. 55. Zisca, „ Hussitarum Dux, sacerdotes suæ se„ ctæ non permittebat more prisco „ Missas in habitu sacerdotali & vesti„ bus sacris celebrare. Joannes Co„ chlæus lib. 5. histor. Hussiticæ. Pic„ chardorum sacerdotes cum officia „ Missarum celebrant, absque ullis id „ sacerdotalibus vestibus faciunt. Joan„ nes Schechta, Bohemus, epistola ad „ Erasmum. Lutherus in Confessione: „ Vestes Missaticas, templorum orna„ tus, & alia quæcunque hujus generis „ sunt indifferentia, & proinde libera „ esse judicamus: si quis volet, illa per „ me licet deferat. Oecolampadius ad „ Lutheri Confessionem Responsione „ 3. Si Missaticum vestitum & altaria „ reservemus, perinde est ac si Israeli„ tæ olim idolorum altaria retinuis„ sent, quamvis idolis non sacrifica„ rent amplius. Quisquis superstitionis „ instrumenta retinenda esse docet, is „ etiam Pontificem exspectare, & op„ tima quæque sperare jubet, donec „ regnum ipsius restituatur in integro. „ Zuinglius in expositione fidei Chri„ stianæ, describens formam Cœnæ, „ qua in Helvetia sui utuntur: Deinde „ prodit; pastor cum duobus ministris, „ qui omnes convertuntur ad popu„ lum, ita ut Pastor, sive Episcopus, in „ medio illorum stet, non alia veste, „ quam quæ vulgo usitata est honestis „ viris & ministris Ecclesiæ. Confessio „ Wittembergensis capite de cœremo„

„ niis

„ niis Eccleſiaſticis: Non licet veteres „ Eccleſiæ ritus reſtaurare: quod genus univerſa panoplia veſtium Miſſalium, quam ajunt adumbrare totam „ paſſionem Chriſti. „

Dicimus 1. Cœremonias in ſacrificio miſſæ eſſe neceſſarias.

I. probatur ex Pontificibus Romanis. *Leo Magnus epiſt. 88. A multis lacrymabili vultu nobis relatum eſt, quod quidam Germaniarum & Galliarum urbium Epiſcopi, frequenter Chorepiſcopos vel Presbyteros deſtinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicaſque conſecrarent. Ne ultra talis a vobis licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum apertuit, ſcientes quia ſicut Chorepiſcopo vel Presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio.* Eadem habent Hormiſda apud Gratianum diſt. 1. de conſecratione; Felix IV. epiſt. 1. Innocentius III. ſerm. 2. in dedicatione Eccleſiæ.

II. probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. de ſacrificio miſſæ cap. 5 *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli; propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore, in miſſa pronuntiarentur, inſtituit. Cœremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, & apoſtolica diſciplina & traditione; quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Canone vero 7. ejuſdem ſeſſ. Novatores ferit his verbis: *ſi quis dixerit, cœremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam officia pietatis; anathema ſit.* Verum his in præſentiarum ſuppoſitis, ad rem noſtram proprius accedimus. Præceſſerant Concilium Tridentinum alia Concilia antiquiora, & præcipe Nicænum I. inter diatipoſes, quæ in fragmentis Synodi inveniuntur, ubi legitur: *In hac divina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollentes mentem, fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a ſacerdotibus immolatum.* Concilium Laodicenſe, habitum anno 368. can. 19. *ſolis licet ſacratis ad altare accedere & communicare.* Et can. 44. *non oportet mulierem ad altare ingredi.* Concilium Turonenſe II. anno 570. cap. 4. *Ut laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter Clericos tam ad Vigilias, quam ad Miſſas, ſtare penitus non præſumant: ſed pars illa, quæ a cancellis verſus altare dividitur, choris tantum pſallentium pateat Clericorum.* Iterum Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 13. ſtatuit; *ne quis miniſter pro libito præſcriptos ritus omittat, aut in novos per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem immutet.*

III. probatur ex Patribus. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio: *Per id tempus, & Angeli Sacerdoti aſſident, & cœleſtium Poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tunc peragitur. Ego vero & commemorantem olim quendam audivi, eum diceret, ſenem quendam virum admirabilem, ac cui revelationum myſteria multa fuiſſent, divinitus detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum eſſe a Deo, ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem comperiſſe fulgentibus veſtibus induterum, altare ipſum circundantium.* Cyrillus Alexandrinus de adoratione in ſpiritu & veritate lib. 13. *Dum illa incruenta hoſtia conſecratur, novus Diaconi ſacratiora vaſa ferunt, & accuratam in omnibus rebus neceſſariis obſervantiam exhibent?* Ambroſius lib. 2. officiorum cap. 28. *In neceſſitate pro redimendis captivis vaſa eccleſiaſtica etiam initiata confringere, conflare, & vendere licet. Opus eſt, ut de Eccleſia myſtici populi forma non exeat, ne ad uſus nefarios ſacri calicis miniſterium transferatur. Ideo intra Eccleſiam primum quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent, deinde comminuta, poſtremo conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus; captivorum quoque pretiis profecerunt. Quod ſi deſunt nova, & quæ nequaquam initiata videantur: in hujuſmodi uſus, quos ſupra diximus, arbitror omnia poſſe converti.* Euſebius lib. 10. hiſtoriæ cap. 3.

me-

memorat dedicationum Ecclesiarum festivitates, populorum lætitiam, & splendorem festi, his verbis: *Post hæc votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & oratoriorum recens structorum consecrationes: ad hæc Episcoporum conventus, Peregrinorum ab externis & procul disitis regionibui concursus, populorum mutua inter se caritas ac benevolentia, cum membra Corporis Christi in unam compagem coalescerent.... Jam vero Antistitum absolutissimæ cæremoniæ, & accurata sacrificia sacerdotum, & divini quidam augustique Ecclesiæ ritus, hinc psalmos canentium, & reliquas nobis traditas voces auscultantium, illinc divina & arcana obeuntium ministeria.*

Dicimus II. Inter cœremonias missæ, alias esse præceptivas, quæ ad peccatum obligant non observantes illas: alias vero esse directivas, quæ non obligant.

Conclusio probatur ex Ecclesiæ determinatione in Rubricis missæ, in quibus ipsæmet rubricæ dividuntur in præceptivas & directivas; ut in Missali legitur. Probatur etiam ex communi Theologorum consensione, qui eodem modo dividunt Rubricas in præceptivas & directivas. Denique omnium Ecclesiarum concordia probat, ut eædem cœremoniæ tanquam ubique observatæ, ab omnibus pariter exequutioni demandentur.

Arguunt I. Apostoli missæ sacrificium celebrantes, peculiares vestes non adhibebant: ergo Ecclesia peculiares vestes adhibens, ab Apostolorum instituto recesit. II. Non conveniunt Ecclesiæ Latina & Græca in cœremoniis missæ: ergo aut una, aut altera errat. III. Multi probant cœremoniarum usum ex Liturgiis; sed multi etiam Catholici Liturgias rejiciunt, velut suppositities, erroneas, & apocryphas: ergo inanis est probatio. IV. Primis Ecclesiæ temporibus nullæ erant Liturgiæ, saltem scripto traditæ; unde ait Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 27. *Verba sacra invocationis in consecratione panis & calicis, qui Sanctorum nobis scripto tradidit?*

Respondemus ad I. negando antecedens; semper enim Ecclesia distinctionem adhibuit inter vestes sacras & prophanas: prophanæ erant, quas in usibus civilibus adhibebant: sacræ vero, quibus utebantur sacra peragentes: & hoc ex nostrorum Scriptorum communi sensu patet, & nos in Dissertationibus nostris alias citatis probavimus.

Ad II. negatur pariter antecedens; & ratio est, quam asserit Author Anonymus sæpe a nobis laudatus: *Etsi enim aliqualis eorum, voce tenus, & quantum ad precum dispositionem discrepantia sit, in iis tamen plene consentiant, quæ præcipua & necessaria sunt, scilicee in oblatione, consecratione, hostiæ fractione, oratione dominica, Communione, commemoratione Sanctorum, oratione pro vivis & pro defunctis, lectione scripturæ sacræ, symboli recitatione.*

Ad III. Idem Author Anonymus dicit: *Quod enim in hac materia aliqui Catholici Scriptores decepti fuerint, nihil catholicæ veritati eorum hallucinatione detractum est: sicut enim veritas a cujusvis privati hominis approbatione non pendet: ita nec quorumdam negantium cæspitatione incauta efficitur: quod si quis inconsiderate contenderet cum nullo quantumvis aperta veritas sit, quæ non aliquos experta fuerit adversarios, in incertum omnia mitterentur: & ne principia quidem Religionis ac Philosophiæ naturalis in tuto essent.*

Ad IV. Idem Author Anonymus scribit: *Ut constet Liturgiarum auctoritas, non est necessarium, ut ab ipsis Ecclesiæ incunabilis scriptæ fuerint: sed sufficit ut primis temporibus incruentum sacrificium ritu ab Apostolis accepto sit celebratum; & deinde juxta eamdem formam sint scriptæ Liturgiæ; atqui hæc duo certissima sunt: nam S. Justinus, secundi seculi scriptor, ritum repræsentabat Eucharistiæ consecrandæ, qualis sua ætate vigebat, quem ab Apostolis acceptum declarat; atqui hic ritus per omnia similis est Liturgiis, quæ deinde scriptæ fuerunt, & ab universali Ecclesia approbatæ.*

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
VERBORUM, ET RERUM.

A

Accidentia in Sacramento Altaris quomodo exsistant sine substantia. Pag. 413. 82.

Accidentia, & Species indifferenter accipiuntur quoad Eucharistiam. 415. 100. Remanere in Eucharistia post Consecrationem, est de fide; probatur ex Romani Pontif. & Conciliorum auctoritatibus. *ibid.* 101. ex Patribus & rationibus Theologicis. *ibidem*. 102.

Accidentia Peripatetica quæ sint? & quo modo possint post Consecrationē remanere in Eucharistia. 415. 104.

Acetum an valide consecrari possit. 408. 53. & 54.

Adoratio Christi in Eucharistia impugnata ab Hostibus Fidei, & Hæreticis. 416. 115. probatur traditione, & ratione. *ibid.* 116. Variè olim adorata Eucharistia a sumentibus illam. *ibidem.* 118.

Agenda: Cur sic appellata Missa. 437. 239.

Agnus Paschalis figura Eucharistici Sacramenti. 411. 67. Figura Sacrificii Missæ. 438. 245. Adimpleta fuit non solum in immolatione Christi in Cruce, sed etiam in institutione Eucharistiæ, & in celebratione Missæ. 439. 251.

Agresta non est Vinum, unde in eo confici non potest Sacramentum. 408. 52.

Alexander Imperat. locum publicum a Christianis occupatum ad Ecclesiam construendam, ipsis adjudicavit. 449. 297.

Albigenses hæretici sic appellati, & quid assererent contra Eucharistiam. 410. 64.

Albigensium impietas in sacra Altaria. 450. 301.

Altare portatile in Castris habuit Constantinus Magnus, Imp. 443. 277.

Altarium dedicatio antiquissima est in Ecclesia. 449. 297. Devastabantur a Donatistis. *ibidem*. Tempore persecutionum erigebantur in cryptis, & locis abditis. *ibid.* 298. Altaria Græcorū, an Portatilia dicebantur; quæ *ibid.* Ornatus qualis. *ibid.* 99. An primitus lignea. *ibid.* 300. Modo lapidea esse debent. *ibid.*

Altaria Sacra ab hæreticis Novatoribus damnata. 450. 301.

Amentes qui capaces sint Eucharistiæ suscipiendæ. 429. 148.

Amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers, non requiritur ad Sacram Communionem. 434. 226.

Anaphora: quid, & cur hoc nomine appellata Missa. 437. 239.

Angeli visi assistentes ad Altare, a Sancto Chrysostomo relati. 416. 118. & 450. 303.

Aqua rejecta a Sacrificio Eucharistiæ, a quibus Hæreticis. 407. 43. Aquæ appellatione Baptisma semper significatum est. *ibid.* 45. Miscenda vino in Sacrificio solum ex necessitate præcepti ecclesiastici. 46. ex Conciliis & Patribus probatur. *ibidem.* Non est de Præcepto Divino. *ibid.* 47. Id Dominū fecisse, creditur ex traditione. *ibidem.* Quid per hanc mixtionem significetur. *ibid.* Non est de fide, sed anathema declaratur, qui negat faciendam hanc commixtionem. *ibid.* 48. Quomodo aqua in Christi Sanguinem transmutetur. 407. 49. An mediate, vel immediate transubstantietur. *ibid.* Neutram sententiam approbavit, vel reprobavit Ecclesia. *ibid.* 50. Dominicani, & Carmelitæ aquam Vino miscent antequam Missam exordiantur & cur. *ibid.* 50.

Aquarii hæretici Aquam pro Vino in conficienda Eucharistia adhibebant. 404. 23. 407. 45. Damnati a S. Jo. Chrysostomo. 407. 48.

Argumentum ab Observantiis legis Mosaycæ ad illas, quæ sunt in lege Evangelica, non valet. 423. 161.

Arianorum impietas erga Sacra Altaria. 450. 301.

Ariani Eucharistiæ adorationem inficiebantur. 416. 115.

Digitized by Google

Armeni Vinum ſine aqua in conficiendo Euchariſtiæ Sacramento adhibebant. 404. 23. Idem melius eſſe ſcripſit & Lutherus. *ibid.* Confectant in azymo. 406. 39. Cur aquam rejicerent in Sacrificio? 407. 43.
Arnoldus de Villanova quid contra Miſſæ Sacrificium ſenſerit. 437. 242.
Artotyricæ Panem, & Caſeum materiam Euchariſtiæ eſſe dicebant. 404. 22.
Attentio in Communione qualis requiratur ad percipiendum effectum Sacramenti. 434. 226.
Averroes Philoſophus Chriſtianam Fidem averſatur, quod Chriſtiani Deum ſuum devorarent. 416. 115.
Azyma quid apud Judæos ſignificabant. 405. 36. Objecta de eo contra Latinos quod conſecrent in Azymo diluuntur. *ibid. Vid. Græci*, & *Conſecratio*. Uſus Azymi quæ myſteria contineat. *ibid.* 37.

B

Baſilica quid, & cur dicatur Eccleſia, 449. 295.
Benedictio panis, & vini peracta a Chriſto Domino ante conſecrationem, ſufficiens fuiſſet ad converſionem in Corpus, & Sanguinem ſuum, ſed ipſe voluit per formam, & verba id conficere. 409. 60.
Berengarius aſſerebat in Euchariſtia non eſſe veram, & realem Chriſti præſentiam, ſed ejus ſolummodo figuram, & imaginem. 410. 63. 416. 116.
Berengarii Hæreſiarchæ abjuratio in Synodo Romana ſuorum errorum circa Sacramentum Euchariſtiæ. 403. 19.
Berengarii diſcipulorum error, Corpus Domini in Euchariſtia non manducari ab indigne ſumentibus. 424. 162.
Bogomili hoſtes Sacrificii Miſſæ. 437. 242.
Bohemis uſus Calicis ſublactus a Concilio Conſtantienſi. 430. 201. An Paulus III. id illis reſtituerit. *ibidem.*
Brentius Hæreticus contra Miſſas privatas ſcripſit. 443. 276.
Bucerus Apoſtata contra Euchariſtiam. 410. 65.

C

Cæremoniæ in Sacrificio Miſſæ ſunt neceſſariæ. 450. 303. Probatur ex Conciliis & Patribus. *ibidem.* Aliæ ſunt præceptivæ, quæ ad peccatum obligant; & aliæ directivæ, quæ non obligant ſub mortali. *ibid.* 304. Errores hæreticorum contra Cæremonias Miſſæ, *ibid.* 301.
Calicis Uſus in perceptione Euchariſtiæ. *Vide Communio ſub utraque ſpecie.* & 429. 192. & ſeqq. Exempla antiquitatis Communionis ſub utraque ſpecie an prævaleant. 430. 197. An poſſit a fidelibus peti, & impetrari? *ibid.* 201. Non eſt expediens ut reſtituatur. *ibid.* 202. An Clemens PP. VI. id conceſſerit Regnis Angliæ, ſeu Galliæ. *ibid.* 203.
Callius ſuo ſyſtemate deſtruit tranſubſtantiationem in Euchariſtia. 415. 111.
Calvini Errores circa Euchariſtiam. 403. 12. Tenet idem eſſe conſecrare in azymo, ac in fermentato. 405. 36. Circa formam Conſecrationis. 409. 55. Per Euchariſtiam, 410. 65.
Calvini error circa Communionem ſub utraque ſpecie. 429. 191. Inconſtantia circa aſſertum, quod remittat Euchariſtia peccata mortalia. 433. 216. Horrenda ſcripſit contra Miſſæ Sacrificium, 437. 243.
Caroloſtadius Hæreticus, & ejus errores circa Euchariſtiam. 410. 65.
Capharnitæ Hæretici negabant realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. 410. 61.
Carteſii, & aliorum recentium Philoſophorum hypotheſis, deſtruit ſpecies panis, & vini in Euchariſtia. 415. 110. Objecta pro Carteſio ſolvuntur. *ibidem*, 114.
Caſtitas eſt effectus Euchariſtiæ in illam digne ſumentibus, 435. 232.
Cataphrygæ, ex Montano orti hæretici, Sanguinem pro conficienda Euchariſtiæ materia, ex puero vulneribus extracto, conficiebant, 404. 23.
Chriſtianos omnes eſſe Sacerdotes, quo ſenſu dixerit Tertullianus. 418. 138.
Chriſti realis præſentia in Euchariſtia non poteſt impoſſibilis probari ex humana ratione, & ſenſuum judicio. 413. 80. Probatur præſentia realis ex conſenſione utriuſque Eccleſiæ Occiden-

Digitized by Google

talis; & Orientalis. *ibid.* 83. & 84. Ex Moscovitis, Melchitis, & Syris, & Armenis. *ibid.* 85. Quomodo probetur etiam ex Gentilium loquendi modo. *ibid.* 87.
Christus sumitur spiritualiter cum auditur Verbum ejus. 412. 79.
Christi realis præsentia in Sacramento Eucharistiæ procedens ex figuris Veteris Testamenti. 411. 66. Ex Promissionibus Christi. *ibid.* 68. Ex verificatione Figurarum, & Promissionum. *ibidem.* & seqq. Caro Christi est realiter in Eucharistia per proprietatem. *ibid.* 71. Probatur præsentia Christi ex Traditione. 412. 73. Ex Præscriptione. *ibid.* 76. Ex consensu SS. Patrum. *ibid.* 76. Novatores contra Traditionem realis præsentiæ Christi in Sacramento refelluntur. *ibid.*
Christus Dominus multa per Apostolos præcepit Fidelibus, quæ per se ipsum non jussit. 403. 18. Consecravit in pane triticeo. 404. 25. In Azymo. 405. 33.
Christus Dominus an in Azymo, vel in fermentato consecraverit. 405. 31. An celebraverit Cœnam legalem tantum, vel etiam communem. *ibid.* In Azymo consecrasse probatur ex Scripturis. *ibid.* 32. & Pontificis auctorit. 33. Rite celebrasse pascha Dominum probatur contra Objecta. *ibid.* 34. In Eucharistiæ institutione verba formæ, non solam interiorem, & occultam benedictionem adhibuit. 409. 57.
Christus Dominus an se ipsum communicaverit in ultima Cœna. 440. 260.
Christus in Sacrificio Missæ est principalis Sacerdos offerens. 442. 272. Et simul Sacrificium. *ibid.* 273. Quare dicatur principalis offerens. *ibid.*
Clerici minores Diaconis aliquando Eucharistiam ministrarunt. 419. 142.
Cœna Domini cur dicatur Eucharistia. 401. 3.
Collecta: Cur Missæ Sacrificium a Latinis appellatum. 437. 239.
Collyridiani præcipue in Mariæ nomen panem offerebant. 418. 134.
Comedere peccata populi dicebantur Sacerdotes, qui comedebant Victimas pro peccatis oblatas. 436. 237.
Communicare absque confessione, deficiente Confessario, quando quis possit. 425. 169.
Communio cur appelletur Eucharistia. 401. 3.
Communionis Præceptum est Divinum, & Ecclesiasticum. 427. 183. Urget maxime in vitæ periculo. *ibid.* 183. Qui arcendi sunt a Communione. 428. 184. Ad frequentem usum ejus quæ requirantur. *ibid.* 185. Frequens usus in Ecclesia primis seculis qualis. *ibid.* 186.
Communionis frequens usus commendatus, & exoptatus in fidelibus a Conciliis, & Patribus. 428. 187; & seq. Desiderium illius non sufficit. 185.
Communio sub utraque specie non est de Præcepto Divino, unde varia fuit Ecclesiæ fuit disciplina. 429. 189. Errores diversorum hæreticorum super hoc. *ibid.* 190. Sententiæ Catholicorum. *ibid.* 191. Nulla antiquitus fuit lex circa Communionem sub utraque specie. *ibid.* 192. Varius usus antiquitus. *ibid.* & seq. Legitime mota fuit Ecclesia ad prohibendum Laicis usum Calicis. *ibid.* 194. Præceptum Christi de Calice quibus directum tantum fuit. *ibid.* 195. Major gratia non recipitur a sumentibus Eucharistiam sub utraque specie, quam a sumentibus sub una. *ibid.* 196. Ecclesia potest usum Calicis Laicis restituere. 430. 200.
Communionis sub utraque specie exempla antiquitatis an prævaleant. 430. 197. Exempla antiqua Communionis sub una specie. *ibid.* 198.
Communio Laica quid? 431. 204. & seq. præscripta olim Presbyteris & Clericis ex delicto. *ibidem*. Etiam Episcopis. *ibid.* 205. Non est Communio sub utraque specie. *ibid.* 207.
Communio Peregrina quid? 431. 208. Etiam Episcopi ea mulctabantur. *ibid.* Non est Communio, neque sub una, neque sub utraque specie. *ibid.* 290. & 210.
Communio Sacrilega, quale, & quantum peccatum. 434. 227. An sit gravius omnibus, quæ contra Creaturas committuntur. *ibid.* 229.
Concomitantia naturalis, & supernaturalis, quæ est in Eucharistia. 414. 99.
Confessio an de præcepto mero humano, vel divino, sit præmittenda Communioni. 424. 167. Copia Confessarii, quando dici possit non dari. *ibid.* 425. 168. *ibid.* 170.
Conjugati, si solius voluptatis causa commiscentur, venialiter peccant. 434. 224.

Digitized by Google

Conjugati an absque culpa saltem veniali accedere possint ad sumendam Eucharistiam, qui conjugalem copulam præcedenti nocte habuerunt. 423. 158. Objecta solvuntur. *ibid.* 159. Actus conjugalis, etiam ob voluptatem exercitus, non impedit Eucharistiæ communionem. *ibid.* 161. Illud Apostoli ad Cor. 7. *Nolite fraudari invicem &c.* est consilium, non præceptum. *ibid.* 161.

Consecratio formalis Sacramenti Eucharistiæ. 403. 19.

Consecratio. Christus an in Azymo, vel in Fermentato consecraverit. 405. 32. Valida est in utroque. *ibid.* 32. Latinis non licet consecrare in fermentato, nec Græcis in azymo. *ibid.* 36. An in Ecclesiis Orientali, & Occidentali semper in fermentato vel in azymo. 406. 38.

Consecratio Oblatorum in ordine ad eorum consumptionem constituit Essentiam Sacrificii Eucharistici. 440. 259. Objecta diluuntur. *ibid.* 260.

Consecratio non potest fieri in Agresta, vel in Broto. 408. 502. neque in aceto. *ibid.* 53. valida est in musto. *ibid.*

Consubstantiatores hæretici asserentes utramque panis, & corporis Christi substantiam in Eucharistia consociari. 414. 91.

Consuetudines circa consecrationem in azymo, vel fermentato, ab Ecclesia, sive Occidentali, sive Orientali retinendæ. 405. 36.

Convivium, in quo promiscue pauperes ac divites reficiebantur, fiebat a primis Christianis, quod Cœnam Apostolus dixit. 443. 278.

Contritio absque Confessione peccati mortalis, quando sufficiat ad percipiendam Eucharistiam. 425. 169. An quis eam elicere de peccato oblito in confessione, teneatur antequam communicet. *ibid.* 170.

Corporale non licet in incendium projicere ut extinguatur. 417. 133.

Corpus Christi quomodo sit in Cœlo circumscriptive, & in plurimis hostiis & locis definitive, & sacramentaliter. 413. 81. Datum a Christo in figuram Passionis suæ, non vero Corporis contenti sub speciebus illis. *ibid.* 86.

Corpus Christi in Eucharistia quo modo existat. 414. 90. Variæ opiniones inter Catholicos. *ibid.* 92. Fit per Transubstantiationem totius substantiæ panis, & vini, in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi. *ibid.* 93.

Corporis Christi Festivitas instituta ab Urbano PP. IV, & confirmata in Concilio Viennensi. 417. 124. Cur fuerit instituta. *ibidem*. Causæ particulares hujus institutionis. *ibid.* 125. Antea revelata quibusdam Virginibus Ledii. *ibid.* 126. Solvuntur Objecta contra hanc Institutionem. *ibid.* 127.

Corporis Christi Expositio publica a quo instituta, & per quid. 417. 130. Objectiones contra laudabilem hunc Ecclesiæ ritum solvuntur. *ibid.* 131. Conditiones, quæ ad Expositionem publicam requiruntur. *ibid.* Ut frequens fiat. 132. Requisita ut decenter fiat. *ibidem.*

D

Damnati æternaliter non sunt capaces Sacrificii Missæ. 441. 65.

Debitum matrimoniale quoad suscipiendam Eucharistiam. Vide *Conjugati*.

Dedicationis Ecclesiarum ritus antiquissimus. 450. 304.

Definitiones seu descriptiones variæ Sacramenti Eucharistiæ. 401. 4.

Defuncti in Purgatorio solvi possunt a peccatis, & pro iis Missa offertur Deo. 441. 265. Non possunt participare de Eucharistia, ut est Sacramentum, utique vero ut est sacrificium. *ibidem*. 269.

Diaconi an aliquando potestatem consecrandi Eucharistiam sibi arrogaverint. 419. 139. Sunt Ministri dispensationis ejusdem extraordinarii. *ibid.* Non autem ordinarii. *ibid.* 140. 141. Non præsidebant Plebibus seu cœtibus Christianorum. *ibid.* Græci, præsertim Monachi Diaconi, solent secum portare dum peregrinantur per loca Turcarum Eucharistiam ad ægrotos. *ibid.* 144.

Dispensatio Dominici Sanguinis lato modo potest dici Consecratio. 418. 138. Potest fieri extra Missæ celebrationem, & quibus conditionibus. *ibidem*. Ministri extraordinarii sunt Diaconi. 419. 139.

Distractione, quæ sit expresse voluntaria, impeditur effectus Eucharistiæ. 434. 226. & seq.

Digitized by Google

Dominicum: Cur sit appellata Missa a Latinis. 437. 234.
Donatistæ Eucharistiam tantum confectam a Catholicis projiciebant. 402. 5.
Donatistæ quomodo adorationem Eucharistiæ negarent. 416. 116.
Donatistæ hæretici Altaria evertebant. 449. 297.
Donatistæ Altaria frangebant, & submovebant, radebantque. 250. 301.
Durandi error circa transubstantiationem in Eucharistia. 414. 98.

E

EBionitæ non abstinuerunt a celebratione Eucharistiæ, sed adhibebant aquam solam. 406. 42.
Ecclesia, quot aliis nominibus appellatur. 449. 295. Quid Ecclesia. *ibid.*
Ecclesia Universalis nunquam intermisit Eucharistiæ celebrationem propter hæreses Ebionitarum, & Quartodecimanorum. 406. 42.
Ecclesia, & Populus offerunt Sacrificium Missæ, sed non sunt Ministri, quia offerunt per Sacerdotem, qui est Minister. 442. 274.
Ecclesia Latina per sex secula priora & azymum, & fermamentum indiscriminatim adhibuit. 406. 40. a quo seculo usus Agni in ea. *ibid.* 41.
Ecclesia Romana Sacrificii ritum accepit a SS. Apostolis Petro, & Paulo, 406. 42.
Ecclesia Portatilis. 449. 295.
Ecclesiæ Orientales omnes per sex secula panem fermentatum consecrabant. 406. 39. Patriarchæ Alexandrinus & Hierosolymitanus cur aliquando in Azymo consecrarent. *ibid.* 40.
Ecclesiarum Dedicatio antiquissima est in Ecclesia. 449. 297. Tempore persecutionum fiebant in cryptis, & abditis locis. *ibid.* 298. Quæ ad ornatum adhibenda. *ibid.* 399.
Ecclesiæ pollutio, quot & quibus ex causis. 449. 298. Diversa est pollutio ab Execratione. *ibid.* 299.
Episcopi Communione laica aliquando ob delicta mulctabantur. 431. 205. & Communione peregrina. *ibid.* 208.
Episcopi, & Presbyteri proprie in Ecclesia vocantur, & sunt Sacerdotes. 418. 137.
Eucharistia omnium Christi miraculorum maximum. 401. 1. Ejus Nomina, & Epitheta apud Patres. *ibid.* 2. Quid hoc nomen Eucharistia. *ibid.* Ejus variæ definitiones. *ibid.* 4.
Eucharistia. An sit Sacramentum. 402. 5. Hæretici quid de eo sentiant, & senserint. *ibid.* Probatur ex Scripturis, & Conciliis. *ibid.* 6. Ex Patribus Græcis, & Latinis. *ibid.* 7. Ex Scholasticis Veteribus. *ibid.* 8. Rationibus. *ibid.* 9. Objecta contra Eucharistiam diluuntur, 402. 10.
Eucharistia. An physice vel moraliter causet gratiam. 402. 10. In quo differat Eucharistia a Confirmatione in causando gratiam. *ibid.* 11. An sit Sacramentum permanens vel transiens. 403. 12. Probatur esse permanens ex Scripturis. *ibid.* Ex Traditione, & auctoritate Romanorum Pontificum. 13. Ex Conciliis, & Patribus Græcis. 14. Ex Patribus Latinis. 15. Ex Veteribus Scholasticis. 16. Rationibus. 17. An priscis temporibus asservaretur. 403. 17. 18. & seq. Quatuor considerandæ in Eucharistia. *ibid.* 19. In quo ratio formalis Eucharistiæ consistat. *ibidem*.
Eucharistia. Ejus materia quæ. 404. 21. Cur panis, & vinum. *ibid.* Fœdissima ac turpissima veterum hæreticorum inventa circa materiam Eucharistiæ. *ibid.* & seqq. Qualis esse debeat panis. 404. 23. Probatur ex Conciliis, & Patribus. *ibid.* 24. Non sufficit materia determinanda. *ibid.* 25. Præter panem, & vinum nihil aliud offerri licet ad consecrationem Eucharistiæ. *ibid.* Quantitas panis consecrandi quæ 404. 28. Præparatio materiæ consecrandæ apud Græcos. *ibid.* 30.
Eucharistia mitti solita ad absentes Presbyteros. 406. 40. Adorari debet. 416. 116. Vere & rite servari ad adorationem; vel ad administrationem. *ibidem*. 119.
Eucharistia olim Romæ a Summis Pontificibus servabatur, ut ad distantes Episcopos mitteretur in signum communionis Ecclesiasticæ. 416. 120. Sæviente Persecutione domum fideles asportabant, ut ea quotidie se reficerent. *ibid.* Servabatur in domibus ut præsenti populo dispensaretur, & ad absentes deferretur. *ibid.* 121. Objecta contra usum servandæ Eucharistiæ in Ecclesia solvuntur. *ibid.* 122.
Eucharistia non est deferenda ad incendium extinguendum, vel sedandas aeris

aeris procellas ac tempestates. 417. 133.
Eucharistia non ministranda a Diaconis nisi de licentia. 419. 141. Ritus apud aliquos recipiendi eã in manu dextera. *ibi.* Alia materia etiam auro præter nudam manum illam suscipere, vetitũ. *ibid.* 142. Quot modis suscipi possit. 420. 144. Potest ministrari extra Missæ celebrationem & quibus conditionibus. 418. 138. Ministri extraordinarii sunt Diaconi. Vid. *Diaconi.*
Eucharistia olim Infantibus ministrata. 420. 145. A tertio seculo viguit hæc Disciplina usque ad XII. *ibid.* Id moris nunc etiam apud Græcos. *ibid.* 146. Objecta in contrarium diluuntur. *ibi.* 147. Cur hæc disciplina apud Latinos fuerit immutata. *ibid.* Cur olim negata Energumenis, nunc vero dispensetur. *ibid* Amentibus qualiter neganda vel concedenda Eucharistia. 420. 148. Mortuis non est danda, & cur. 421. 149. Suspensa super Altare, Columbæ aureæ inclusa. *ibid.* An damnatis ad mortem sit concedenda Eucharistia. *ibid.* 150. Circa id varia praxis, diversarum regionum. *ibid.* 151. An quibuscumque morituris danda, vel neganda. *ibid.* 152. An ministranda conjugatis, qui nocte præcedenti copulam conjugalem habuerunt. 423. 158.
Energumeni olim Sacra Communione privati, modo ea reficiuntur, & cur. 420. & 147: & seq.
Eucharistiæ Status non mutatur quoad digne vel indigne sumentes 424 162. Requiritur Status gratiæ in sumente. *ibid.* 163. Habet diversum finem a Baptismate, & Pœnitentia. *ibid.* 165. Dabatur Neophytis immediate post Baptismum. *ibid.* Confert gratiam gratum facientem. *ibid.* Quomodo Perceptio ejus sit in remissionem peccatorum. *ibid.* 166.
Eucharistiam suscipiens cum Conscientia peccati, quomodo peccet. 424. 166. An possit dari casus, in quo quis possit sumere Eucharistiam cum Conscientia peccati mortalis. 425. 168.
Eucharistia nonnisi a jejunis percipienda ex Apostolica Traditione. 426. 171. Cur. *ibid.* Fuit & est universalis consuetudo Ecclesiarum. *ibid.* 172. Objecta solvuntur. 173. Id Christus Ecclesiæ statuendum reliquit. *ibidem.* Abusus apud quasdam Ecclesias, super hoc semper damnati. *ibid.* Casus in quibus lex Jejunii in Communicantibus dispensatur. *ibid.* 174. Sine gravissima causa mortaliter peccatur.
Eucharistia an sit unum specie Sacramentum. 432. 210. Numero an multiplicari possit. *ibid.* 212. Unitas specifica vel numerita, aut pluralitas unde sit desumenda. *ibid.* Quomodo ob varios respectus modo appellatur unum Sacramentum, modo plura Sacramenta. *ibid.* 213. Per se non remittit peccata mortalia. 433. 216. & seq. An per se, & directe remittat peccata venialia. *ibid.* 217. 219. Vel producat primam gratiam sanctificantem. *ibid.* Præservat a peccatis futuris. *ibidem.* 219. Confert gratiam, & gloriam. 220. Quid efficiat in ratione Sacrificii, & Sacramenti. *ibid.* 223. Quæ effectus illius impediant. 434. 224.
Eucharistiæ susceptio realis, vel votum illius, non est de necessitate medii ad salutem. 427. 178. Hæretici contrarium tenentes. *ibid.* 177. Statuta super hoc a Pontificibus, Conciliis, & Patribus. *ibid.* 178. Objecta solvuntur. *ibid.* 179. & seqq. Est necessaria necessitate præcepti tum Divini tum Ecclesiastici. *ibid.* 182. Imminens Vitæ periculum pro Eucharistia recipienda fuit determinatum a Christo. *ibid.* 183.
Eucharistia. An remittat pœnam temporalem peccatis debitam, & quomodo. 435. 230. Prodest non solum Animæ, sed etiam Corpori, & quomodo. *ibid.* 231. Pharmacum Immortalitatis appellata. *ibid.* 232. Prodest etiam illam non sumentibus indirecte, & quomodo. *ibid.* 233.
Eucharisticum cur appelletur Sacrificium. 436. 237.
Eulogiæ quid? 406. 41. Eulogia est figurative Corpus Christi, sed non in omnibus. 412. 79.
Eulogia cur appelletur Eucharistia. 402. 3.
Eutychiani asserebant Carnem Christi absorptam fuisse per Divinitatem. 410. 62.
Excommunicati, quanvis a communione Ecclesiæ separati, possunt privatim commendari Deo in Missa, ut resipiscant. 441. 264.

Face-

Digitized by Google

F

FAcere accipitur pro sacrificare, 439. 252.
Fermentatum. Christus Dominus non in fermentato consecrasse probatur. 405. 32. Orientales Ecclesiæ per sex secula fermentatum consecrabant, 406. 39. Ecclesia Latina per sex priora secula indiscriminatim azymum, & fermentatum adhibuit. *ibid.* 40.
Fermentum an sit, vel intelligi debeat pro Eucharistia. 406. 41.
Figura debet respondere veritati in aliquibus, sed non in omnibus. 443. 278.
Figuræ non semper excludunt præsentiam rei. 411. 72. 413. 86.
Figuræ SS. Sacramenti Eucharistiæ in Veteri Testamento. 411. 67.
Forma Consecrationis quomodo prolata a Christo: Variæ Theologorum sententiæ exponuntur. 409. 55. & seq. Adhibita a Christo Domino cum interiori & occulta benedictione, *ibid.* 57. Probatur ex Patribus Græcis, & Latinis. *ibid.* 58. Quæ sint verba essentialia formæ, *ibid.* & 59.
Fructus, & Valor Missæ in quo differant. 346. 287. Triplex est. *ibid.* Fructum Missæ sibi propriũ an Sacerdos possit alteri communicare. 445. 286.

G

GAssendi hypothesis destruit species in Eucharistia. 415. 110. Objecta Gassendi diluuntur. *ibid.* 114.
Gentilibus Arcana quædam nostræ Religionis occulta. 413. 87. 88. Eorum criminationes in Christianos. *ibid.* Inter Arcana fuit etiam realis præsentia Christi Domini in Eucharistia. *ibid.* 89. 90. Impugnant adorationem Christi in Eucharistia. 416. 115.
Gentiles quanvis errarent in cognitione veri Dei, tamen vero Deo sacrificare intendebant. 436. 238.
Gloria Beatitudinis quid? & quomodo operetur per Eucharistiam. 433. 222.
Gnostici fœdissima excitarunt, ac turpitudinis plena circa Eucharistiæ dogmata materiam. 404. 21.
Græci de pane sive azymo, sive fermentato non curant in confectione Eucharistiæ, dummodo sit triticeus. 404. 25. Diversa eorum opinio an Christus sive in azymo, sive in fermentato consecraverit, 405. 31. & seq. Quando Schismatici Latinos Azymacos vocitare cæperunt, & ab Azymo abhorrere in consecratione. *ibid.* 32. Eis non licet consecrare in azymo. *ibid.* 36. An vere rejecerint aquam in Sacrificio. 407. 43. Schismaticorum Græcorum error circa formam consecrationis. 409. 55. Protestatio Græcorum in Concilio Florentino, quod crederent Eucharistiam confici per verba Christi Domini. *ibid.* 57.
Græci quidam Schismatici Eucharistiæ consecrationẽ uti in azymo invalidã (ut supponunt falso) negant. 416. 116.
Gratia sanctificans prima non confertur per ucharistiam, 433. 217. 219. Confert gratiam sacramentalem, & in quo hæc consistat. *ibid.* 220.

H

HÆretici Sacramentarii Catholicos Idololatras vocant, quod Eucharistiam adorent. 416. 116.
Henricus Apostata, a quo Henrico dicti Henriciani, quid sentiret contra Eucharistiæ Sacramentum. 410. 64.
Holocaustum erat perfectissimum Sacrificium, quia res tota consumabatur. 436. 226.
Hostia non consecrata nunquam, etiam indigne sumenti, est porrigenda. 422. 156.
Hostia quæ species Sacrificii in lege veteri. 436. 236. Hostia pacifica quæ. *ibid.* 237. Dividebatur in Latreuticum & Eucharisticum. *ibidem.*
Hugonis a S. Victore rationes pro veritate Sacramenti Eucharistiæ.
Humberti Card. mens explicatur de non servanda Eucharistia. 403. 18.

I

IConomachi quid de Eucharistia sentiebant. 410. 62.
Jejunium necessarium ante Communionem. 426. 171. Casus, in quibus dispensatur. *ibid.* 174. Debet esse naturale, & quid sit. *ibid.* Quæ non frangant Jejunium naturale. *ibid.* 176. Somnus an necessarius sit ad Communionem sumendam, vel ad celebran-

Digitized by Google

brandum. *ibid.* 176.
Impanatores dicti, qui asserebant in Sacramento fieri unionem hypostaticam Verbi Divini cum pane: & qui inventores hujus falsæ doctrinæ. 414. 91
Incendium ostensione SS. Sacramenti extinctum, sed id non est faciendum. 417. 133.
Infantibus, & pueris jejunis olim reliquiæ Corporis Christi dabantur sumendæ. 403. 17. & 18. Quæ igne consumendæ. *ibid.* 17. 404. 29.
Innocentius IV. gratis asseritur dispensasse cum Septemprionalibus, ut ob vini penuriam calicem non consecrarent. 440. 260.
Joannes Hus Hæreticus quid contra Eucharistiam sentiret. 410. 64.
Joannes Hus Hæreticus usum Calicis retinendum asseruit, cum ab Ecclesia justis causis fuisset laicis sublatus. 429. 190. An fuerit hostis Sacrificii Missæ. 437. 243.
Joannes Parisiensis asserit unionem hypostaticam panis cum Verbo in Eucharistia. 414. 91.
Joannes Scotus Erigenas realem Christi præsentiam in Eucharistia impugnabat. 410. 63.
Joannes Wicleflus Hæreticus, ejus errores contra Eucharistiam. 410, 64.
Joannes Wiclefus, quid senserit contra Missæ Sacrificium. 437. 242.
Judas Machabæus Sacrificium offerri jussit pro militibus defunctis in prælio pro Religione. 441. 266. Libri primus, & secundus Machabæorum satis probantur esse Canonicos. *ibid.* 268.
Judas Iscariotes omnium hæreticorum Evangelicæ legis primus realem præsentiam in Eucharistia negasse dicitur. 410. 61.
Judæ, quia occultus adhuc proditor erat, ideo sumptionem sui Corporis Dominus non denegavit. 422. 154. Vere Communionis factus fuit particeps. *ibid.* 155.
Julianus Apostata incertum est an Eucharistiam impugnaverit. 413. 89.
Julianus Apostata adversus Sacram Mensam impiissime minxit. 450. 301.

K

KEmnitius Hæreticus voluit Eucharistiã accipi ad remissionem mortalium peccatorum. 424. 162. & 433. 215.
Kemnitii falsum argumentum explo-ditur, quo conatur demonstrare Missæ Sacrificium non esse propitiatorium. 440. 262.
Kemnitius inverecunde contra Concilium scripsit, quod Missas privatas non abrogaverit. 443. 275.

L

LAici aliquando olim ministrarunt Eucharistiam: nunc vero neque si urgeat mortis periculum. 419. 143, Apud Græcos prohibitum in Concilio Trullano. *ibid.* Id concessum aliquando a Summo Pontifice. *ibid.* 144.
Latinis non licet consecrare in Fermentato. 405. 36.
Latreuticum cur appelletur Sacrificiũ. 436. 237.
Libamen quæ species Sacrificii. 436. 236
Liturgia quid apud Græcos, & Latinos. 437. 239.
Liturgia apud Græcos, idem ac Missa apud Latinos. 437. 239.
Liturgiæ plures, quæ habentur, etsi a Criticis non admittantur esse eorum, quibus adscribuntur, authoritatem tamen habent ex antiquitate. 438. 247. Defenduntur a calumniis hæreticorum. 443. 279.
Liturgiarum authoritas unde sumenda, 450. 304.
Lollardi quid contra *Missæ* Sacrificium dicerent. 437. 242.
Lotharius Rex, ejusque fautores sacrilegi, Eucharistiam de manu Papæ accipere ausi, eodem anno omnes simul moriuntur. 434. 228.
Lutheranorum errores circa Eucharistiam. 402. 12. 404. 23. Consecrant suo more in fermentato. 405. 36. Circa aquam rejiciendam in Sacrificio. 407. 43.
Lutheri error circa formam Consecrationis. 409. 55. Quid primum, & postea sentiret circa præsentiam Christi in Eucharistia. 410. 63. Non obscure Impanationem in Sacramento insinuat. 414. 91. & 92. Ejus instabilitas circa adorationem Eucharistiæ. 416. 116. Error circa necessariam Præparationem ad sumendam Eucharistiam. 424. 162.
Lutherus voluit quod peracto Sacrificio Eucharistia non sit servanda. 416. 119. Quid ultra ejus Assecl æ. *ibid.*

Lu-

Digitized by Google

Lutheri errores circa Miniſtrum Euchariſtiæ. 418. 134.
Lutheri errores, & ejus varietas circa Communionem ſub utraque ſpecie. 429. 190. Circa effectum remiſſionis peccatorum mortalium. 433. 215.
Lutherus convicia, & improperia evomuit in Miſſæ Sacrificium. 437. 243. Argumentum ejus, quod Cœna Domini non poſſit eſſe Sacrificium, diluitur. 439. 252. Librum edidit de abroganda Miſſa privata. 443. 275.

M

MAgnani, Emmanuel, Ordinis Minimorum, Epiſtola, de ſenſibilitate SS. Euchariſtiæ Sacramenti per ſpecies. 415. 106. Ejuſdem ſpecies defenduntur. *ibid.* 105. & 112.
Manichæi primi negabant Verbum Divinum aſſumpſiſſe Carnem. 410. 62.
Manichæi vinum non conſecrabant. 409. 55.
Manichæi, ut idololatras Chriſtianos habebant, quod Aras in Martyrum memoriam erigerent. 450. 301.
Manna figura Sacramenti Euchariſtiæ. 411 68.
Marcitæ, Hæretici, poteſtatem dabant mulieribus conficiendi Euchariſtiam. 418. 134.
Maria Stuarda, Scotorum Regina, in carcere detenta, ex conceſſione Pii PP. V. ſe ipſam Euchariſtia reficiebat. 419. 144.
Marcitæ in azymo conſecrabant. 406. 39.
Martyrium cur dicatur Eccleſia. 449. 295.
Melanchton Hæreticus quid circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia falſo ſenſerit. 416. 116.
Melanchtonis error circa Communionem ſub utraque ſpecie. 429. 191. Circa abrogationem Miſſæ privatæ. 443. 270.
Melchiſedech Sacrificium figura Sacramenti Euchariſtici. 405. 35. Non eſt neceſſe ut utrumque conveniat quoad accidentales qualitates. *ibidem.* 36. Fuit typus Chriſti Domini. 407. 44. Ejus oblatio figura realis præſentiæ in Sacramento Euchariſtiæ. 411. 67.
Melchiſedech, & Aaronis Sacerdotia in quo conveniebant, & in quibus diverſificabantur. 438. 244. Vere panem & vinum obtulit Melchiſedech, contra aſſertum Calvini & aliorum. 439. 250. Et Epulum militibus dedit. *ibidem.* 256.
Menandriani, diſcipuli Simonis Magi, negabant verā Chriſti carnem. 410. 62
Menſa Domini cur dicatur Euchariſtia. 401. 3.
Miniſter ad conficiendam Euchariſtiam eſt ſolus Sacerdos. 418. 135. & 442. 270. Probatur ex Scripturis, & Verbis Chriſti, ex Conciliis, & Patribus. *ibid.* & rationibus. 136. Objecta ſolvuntur. *ibid.* 137. Ad diſpenſationem. Vide *Diſpenſatio*, & *Diaconi*.
Miraculum Sanguinis Euchariſtici, quod Bolſenæ contigit, occaſionem præbet Inſtitutionis Feſti Corporis Chriſti. 417. 125.
Miſſa apud Latinos, idem ac Liturgia apud Græcos. 437. 239.
Miſſæ diverſa nomina apud Græcos, & Latinos. *ibid.* Vide *Liturgia*.
Miſſa cur appelletur Euchariſtiæ Sacrificium antiquiſſimo, & communi Latinorum vocabulo. 436. 240. Ad aliud quoque ſignificandum hæc vox Miſſa uſurpata. *ibid.* Ejuſque origo. *ibid.* & 241. Errores Hæreticorum contra Miſſæ Sacrificium. *ibid.* 242. Miſſæ Sacrificium probatur ex veteri Teſtamento. 438. 244. Ex figura Agni Paſchalis, & aliis figuris aliorum ſacrificiorum veteris Teſtamenti. *ibidem.* 245. Probatur ex novo Teſtamento. *ibid.* 246. Et ex Traditione. *ibid.* 247. Objecta contra Sacrificium Miſſæ diluuntur. 439. 250. & 253. & ſeqq.
Miſſæ Sacrificium, in quo ejus eſſentia conſiſtat, variæ ſententiæ Theologorum. 440. 257. In quibus non conſiſtat ſecundum noſtram ſententiam. *ibid.* 258. In quo vere conſiſtat. *ibid.* 259. Objecta diluuntur. *ibid.* 260.
Miſſa eſt verum Sacrificium Lautreticum, Euchariſticum, Impetratorium, & Propitiatorium. 440. 260. & ſeqq. Offerri poteſt pro omnibus, qui in Mundo vivunt, quanvis a Catholica religione alienis. 441. 263. Offerri non poteſt pro Damnatis in Inferno. *ibid.* 265. Offertur Deo in honorem Sanctorum. *ibid.* 266.
Miſſæ Sacrificium dimittit peccati culpam & pœnam mediate, & non ex opere operato, ſed ex opere operantis. 441. 269. Ejus Miniſter eſt ſolus

Digitized by Google

Sacerdos. 442. 270. Quando teneatur offerre. *ibid.* 271.
Miſſę plures eadę die celebrabantur; ſed poſtea id ſacri vetuere Canones. 442. 271. Qua hora celebranda Miſſa. *ibid.* 272. Praxis celebrandi unicam Miſſam diebus feſtis non fuit generalis. *ibid.* 273. Quæ impediant a celebratione Miſſæ. *ibid.* 274.
Miſſa Parochialis ut debitum a Jure Canonico impoſitum fidelibus audiendi Miſſam in propria Parochia. 444. 280. An ex vi Concilii Tridentini teneantur fideles feſtis diebus Miſſæ Parochiali intereſſe. *ibid.* 281. Pontifices per Privilegia conceſſa Regularibus exemerunt Parochianos a præſentia Miſſæ in propriis Eccleſiis Parochialibus. *ibidem.*
Miſſa privata quæ ſit. 443. 275. Hæretici contra illam ſcribentes. *ibid.* Antiquas fuiſſe in Eccleſia probatur ex Conciliis, & Patribus. *ibid.* 276. Eſſe licitas. *ibid.* ex exemplis. *ibid.*
Miſſæ ſtipendium, quid? Unde ejus origo. 445. 283. Eſt licitum. *ibid.* 284. antiquum. *ibid.* Propoſitiones damnatæ circa Miſſæ ſtipendium. *ibid.* Objecta diluuntur. *ibid.* 285. Datur per modum eleemoſynæ. *ibid.* An Sacerdos fructum Miſſæ ſibi ſpecialem alteri poſſit communicare. *ibid.* 286. Stipendii menſura qualis. *ibid.* Plura ſtipendia accipi non poſſunt pro una Miſſa celebranda. *ibid.* 287. *Auditio Miſſæ.* Vide *Præceptum audiendi Miſſam.*
Miſſæ celebratio quoad locum: Quæ ſint loca, ubi celebrare poſſit Sacerdos. 449. 295. Tempore perſecutionum ubique Miſſa celebrabatur. *ibid.* 296. Altaria, & Templa dedicare antiquiſſimum in Eccleſia. *ibid.* An celebraretur aliquando extra Eccleſiam. *ibid.* 298.
Miſſa Præſanctificatorum, quæ fit in feria 6. Paraſceves; non eſt Sacrificium. 440. 260.
Morini error dicentis, ritum ſervandi Euchariſtiam recentem eſſe. 403. 17, 18.
Mortui non ſunt capaces ſumendæ Euchariſtiæ. 421. 149. Falſo narratur S. Baſilium Euchariſtiam ſecum ſepeliri juſſiſſe. *ibid.* 150. S. Benedictum juſsiſſe verum mortuum ſepeliri cum Euchariſtia pectori ejuſdem ſuperpoſita: in dubium revocatur. *ibid.* 150.
Abſolvi ab Excommunicatione poſſunt quia eſt pœna temporalis. *ibid.* Morituris omnibus an miniſtranda Euchariſtia. 421. 152.
Mulieris Macedonianæ Sectæ converſio Conſtantinopoli per inſigne miraculum, quod in Communione illi contigit; 430. 200.
Mulieres immodeſte exornatæ a ſumptione Euchariſtiæ repulſæ ab Innoc. PP. XI. 422. 153. Patientes ſanguinis fluxum, vel tempore menſtrui, ſive partus, eſt miniſtranda Euchariſtia. 423. 160. Cur non admittantur a Græcis. *ibid.* Cur non liceat in Eccleſiam ingredi. *ibid.* 161.
Muſtum an eſt apta materia ad conſecrationem. 404. 26.
Muſtum eſt vinum ſubſtantialiter, unde valide conſecrari poteſt. 408. 53. In quibusdam Eccleſiis conſuetudo conſecrandi muſtum recenter expreſſum in die Transfigurationis Domini. *ibid.*
Mutatio poteſt eſſe inſtantanea triplici ratione. 414. 98.
Myſtagogia apud Græcos cur dicta eſt Miſſa. 437. 239.

N

Neſtoriani latriæ cultum Euchariſtiæ negabant. 416. 116. & 118.
Nicolaus Emmincius quid contra Miſſam ſcripſerit. 437. 243.

O

Oblatio, & Sacrificium in quo differant, & in quo conveniant. 436. 235.
Oblatio pura Græcis appellata Miſſa. 437. 239.
Oblationis, & ſuſceptionis Sacrificii differentia. 440. 262.
Oblationes olim fieri ſolitæ ab iis, qui ad Synaxim, ſeu Miſſam, conveniebant. 445. 283.
Oblationes aliarum rerum non fiebant ad conſecrationem. 404. 26.
Obligatio celebrandi Miſſam quoad Sacerdotes omnes, & Parochos. 448. 293. & ſeq.
S. Oſthomani Corpus repertum cum particulis panis formæ orbicularis, quæ paratæ fuerant, admiſſæ ad Euchariſtiam. 421. 150.

Offi-

Digitized by Google

Officium Festi Corporis Christi a Sancto Thoma Aquinate compositum, jussione Urbani PP. IV. 417. 126.
Oratio Dominica a quo, & cur in Missa addita. 409. 60.
Oratorium quid, & cur dicatur Ecclesia. 449. 295.
Oratorium privatum, in quo celebrabatur Missa; habuit in Palatio Constantinus Magnus Imp. 443. 277.
Ophitæ Serpentis contactum pro Eucharistiæ materia posuerunt. 404. 22.

P

PAnes Propositionis, Primitiarum, & Eliæ, figura Sacramenti Eucharistiæ. 411. 67.
Panis cur materia partialis Eucharistiæ. 404. 21. Qualis esse debeat. *ibid.* 25. Sine addito intelligitur triticeus. *ibid.* 1. conficiendus cum aqua naturali, & non alio liquore. *ibid.* 26. Et igne decoctus. *ibid.* Probatur ex Conc. Tridentino *ibid.* 27.
Panis Siligineus an sit materia sufficiens ad Sacramentum. 404. 26. & 28.
Panis consecrandus olim oblatus a fidelibus. 404. 30. Quam præparationem, & figuram habere debeat. *ibid.* Post Persecutiones figuræ Orbicularis fuit *ibid.* Frusta panis reliqua ex consecrato distribui solita fidelibus. *ibidem.* An Christus in Azymo, vel Fermentato consecraverit. 405. 31. De tribus panibus quam diversimode locutus est Christus. 411. 71.
Panis offerri solitus a convenientibus ad Missã, & quid de eo fiebat. 445. 284.
Paraseeves die, & Sabbato Sancto non licet offerre Sacrificium. 448. 294.
Parochi quoad suos Parochianos circa obligationem eorum ad audiendam Missam & Concionem in propria Ecclesia. 444. 281.
Parochus tenetur celebrare iis diebus, quibus Fideles tenentur Missam audire. 448. 293.
Pascha rite celebratum a Christo Domino juxta Hæbreos. 405. 34. Quot modis in Scriptura usurpatum hoc nomen. *ibid.*
Paschasius Ratbertus de Corpore & Sãguine Domini, non novam doctrinam de reali præsentia Christi in Eucharistia docuit. 412. 76. & 77.
Pauperes de Lugduno, a quo, & quid contra Eucharistiam sentirent. Vide *Petrus Waldo*.
Peccata mortalia quomodo deleri dicuntur per sumptionem Eucharistiæ. 424. 166.
Peccata mortalia non remittuntur ab Eucharistia per se, & directe. 433. 216. & seqq. Venialia vero remittit. *ibid.* & 219.
Peccati Venialis affectus impedit Eucharisticæ Communionis effectum. 434. 224. Est continuare peccatum. *ibid.* 226.
Peccatores Publici qui dicendi. 422. 153. Et qui repellendi ab Eucharistiæ sumptione. *ibid.* 154. Occultis, quando, & a quo, deneganda. *ibid.* Publici non censentur conversi, nisi publica pœnitentia probaverint. *ibid.* Disciplina Vetus Ecclesiæ circa Peccatores publicos. 154. Peccatori occulto, privatim, & in occulto Eucharistiam poscenti, quando est neganda. *ibid.* 155.
Pepusiani, Hæretici, mulieribus Episcoporum & Presbyterorum munia tribuebant. 418. 134.
Petro-brusiani, Hæretici, a Petro de Bruis dicti: quid contra Sacramentum Eucharistiæ sentirent. 410. 62.
Petro-brusiani dicebant, nihil differre Templa a Tabernis. 450. 301.
Petrus de Bruis negabat, Sacerdotes idem Corpus Christi consecrare prout fecerunt in ultima Cœna. 410. 63.
Petrus Waldo, a quo Waldenses Hæretici, seu pauperes de Lugduno, quid contra Eucharistiam senserit. 410. 64.
Philippus Imperator, ob scelera ingredi Ecclesiam non permissus est, nec admissum antequam pœnitentiam egisset. 449. 297.
Pollutio Ecclesiæ, ex qua in ea celebrari non possit, quot & quibus ex casibus procedat. 449. 298. In quo differat ab execratione. *ibid.* 299.
Pollutio involuntaria non impedit pro eo die Communionem. 422. 156. An Voluntaria, sive Fornicatio præcedente Confessione illius peccati impediat pro eodem die. *ibid.* 157.
Pœnitentes interrogati a Confessario de Consuetudine peccandi tenentur respondere. 428. 184.
Pœnitentia necessaria ad digne sumendam Eucharistiam, quæ? 434. 226.
Præceptum audiendi Missam, quo Jure constet. 447. 290. Eo tenentur fideles

Digitized by Google

diebus Dominicis, & Festivis. *ibidem.* Quæ eximant ab hoc præcepto. *ibid.* 291. Propositiones in hanc rem damnatæ. *ibid.* 292.
Præsentia materiæ necessaria in Consecratione Eucharistiæ, & qualis. 404. 29.
Preces, quæ apud Latinos præcedunt, & apud Græcos subsequuntur formam Consecrationis, non sunt de necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti. 409. 58. & 50. Proferuntur recitative simul & significative. *ibid.* 60.
Præsanctificatum ministerium quid? & ejus vetustissimus usus in Ecclesia. 448. 294.
Presbyteri Communione laica ob delicta mulctabantur, & quæ erat. 431. 264.
Præscriptio in quo differat a Traditione, & quid respiciat. 412. 73. & 76. Quoad præsentiam Christi in Sacramento originem suam ducit a Christo per Apostolos. 413. 87.
Privilegia Fratrum Mendicantium, quoad Missam Parochialem. 448. 282.
Probatio sui ipsius ad sumendam Eucharistiam injuncta ab Apostolo, qualis. 424. 166.
Processiones Corporis Christi, quo tempore, & a quo fuerint institutæ. 417. 128. Probatur solemnis delatio Eucharistiæ in Gallia tempore S. Gregorii Magni PP. & in Hispania paulo post. *ibid.* 129. An in Oriente a Græcis. *ibidem.*
Propitiatorium cur appelletur Sacrificium. 436. 237.
Pseudoapostoli Missæ Sacrificium negabant. 437. 242.

Q

Qualitas quid sit. 413. 80. Qualitas panis consecrandi quæ esse debeat. 404. 28. An consecrari possit totus panis, qui venditur in foro, & totum vinum, quod est in dolio. *ibid.* Debet esse sensibilis ut valeat consecratio. *ibid.* 29.
Quantitative, & quantum Christum esse in Eucharistia, quomodo dici possit & non possit. 414. 99.
Quartadecimanorum error de celebrãdo Paschate in die 14. Lunæ mensis Martii. 405. 34. Ob eorum hæresim non fuit intermissa Eucharistiæ celebratio. 402. 42.

R

Reliquiæ Martyrum ad consecrandum Altaria non adhibebantur primis temporibus, cum Altaria essent in Cryptis, & Cœmeteriis Martyrum, quæ loco reliquiarum erant. 449. 298.
Ritus Ecclesiæ, quales variari possunt, & non possunt. 405. 36. 37.

S

Sabbatum cur ab Evangel. vocetur Dies Magnus. 405. 35.
Sacerdos mortalis reus, de quo recordatur jam Missa inchoata, an teneatur confiteri. 425. 169.
Sacerdos, est solus Minister Eucharistiæ. 442. 270. Sacerdotes sunt Ministri Christi, qui est solus summus & æternus Sacerdos. *ibid.* 273. Sunt ministri etiam Ecclesiæ, & populi. *ibid.* 274. Nec excommunicati, nec degradati potestatem consecrandi amittunt. *ibid.* 274.
Sacerdos quibus diebus per annum Missam celebrare teneatur. 448. 292. Qua die non possit celebrare. *ibid.* 293.
Sacerdos privatim in *Memento* Missæ potest orare pro Excommunicatis, Hæreticis, & Infidelibus, qui non sunt membra Christi. 451. 264.
Sacerdotium Aaronis, & Melchisedechi in quo differebant. 438. 244.
Sacramenta omnia tot miracula sunt Amoris Christi, Eucharistia vero omnium maximum. 401. 1. Ad Sacramenti Essentiã quæ requirantur. 402. 9. An Physice, vel moraliter causent gratiam. *ibid.* 10.
Sacramenta quæ dicantur de necessitate medii, & de necessitate præcepti. 427. 177.
Sacramenta Vivorum, & Mortuorum quæ dicantur, & eorum varius effectus. 433. 218. & 219.
Sacramentum Altaris cur appelletur Eucharistia. 401. 2.
Sacrificium quid & quotuplex. 436. 234. & variæ ejus acceptiones. *ibid.* & seq. Faciendum a legitimo Ministro ad recognoscendum Dei supremum dominium. *ibid.* 236. Ritu mystico. *ibid.*

Va-

Digitized by Google

Variæ Sacrificii divisiones. *ibid.* Ratio Sacrificii est in immutationem rei oblatæ. 236.
Sacrificium pro peccato quale erat. 436. 236. Offerebatur pro peccatis non solum internis, sed etiam pro externis. *ibid.* 237.
Sacrificium Laudis appellatum Sacrificium Crucis. 439. 256.
Sacrificium Latreuticum, Eucharisticum, & Propitiatorium, cur sic appellarentur. 436. 237.
Sacrificium in qualibet Religione semper fuit. *ibid.* & seq. Cur Deus Sacrificia Judæorum quædam detestaretur. *ibid.* 238.
Sacrificium Eucharistiæ dictũ est Missa, & cur. 437. 239. Vide *Missa*. Quæ pertinent ad substantiam Sacramenti Eucharistici. 443. 278.
Sacrificium Missæ in quo differat a Sacrificio Crucis. 446. 288. 289.
Sacrificium Missæ a Malachia prophetatum. 438. 246. & 439. 252. 256.
Sanctis, qui sunt in Cœlo, non offertur Sacrificium Missæ, sed Deo in eorum honorem, & memoriam. 441. 266. Non prodest illis ad gloriæ essentialis augmentum. *ibid.* 267.
Sanguis Aspersionis apud Hæbreos figura sacrificii Altaris. 438. 245.
Sanguis Vitulæ aspersus figura Eucharistiæ Sacramenti. 411. 67.
Scandalum sufficiens ad communicandum sine Confessione præmissa, quale esse debeat. 425. 169.
Sensus humani non sunt idonei ad judicandum de rebus fidei. 413. 80. & seq.
Serapion Senex Pœnitens in fine Vitæ mirabiliter servatus donec Eucharistiam sumeret. 416. 123.
Simon Magus Sacramentariorum hæreticorum parens. Negabat Christum veram habuisse carnem. 410. 61.
Sociniani Hæretici, qui, & eorum errores contra Eucharistiam. 410. 65.
Somnus inter Cœnam, & Communionem an sit necessarius. 426. 176.
Species in Consecratione Eucharistiæ quomodo se habeant. 403. 19. 20. Proxime corrumpendæ sumi debent a Sacerdote sub Sacrilegii pœna. 404. 48.
Species, & Accidentia indifferenter accipiuntur a Conciliis quoad Eucharistiam. 415. 100.
Species incipientes computrescere cõburi, & Cineres in sacrarium projiciendi. 404. 29. 413. 87.
Species intentionales in Hypothesi P. Magnani quales: & per eas sustineri possunt accidentia Eucharistica absque fidei, & veritatis mysterii discrimine. 415. 105. & seqq. & 114.
Species in Eucharistia salvari non possunt in hypothesi Cartesii, & aliorum recentium Philosophorum. 415. 110. Iisdem cultus latriæ exhibendus. 416. 118.
Stercolanitæ Hæretici asserebant Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile. 410. 62.
Status gratiæ requiritur in suscipientibus Eucharistiam. 424. 163. Probatur ex Scripturis, Figuris, & Traditione. *ibid.* Ex Romani Pont. & Conciliorum auctoritatibus. *ibid.* 164. Ex rationibus. 165. Objecta diluuntur. *ibidem*.
Stipendium Missæ. Vide *Missæ stipendium*.
Stola cum Superpelliceo adhibenda in ministranda Eucharistia. 418. 138.
Substantiæ nomine aliquando a Patribus sumptæ proprietates sensibiles & externæ. 414. 96.
Synaxis, quid, & cur a Græcis hic appellata est Missa. 437. 239.
Synodi Provinciales, & Diœcesanæ nullius sunt roboris in iis, quæ sunt contraria Constitutionibus Apostolicis. 444. 283.
Synaxis cur appelletur Eucharistia. 401. 3.

T

TAbernaculum quid, & cur Ecclesia appelletur hoc nomine. 449. 295.
Templum dicitur Ecclesia, & qua ratione. 449. 295.
Tentare Deum quid sit, & quando fit. 417. 133.
Thaboritarum error erga Sacrificium, & sacra Altaria. 450. 301.
S. Tharsicius Acolytus deferens a Cœmeterio Callisti Eucharistiam, in Via Appia Martyrio coronatur. 419. 142.
D. Thomæ sententia de deneganda Eucharistia Peccatori in occulto petenti, quid postea senserit, aperitur. 422. 156.
Tholosani Hæretici unde sic appellati, & quid contra Eucharistiam sentirent. 410. 64.

Tra-

Digitized by Google

Traditio, & Præſcriptio, in quo differant. 412. 73. Quid importet ac reſpiciat traditio. *ibid.*

Trajani, & Falconillæ, liberatos fuiſſe ab Inferno damnatorum, eſt fabella. 441. 268.

Tranſubſtantiatio vera fit in Euchariſtia. 415. 93. Eſt vera actio reproductiva, *ibid.* 97. Cur non ſit annihilatio. *ibid.* Verificatur in Euchariſtiæ confectione. 415. 105.

V

VAlor Miſſæ quid? & in quo a fructu differat. 446. 287. Quomodo ſit infinitus in ſe, & finitus quoad efficaciam, & modum applicationis. *ibid.* 288. & 289.

Vaſa Sacra ab hæreticis damnata. 450. 302.

Verba Chriſti: *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.*, quomodo intelligenda circa non neceſſitatem medii de ſuſcipienda Euchariſtia. 427. 180.

Veſtes Sacræ ad uſum Sacrificii ab hæreticis improbatæ. 450. 302.

Viaticum cur appelletur Euchariſtia. 401. 3.

Victima, quæ ſpecies erat Sacrificii, & unde dicta. 536. 236.

Victimæ etſi actu non morerentur poſt illatum læthale vulnus, tamen conſumabatur Sacrificium. 440. 260.

Vinum tantum eſt materia apta ad Conſecrationem, nullus vero alius liquor. 404. 27. Probatur ex Conc. Tridentino. *ibid.* 27.

Vinum materia Euchariſtiæ inadæquata. 407. 43. Errores Hæreticorum circa hanc materiam. *ibid.* Eſt de fide Vinum eſſe inadæquatam materiam Euchariſtiæ. *ibid.* 44. Aqua mixta eſſe debet ut rite cõficiatur Sacramẽtum. *ibid.* 45. Ex neceſſitate tantũ præcepti eccleſiaſtici. *ibid.* 46. Valida eſt Conſecratio ſi non admiſcetur aqua. *ibid.* Eſt neceſſarium neceſſitate præcepti Divini in Sacrificio. 407. 48. Debet eſſe de Vite expreſſum. 408. 52. Non poteſt fieri conſecratio in Agreſta vel in Botro. *ibid.* vel in Vino granatorum vel ex aliis fructibus expreſſo. *ibid.* 53. Neque in Aceto. *ibidem.* In Muſto valide conſecrari poteſt. *ibid.* Vinum infuſum in pane non eſt materia apta. *ibid.*

Vinum congelatum illicite, ſed valide conſecratur. 408. 53. An convenientius conſecrare in Vino rubri, vel albi coloris. *ibid.* 54. Vinum coctum quale ſit apta materia. *ibid.* 54. In vino congelato conſecrare, peccatum eſt. *ibid.*

Virtus vivificans, pro Verbo Incarnato. 413. 86.

Waldenſes a quo. Vide *Petrus Waldo.*

Waldenſes volebant quemlibet virum probum poſſe Sacerdotis officium implere. 418. 134. Miſſam ſemel in anno celebrabant abſque forma Verborum Chriſti. 437. 242.

Z

ZUinglius, Hæreticus, ejus errores circa Euchariſtiam. 410. 65. & 70. 416. 116. Dixit, Euchariſtiam adorationi non eſſe ſervandam. *ibid.* 119.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google